Digitized by Google

6
30 D
10

PETRI CRINITI

VIRI VNDECVNQVE DOCTIS-
SIMI, DE

Honeſta diſciplina	libri	XXV.
De poëtis Latinis eiuſdem	libri	V.
Poëmatum quoq; illius	libri	II.

Adhæc præter ſingulorum capitum ſufficientem indicem, adiecimus alterū quoq;, qui memorabilium eorundem, & rerum, & ſententiarum, abecedario ordine, ac iuxta chartarum ſeriem, elenchum præſtet.



BASILEAE EXCVDEBAT HENRICVS PETRVS.

LIBRORVM DE HONESTA DISCIPLINA PETRI CRINITI, CAPITVM SINGVLORVM INDEX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPITA LIBRI PRIMI.

I. De tripli tentorio Tamburlani Scytharũ principis, & quæ cõditione imp. maxĩus in cõſpectũ & aciẽ hoſtiũ accederet.

II. Quibus diſciplinis atq; præceptis Perſarũ reges filios inſtruerẽt, & qua potiſſimũ ætate, ex Platonis Alcibiade.

III. De Pſyllis, ac Marſis, eorumq́; poteſtate in uenenis tractandis, ac de Exagono legato in dolium ſerpentum coniecto, & de Silographis authoribus nonnihil.

IIII. Anacharſis Scythæ ſententia de populari Athenienſium ſtatu, & quo pacto populi adminiſtratio ab honeſtis & prudentibus uiris fugienda & deteſtanda ſit.

V. Pacuuij poëtæ carmen relatum de fortuna, eiuſq́; multiplici poteſtate, & quid item de eadem C. Plin. ſcripſerit.

VI. Quàm eruditè Plato philoſophus ſcripſerit homines iracundos memoria præſtare, graueis autem obliuione, tum de Tharcenſibus populis, & cæli poteſtate.

VII. De obitu Hermolai Veneti, & Pici Mirandulæ officio erga eundem, cum peſtilentia in urbe laboraret.

VIII. De ſæuitia Fuluiæ in Ciceronis caput, & qua ignominia habitus ſit ex Dionis hiſtoria, & carmen Seueri poëtæ additum de eodem Cicerone.

IX. Taciti uerba explicata in Iudæorũ hiſtoria, & quo pacto Chriſtiani etiã ſunt Aſinarij appellati, quaq́; ignominia chriſti effigies ab antiquis depicta fuerit, in quo inſolentiã pariter atq; odium contra Chriſtianã religionẽ oſtenderunt.

X. Dictum nimis improbũ ac nefandum Theodori Gazæ cum Beſſariõe philoſopho, ſuper doctrina diui Hieronymi, & quo modo iniquius pro Ciceroniano fuerit accuſatus.
XI. De Socratis cõſtantia cum uxoribus, ac de eius effigie & deformitate ex Hieronymo, tũ de imaginibus philoſophorum in ueterum gymnaſiis.
XII. Quanta prudentia ac doctrina Meſſala Coruinus præſtiterit, & quo modo præfecturam Romanę urbis recuſauerit, ut inciuilem, atq; immoderatam dignitatem.
XIII. Chriſtianos fuiſſe per ignominiam Semiſſios & Sarmentarios uocatos, & quòd ſemiſſes homines pro minutioribus & ignauiſſimis à ueteribus dicantur.
XIIII. Anquiro, & Anquiſitiones, uocabula eſſe Romana & honeſta, quibusq; authoribus id aſſeratur contra quorundã inſcitiam.
XV. Quòd eodẽ die natalis Alexãdri Macedonis fuit, & templi Dianæ Epheſiæ concrematio, ac de authore ipſo incendij cognitio non iniocunda.
XVI. De doctrina Annei Senecæ philoſophi, & eius ſententiæ allatæ, quæ ſint ab omnibus ediſcendæ, & obſeruandæ.
XVII. Quã ſit grauiſſimũ ſcelus auaritiæ crimen, ac uerba ibidẽ ex epiſtola Caſſii, & alia ex Salluſtio ad id pertinentia.
XVIII. Indigitare deos quid ſit, ac de Indigitamentis, & qui Dij indigetes uocati ſunt ex multis authoribus.

CAPITA LIBRI II.

I. Remedium de ſoluendis amoribus, cum mirifico exemplo Fauſtinæ, ac de natali Cõmodi imperatoris qui omniũ crudeliſſimus fuit.
II. De ſtudio ac litterarijs uigilijs Pici Mirand. tũ inibi Apologus pelegans de Furio Creſſi. ex Pliniana hiſtoria allatus.
III. De Subſellijs, eorumq; uocabulis, & quid maximè Scimpodiũ, qd ſcabellũ, & qd ſuppedaneũ ex ueterũ authoritate.

IIII. In uitæ officijs habendã generis ac dignitatis hoĩm ratione, & ꝙ prudẽter ab Hadriano imper. factũ ſit contra ignobilem libertũ, ac ibidem quoq; de Aug. Octauij prudentia & ciuilitate in re ſimili.

V. De generibus fulminũ, quæ uidelicet Poſtularia, quę Peſtifera, & Perẽptalia ſint, ac de ꝓcurãdis fulminibus ex decẽuiralib. tabulis, ac de Fulguritis arborib. copioſè explicatũ.

VI. Quã C. Plinius à Græcis diſſentiat de obitu poëtę Sophoclis, ac de his etiã nõnihil qui præ nimio gaudio interierint.

VII. Quid apud ueteres fuerint Brutiani ſerui, & qua ignominia ſint à Romnis habiti Brutij populi, quod ab illis deſciuerint, tum nonnihil etiam de comicis lorarijs.

VIII. Quo cõmento Pixodõrus pro deo habitus ſit, & de marmoris inuentione, ac de lapicidinis nonnihil ex Theophraſti libris.

IX. De ętate Cõſtantij imp. & Narſetis, ac de epiſtola regis Saporis ad imperatorem Conſtantium, & quid ab eo reſponſum fuerit ex Marcellini hiſtorijs.

X. Quo artificio tonitrua in ſcenis olim æderentur, ac de Metelli Pij immodico luxu, atq; libidine ex Salluſtij uerbis, & quo modo imitatus ea ſit poëta Vergilius, cum de Salomone agit.

XI. Quæ cauſa fuerit ut mythologi ſcribant gigantum pedes in uolumen deſinere, & Lampridij uerba expoſita de Commodi imperatoris crudelitate.

XII. Quã grauiter ac ſatyricè Io. Picus Mirandula cõtra inertes & otioſos homines uerba habuerit, & quòd Solon in ſuis legibus damnãdos cenſuit, ac inibi elegãtiſſimi uerſus poſiti ex Enniana ſatyra contra iſtos otioſè oſcitantes.

XIII. Quòd his maximè uerbis Politianus ſe oblectari dicebat, ut ſunt Reciprocicornes arietes, & beſtiæ Exũgues, & Excornes, & alia ibidem addita.

XIIII. Diſputatio de repub. habita, ac de imperio Venetũm, & Apologus elegans de pinu & cucurbita.

XV. De oraculo à Maximino imperatore inſtructo cõtra Chriſtianos, & ibidem de conſtantia Chriſtianorũ, quibuſq; uerbis contra Romanos præſides uterentur.

XVI. Qui grammatici de origine uerborum ſcripſerunt, & unde hæc uerba Auidus & Inuidus dicta ſunt, perelegãs & erudita enucleatio.

CAPITA LIBRI III.

I. Quòd Plato philoſophus inuidiæ morbo laborauit, & quòd infenſus Xenophonti, ac Democrito fuerit, cuius etiam libros extingui cupierit.

II. Diſputatio habita inter Hieronymũ Sauonerolam & Picum Mirandulam, de philoſophia ueterum cum Chriſtiana academia, & quid item uetuſtiſſimi de ipſo deo ſenſerint id eſt Moſes, Mercurius, Zoroaſtres & Pythagoras.

III. Quod apud noſtros quatuor idiomatũ genera fuiſſe tradantur, hoc eſt priſcum, Latinum, Romanum, & mixtum, & quo maximè tempore floruerunt, ac de Hetruſcis etiam litteris nonnihil.

IIII. De nominibus Romanorum, & quòd à Sabinis prænomẽ acceperint, ex fœdere cum Romanis facto, tum qua die Romani nomen aſſumerent.

V. Qui maximè apud Latinos de ſacris, ac pontificijs uerbis ſcripſerint, & quomodo Reus & Damnatus interſe differunt, tum ex iure ipſo pontificum uerba expoſita.

VI. De uiribus atræ bilis, ac de Eurilocho, & poëta Malacho quã grauiter eo morbo ad inſaniam uexarentur.

VII. Quo habitu, & forma eſſet Romana toga, ac de alijs ueſtibus, quæ cuiq; populo aſcribantur, tum alia ibidem nõ iniocunda addita.

VIII. Quàm iniquo animo Pub. Vergil. fuerit contra grammatiſtas

tiſtas, atq; ineptos litteratores, ac eiuſdem elegãs dictum ſuper illo enigmate:

Tris pateat cæli ſpatium non amplius ulnas.

VIII. De his hominibus qui ſeipſos in puteum iaciant, & quid in cauſa, exemplis de Laurentiano, & alijs adductis.

IX. De populis qui humana carne ueſcantur, & quæ Hieronymus de Scottis gente Britãnica ſcripſerit.

X. De lapide Caryſtio mirifica obſeruatio, quòd ex eo ueſtes contexãtur, atq; in ignem poſitæ à maculis emundent.

XI. Locus in epiſtola M. Tullij ad Trebatium expoſitus de Philoctete, quamq; imprudenter à quibuſdã deprauetur ac falsò exponatur.

XII. Veterum conſuetudo relata de Bactrianis populis, & de Atrijs in furtis mulctãdis ex authore Bardeſane, ac de Aegyptijs & Lacedæmonijs, qui impunè furtum facerent.

XIII. Triginta millia deorum à poëta Heſiodo celebrari, & à M. Varrone ccc Ioues, & quàm ridicula foret ueterum de his opinio.

XIIII. Qui ſunt apud Aegyptios Sarabaytæ ſacerdotes, & de eorum moribus, atq; improbiſſima ſimulatione ex Auguſtino, & Hieronymo.

CAPITA LIBRI IIII.

I. Dignum memoria de rege Piſiſtrato, quo aſtu, atq; commento contra aduerſarios ſit uſus, pro firmando imperio, tum de eius quoq; tyrannide nonnihil ex uerbis Solonis.

II. Quo ſtudio ac diligentia factum ſit à Romanis, ut libros Magonis de agro colendo in Latinum cõuerterent, tum aliud exemplum de Corn. Taciti hiſtoria, quo honore à Tacito imperatore habita, & in bibliothecis locata fuerit.

III. De cenſorum poteſtate, ac de triplici pœna in Romanos & qui dicerẽtur in ærarios relati, ac ibidem ſubſcripta uerba ex antiquis

ex antiquis legibus de ipſis cenſoribus.
IIII. Quantum bonis præceptoribus diſcipuli debeant, ac de Alexandro Macedone erga præceptorem Ariſtotelē, tum de eius quinquaginta libris de animalibus digna prorſus memoria.
V. De præfectis ſyluarum apud Romanos, & de maioribus ac minoribus ꝓuincijs, ac inibi illud Vergilij expoſitū
Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint conſule dignæ,
contra aliorum ſententiam.
VI. Quod in ſolſtitiali tempore frōdes in quibuſdam arboribus conuertantur, & quæ bruma augeri, minuiq́; ſit obſeruatum à Stoicis ex Lunæ uiribus.
VII. De Philemone poëta comico, eiusq́; mirando interitu, ex Luciani hiſtoria, & aliorum commentarijs.
VIII. Quid mulſum apud ueteres in ſacris, ac Titij uerba poſita de hoc, tum Romuli Pollionis dictum ad Octauiū Aug. & alia obiter non iniocunda.
IX. Quid apud ueteres ſit urbem Romam fuiſſe ad æquilibriū poſitam, & quod æquilibritas uertitur à M. Tullio quod eſt Græcè iſonomia: tum nonnihil etiam de differentia inter Vrbem & Romam, ex doctrina iuriſconſultorum.
X. De Pythagorica philoſophia, & de Iani frōte quadruplici ac de Manaſſe rege, eiusq́; ſtatua cum facie quincuplici.
XI. Quomodo accipiendum ſit apud Varronem limbus duodecim ſignorum, & unde Cælum & Mundus dicantur, ſimulq́; uerſus additi ex Varronis Menippeis quā uenuſtiſſimi.
XII. De quibuſdam legibus, & eorum præmio, qui hoſtes multos interimiſſent, ex libris Ariſtotelis: & quæ Firmianus contra Ennium & Ciceronem protulit.
XIII. Petronij Arbitri carmen appoſitum, in quo ciconiam pietaticultricem, & gracilipedem dixit, tum inibi de alitis eiuſdem pietate non indigna relatio.

De lega-

XIIII. De legatione Gallorum ad regem Alexandrum, ac de illorum congrua, & oportuna reſponſione contra ambitioſam regis inſolentiam.

XV. Poetæ Vergilij uerſus appoſiti de Numa rege, quòd canus in adoleſcentia fuerit & quòd Strabo id ipſum de L. rege Tarquinio rettulerit.

CAPITA LIBRI V.

I. Quàm multiplici doctrina præſtet Ioannes Picus Mirandula, & iudicium ab eo egregiè factum: de Hebræis, Græcis, atq; Latinis doctrinis, earumq; differentia.

II. Creditum eſſe ad gratiam & formam conferre cibum ex lepore, tum lepida hiſtoria de Alexandro Seuero imperatore, additis uerſiculis non inuenuſtis.

III. Quòd Romani homines initio imperij contempſerint meliores diſciplinas, & quando ipſa poëtice in urbem acceſſit, tum fuiſſe graſſatores dictos à Romanis poëtas: & Horatij uerſus expoſiti.

IIII. Qui maximè dij extra urbem Romam templa habuerunt & qua ratione, tum quòd idem Romani ex Solonis legibus ſepulchra extra urbem haberi uoluerunt.

V. De Traiano Auguſto cum præfecto militũ, eiusq; ſermone ad eum, ac de eiuſdem imperij geſtis ac uictorijs maximis.

VI. Cautum ex duodecim tabulis contra eos qui alienas ſegetes excãtare, & pellicere tẽtaſſent, & Plin. uerba notata & expoſita, inibiq; prodigiũ maximũ aſcriptũ de agris Vectianis.

VII. Quantum pro ueritate inuigilandum, ac Indorum philoſophis: eorumq; ſtudio pro ueritate, ac pœna perpetui ſilentij contra mendaces.

VIII. Quàm eruditè Pythagoras hominum ætatem in quattuor parteis diuiſit: atq; inibi etiam de Seruio Tullio, qui Romanorum ciuium tris ætates notauerit, ex Tuberone, & Gellio.

IX. Quo commento, atq; ſæuitia Iulianus imperator contra

Chriſtianos deſæuiret, ac de eius libris contra Chriſtum & qui maximè illis reſponderunt.
XI. Quàm egregiè doctus in omni philoſophia Vergilius fuerit, quomodo ea quæ de inferis, & campis Eliſijs ſcribit, ex Gobria mago tranſtulerit apud Academicũ Xenocratem.
XII. Qui ſint apud M. Ciceronem Pentelici hermæ ac de Pentelicis columnis atq; lapidicinis diligenter multa expoſita.
XIII. Quã docile animal ac placidum ſit elephas, & quod per funeis incedere diſcat, tũ de funãbulis, ac funerepis hominibus
XIIII. De Mythra deo, qui pro ſole apud Perſas colitur, deq; illius ſimulachro, ac de Mythriatis ſacris copioſe explicatum.

CAPITA LIBRI VI.

I. De Belliſarij principis epiſtola ad regem Totillam, cum is de urbe Roma diruenda cogitaret, quibusq; uerbis ab infando conſilio deuaſtandæ urbis eum deflexerit.
II. Quàm ſit cautim loquendum apud principes, tum de rege Perſarum Cambiſe, & Traxaſpe nobile exemplum, & quomodo præſtant apud Perſas qui amplius bibunt.
III. Non eſſe populo uulganda, quæ arcana in ſacris ſunt, ac Vergilij carmen expoſitum ex Eleuſinis ſacris:
Procul ô procul eſte prophani.
& item de Numenij ſomnio digna obſeruatione hiſtoria.
IIII. De Gallonij ſumptu ac dapibus, uerba in oratione Ciceronis expoſita, atq; ibidem Lucian. uerſus appoſiti, cũ Horatiana imitatione de Gallonij acipenſere.
V. Quibus uerbis Caracalla imperator cum Iulia nouerca pudore uendito ſit congreſſus, quantumq; flagitij & malorum ex nimia imperandi licentia oriatur.
VI. De ſtudio philoſophi Euclidis in bonis diſciplinis, ac de Hieronymo etiam, quã uehementer & aſſiduè inuigilaret, tum quibus præceptoribus atque urbibus doctrinam acceperit.

De

VII. De XVI cæli regionibus, & quæ numina cuiq; ſint aſcri-
pta, ex Mineo Capella relatum, & alia obiter addita.
VIII. De litterarum notis in ueterum cauſis, tum de ſilentio in
iudicijs, ac Plautinus iocus expoſitus.
IX. De mollitie Hortenſii oratoris, ac Demoſthenis, tum per
lepida hiſtoria de Hortenſii munditia, qui diem collegæ di-
xit, quòd illi togæ ſtructuram deturbauit.
X. De ſæuitia L. ſyllæ, & Vedij Pollionis, qui ſeruos in piſci
nas conijceret ad murenas, & de Octauij Aug. animo con-
tra eam feritatem.
XI. De Lecanomantia ueterum, quo modo, & quibus ſacris
fieri coſueuit, ac de uoce, & natura dæmonum & alia ibidē
ex Ioanne Zeze repetita.
XII. Quibus elementis atq; initijs amantia dicantur conſtare,
ac de quinta eſſentia ad uniuerſum orbem diſponendum,
atq; abſoluendum, ibidemq; Mercurij Aegyptij uerba rela-
ta, & Vergilij carmen expoſitum.
XIII. Relatum de Carmanis populis, quàm mirifica eorū con-
ſuetudo ſit, in ſuſpendendis occiſorum capitibus, & eorum
linguis eſitandis.

CAPITA LIBRI VII.

I. De ingenio & eruditione Gregorij Nazianzeni & Baſilij,
quo affectu, ac ſtudio, ſimul ab humanis litteris ad ſacras
& diuinas conceſſerit.
II. De hieroglyphicis Aegyptiorum litteris, ac de uolture et
ape, eorumq; ſymbolo, tum de cruce etiā ipſa nobilis con-
ſideratio.
III. Factum memorabile Octauij Romani oratoris cum re-
ge Antiocho, & de ſagminibus legatorum, quæ in clariga-
tione geſtabant, ex iureconſultis & alijs.
IIII. Qui de ingenio dæmonum ſcripſerint, ac de Gnoſticis
& Euchetis, quibusq; ſacris dæmonē ſe concipere putarēt,

digna memoria obſeruatio.

V. De Maximiani imperatoris ſæuitia in Chriſtianos, & ꝙ affectus morbo animum cõmutarit, tum eiuſdem edictũ po ſitum pro religione ipſa Chriſtianorum.

VI. De municipibus Romanorũ populis, & quid apud Horatium ſit, digni cærite cæra, expoſitum eius carmẽ, tum quibus cauſis atq; rationibus municipes Romani eſſent copioſè explicatum.

VII. Quo animo cæſar anticatones libros ſcripſerit, & quantum Catoni inuitus cõceſſerit, cum eius ebrietatem reprehenderet, aliaq; non contemnenda de Ciceronis incõſtantia aſcripta.

VIII. De impoſitione nominũ apud comicos poëtas, & quid inter ſe differãt, cylones & Chilones ac ibidẽ Ciceronis uerbum explicatũ, contra quorundam ſententiam.

IX. De ſpatio humanę uitæ, & adnotanda obſeruatio de pondere humani cordis, quomodo creſcat & dicreſcat, ex anatomica Aegyptiorum obſeruatione.

X. Quomodo à mathematicis uitę hominum finis afferat, ac de ætate Moſis ex Trebellio Pollione, ac de Xenopholo muſico nonnihil.

XI. Quantum Publius Vergilius à M. Tullio laudatus fuerit, & quo honore ab uniuerſo Romano populo habitus, cũ carmen in theatro recitaret.

XII. De hiſtoria T. Liuij, quòd in libros ab authore ipſo diuiſa fuerit non in decades, contra aliorum opinionẽ, tum quibus id authoribus comprobetur.

XIII. De Bonifacio Romano põtifice, eiuſq; inſolentia & ambitione, tum eiuſdem ſceleſtum facinus relatum cõtra Prochetum Archiepiſcopum, ac de improbitate & impudentia Chriſtianorum pontificum.

XIIII. Scitum reſpõſum Ariſtippi, cum rogaretur çur homines

doctiores diuitum domos, atq; principum frequenter adeant, minimè autem ad eos diuites.

CAPITA LIBRI VIII.

I. De Simone Samarite, qui magus dicatur, & quomodo in urbe pro deo habitus ſit, & quo cultu, atq; honore fuerit, & ex Tertulliani apologetico, & alijs authoribus.

II. De Aegyptiorũ antiquitate, eorũq; urbibus ex Pōponij cōmentario, ac de alijs etiã regionibus nonnihil obſeruatũ.

III. De triplici dicendi genere apud ueteres, & quo maximè ſtilo uſi ſunt Romani, Hiſpani, & Punici authores ex Mirandulæ ſententia.

IIII. De falſitate oraculorum, quòd ad principum nutum ferebantur, exemplo Philippi Macedonis, ut Demoſthenes, & alij probarunt.

V. Annei Senecę locus in epiſtolis expoſitus de meta ſudante in urbe Roma, ac de Publio Victore, qui de regionibus urbis ſcripſit.

V. De Milonis Crotonienſis robore, è Pauſania, ac de Maximino, & Firmo Romanis imperatoribus quo robore, & qua forma fuerint.

VI. De his qui fœcundiores fuerint ad prolem procreandam ac Proculi Aug. uerba de ingenti eiuſdem libidine.

VII. De duodecim Romanis dijs, & eorum nominibus, qui ſingulis menſibus apud ueteres præponerentur, ex antiquo marmore, ac Ennij carmen additum.

VIII. Veterum poëtarum carmen relatum contra Caldæos & Ariolos, & qua ratione minimè ſit illis adhibenda fides, ex ſententia philoſophi Fauorini.

IX. De crimine Scopoliſmi in Arabia, & locus apud iurecōſultos emendatus, ac leges item cōtra eos, qui limites ac terminos extrahunt.

X. De authoritate maxima imperij Romanorum, & epiſto-

la Belſolis regis aſcripta de Valeriano cæſare Aug. capto.
XII. De Fulminibus, & Fulguritis arboribus, ac de Ioue Fulguratore & Tonitruali in libris aruſpicũ, aliaq́ ibidem addita de fulminibus,
XIII. Quæ ſit Lex annaria in ueterum ſcriptis, & quid hoc uerbum Aeuitas ſignificet in duodecim tabulis.

CAPITA LIBRI IX.

I. De magia Dardani, eiusq́ libris è ſepulchro à Democrito erutis, ac de Græcis philoſophis, qui ad Aegyptios perrexerunt.
II. De Bonoſo imperatore, & eius uinolẽtia, ac ioculare dictum in eius obitu, Pendere amphoram, tum de lege ſymposiaca in potationibus.
III. De dijs regionũ atq; urbium, quibusq́ nominibus appellarentur, ex Tertulliano Origine, & alijs authoribus.
IIII. Anacreontis carmẽ aſcriptũ uenuſtiſſimũ de poculo, & in Latinis conuerſum quod apud Gellium deprauatũ eſt.
V. De magia Aegyptiorum, & qui in ea præſtiterunt, ac de xxxvi dæmonibus & qua poteſtate polleant.
VI. Non eſſe uiri prudentis in humanis confidere, & exemplum nobile de iniquiſſima fortuna Belliſarij ducis.
VII. De multiplici cauſa terræmotus, & Neptuni poteſtate, tũ de terræmotu maximo, qui Tiberio imperãte in Aſia euenerit.
VIII. Hiſtoria de Leænæ meretricis conſtantia in tormentis, ac Tertulliani uerba expoſita, tum de Theodoro etiam quàm firmo & conſtanti animo fuerit.
IX. De Leone imperatore, qui edicto cauit, ut omnes imagines è templis, ac baſilicis Chriſtianorum delerentur, & epiſtola Valentis, & Theodoſii Auguſtorum de eadem re appoſita.
X. De hierophantis Athenienſium ad ſorbitionẽ cicutæ, ac de Romanis

de Romanis ſacerdotibus flaminibus & pontificibus.
XI. Quã egregia, ſingularíq; doctrina præſtiterit Mercurius Aegyptius in rebus diuinis, ac eiuſdẽ uerba aſcripta de deo, de mente, & de ainmis, in libro de ſapientia dei.
XII. Qui ſunt apud iurecõſultos iudices recuperatores in extimãdis iniurijs, ac de iudicio recupatorio copioſè explicatũ.
XIII. Quã imprudenter atq; imperitè ab his erratũ ſit, qui Scirpum acceperunt pro ænigmate, & quod apud authorẽ Gellium Scrupum, non ſcirpum legendum ſit.

CAPITA LIBRI X.

I. De doctrina Gamalielis Hebræi, & quo iudicio probauerit Ieſum Chriſtum pro deo accipiendum.
II. D Narſete eunuche, & Sophiæ Auguſti uerbis ad eum, ac reſponſum Narſetis in fœminæ inſolentiam.
III. De populi improbitate, ac de exilio Ariſtotelis, quòd impietatis accuſatus in Chalcidem profugerit, tum alia obiter non iniocunda.
IIII. Quæ ſint maximè à dijs rogãda, & quo modo ex Platone, tum uerſiculi Perſiani de uotis peragendis.
V. Quantum conceſſerint Chriſto Romani imperatores Tiberius, & Hadrianus, ac de Alexandro etiã Seuero qui Chriſtum inter alia numina adorauit.
VI. Vnde apud poëtam Vergiliũ ramus aureus, & uiſcus in ilice, in Sexto Aeneidos, ac de magia Druydum Vergilij carmen expoſitum.
VII. De Hetruſca diſciplina, & quo ſtudio Romani nobiles ad eam diſcendam mitterẽt, ac uerſus ibidem ex XII addita.
VIII. De cura & periculis eorum, qui imperio præſunt, ac Saturni Auguſti uerba ad hoc ipſum pertinentia.
IX. De antiquorũ proprietate in carmine, in rebus exprimendis, ſimulq; Accij poëtæ uerſus appoſiti ex Argonautis elegantiſſimi, & Q. Ennij.

Quæ

X. Quæ ratio fuerit ne Flamines ſacerdotes apud Romanos nodum aliquem habere poſſent in ueſtibus, et quã libera & aperta eſſe debeat animorũ coniunctio inter amicos.

XI. De multiplici ac ſingulari doctrina Ma. Varronis, ꝙ idẽ tamen à Palemone grãmatico cõtemptus fuerit, ac iniquiſſima uoce porcus appellatus.

XII. Quid in libris iureconſultorũ ſint Exconſules, Exquæſtores, Expræfecti, & alia eius generis, quodq́ſubagreſtia, & parum Latina ſunt.

XIII. Biantis Prienei ſentẽtia relata, quo conſilio, ac ratiõe uti debeamus in decernẽdis cauſis, inter amicos uel inimicos.

CAPITA LIBRI XI.

I. Mirificũ prodigium de fulmine in natali M. Tullij ex annalibus Eutropij, ac de uiribus etiã fulminũ nõnihil.

II. De officio Tribuni militũ ex ſententia Aureliani cęſaris imperatoris, & eius epiſtola aſcripta ex Vopiſci hiſtoria.

III. De Pythagorica metamorphoſi, & Laberij poëtæ uerſus apud Tertullianũ recogniti atq; expoſiti.

IIII. De ſtatua Niobes à Praxitele, & ibidem Auſonij poëtæ nobile epigrãma ex Græco: tum de eadem Niobe ex Pauſaniæ commentarijs.

V. Hiſtoria ex C. Plinio de Octauio Auguſto, quæ oui augurio in ſinu confoti, ſexũ futuræ prolis prenotauit, & alia item non iniocunda.

VI. De origine dei Canopi, ac eiuſdẽ ſimulachro, & quo cõmento ac fraude pro deo ſit habitus.

VII. Pacuuianũ ænigma de teſtudine, ac uerſus eiuſdem lepidiſſimi ex tragœdia allati, tum locus Tertulliani indicatus.

VIII. Scita & elegans obſeruatio ex lege ueteri de re uenerea, ac de edictis etiam Semiramijs ab Heliogabalo inſtitutis.

IX. De ſæuitia Macrini imperatoris, & qua crudelitate in adulteros animaduerteret, tum alia obiter addita.

De nomini-

X. De nominibus militum, & qui ſint Primani, Tertiani, Quintani & eiuſmodi apud Cor. Tacitū, & de Quartarijs mulonibus apud Lucilium.

XI. De Proculo & Regillo imperatoribus, & quomodo per iocum fortuna illudente imperij dignitatē adepti ſunt.

XII. Quid apud ueteres ſignificet Sororiare, & quæ ſint Mā-mæ ſororiantes in puellis, ac ibidem expoſitum quid Fratriare & Fraterculare ex Pompeij cōmentarijs, & Plinij locus emendatus.

XIII. Non credendum eſſe quod à C. Plinio ſcriptū eſt de C. Mecœnate, quòd inſomnis per trienniū fuerit, ac de his etiā qui ſomniantes inambulare conſueuerūt.

CAPITA LIBRI XII.

I. Qualis doctrina Platonis fuerit, & quomodo inter Pythagoram & Socratem medius fertur, ex Numenij Pythagorici ſententia.

II. Quibus uiribus polleant ſeptem planetæ in hominū corpore ex Arabum libris, ac de duodecim ſignis, eorūq́ȝ poteſtate ex ueterum ſententijs.

III. Egregiè factū, & ingenti animo à Petro Caponio Florentino cum Carolo rege Gallorū, in concerpendis tabulis coram eodem rege, cum iniquiores contra rempublicam uiderentur.

IIII. Quot in Romano exercitu legiōes forent ex hiſtoria Polybij uiri diligētiſſimi, ac de cēturijs & cohortibus nōnihil.

V. De ingenti animo Iulij cæſaris cum ad pontem Rubiconem acceſſit, edictum aſcriptum, quod in ponte fluminis legebatur.

VI. De Peris & Manticis, eorūq́ȝ nominibus, ac de Paſceolo, & Sacciperijs apud Plautū, inibiq́ȝ de Hippoperis apud Anneum Senecam.

VII. De Romanis ſpectaculis & ludis apparatiſſimis Probi im-

imperatoris,cum de Germanis triumpharet ex hiſtoria Flauij Vopiſci.
VIII. De ueteri Germanorum republica & corũ moribus,inſtitutis,ac legibus,tam in militia,quã in religione,non contemnenda obſeruatio.
IX. Vrbanè factũ à Claudio imperatore de ſcypho ſurrepto à T.Iunio in conuiuio,ac res ibidem explicata.
X. Iudicium factũ ab Hadriano imperatore de Aegyptijs populis, eorumq́ moribus, ac ibidem epiſtola pereleganst Phlegõtis Trulliani,ac de eius operibus nonnihil.
XI. Dictum elegans Phauorini philoſophi de Hadriano imperatore,ac ſimile quiddam Aſinij Pollionis cum Octauio Auguſto.
XII. Verba Hieronymi expoſita de Hiſmenia,contra quorundam inſcitiam atq; ineptias,tum de Antigenide, & Hiſmenia tibicinibus nonnihil additum.
XIII. Deos Aeuiternos & Aeuintegros à poëta Ennio appellari,& Apulei uerba appoſita de dijs æuiternis.

CAPITA LIBRI XIII.

I. Pulcherrima deſcriptio de naturæ ordine ac poteſtate ex Bardeſane Syrio, ac Pacuuij carmen allatum de re conſimili.
II. De malo ciuiliũ diſſenſionũ,& imago diſcordiæ, elegantiſſimis uerſibus à Petronio Arbitro deſcripta.
III. Romanorum lex de dijs colendis ac probandis per ſenatum,populumq́ Romanum, ac de Chriſto etiam & quantum Tiberius imperator illi conceſſerit.
IIII. De nimia feritate Saporis regis contra Romanum imperatorẽ Aurelianum,ac de Tamburlano etiam principe ſimile exemplum contra Bayſettũ Thurcarum imperatorem.
V. De L. Metello uiro clariſſimo, & quòd in tota uita decẽ præcipua pro uoto ſit conſecutus, ac de Craſſo etiam Mutiano

tiano,eiuſq; inſignibus.

VI. Diligens adnotatio de generibus telorum ac nominibus & quæ cuiuſq; gentis ſunt,tum de Lancea & Ceſtris nonnihil.

VII. De anatomice diſciplina,& hiſtoria de Ariſtomene Meſſenio,qui hirſuto corde fuerit, ac ibidem relata quædam ex ueteribus de humano corde.

VIII. Quomodo Diocletianus cæſar imperij dignitatē cōtempſerit,& quibus uerbis apud populū Rom.deprecatus ſit.

IX. Diſſentire C.Pliniū ab antiquis ſcriptoribus de urſis Numidicis,& quòd in Libya & Numidia celebrentur ex Solino,Herodoto, & alijs.

X. De figuris & effigie elementorum ex Pythagorica doctrina apud philoſophum Platonem.

XI. Quod in Romana theologia forent deus Sentinus,& deus Vitunus,ac de dijs etiam ſelectis nonnulla ex Varronis & Auguſtini commentarijs.

XII. Quàm ſit grauiſſimum crimen nimia in homine inſolentia,& quòd pro comitiali morbo habeatur,atq; execretur à philoſophis.

CAPITA LIBRI XIIII.

I. Quàm probis moribus & egregia doctrina Plutarchus præſtiterit, ac ibidem epiſtola eiuſdem aſcripta ad Vlpium Traianum Auguſtum.

II. Sacricommiſſum,& Implecōmiſſum, quomodo inter ſe differant,ex pontificū legibus,& quid ſignificent.

III. De obitu dæmonū,ac memoranda hiſtoria de Panis interitu Tiberio cæſare imperante,ex Plutarcho,& Euſebio,tū de Chriſto etiam nonnihil.

IIII. Galieni imperatoris dicta imprudēter contra Romanam rempublicam & quo animo fuerit in acceptis cladibus atq; defectionibus.

V. Probro fuiſſe apud Romanos ut equites,ac pedites in cœlibatu eſſent,tum leges allatæ contra cælibatũ, & quid item Moſes,& Plato ſtatuerunt.

VI. De centenarijs cœnis,ac uerba Tertulliani expoſita,tum de lege Fannia & miliarijs apris & columnis.

VII. De urbanitate M.Antonij cum Græcis, & quo cõmento Atheniẽſium blandimentis illuſerit, ac digno talione repreſſerit.

VIII. Quæ ſit apud Syrios dea Adagartis, ac de eius ſimulacro & quòd uirginis ſignum pro iuſtitia ſit à Nigidio figulo acceptum,eiuſdemq; uerba appoſita.

IX. De triplici numerorũ propoſitione in arithmetice,muſice ac geometrice,tum de eleganti ſimilitudine ad rempublicã.

X. De Romanorũ ſtudio in bonis diſciplinis,& relata contentio inter Lucullum,Hortẽſium & Siſennam de hiſtoria Marſica componenda.

XI. Qua urbanitate Antoninus Getha imperator per litterarum ordinem conuiuia ſtrueret,quibusq; notis fercula ipſa prænotaret.

XII. Quòd nullæ deorũ imagines per clx annos in urbe Roma fuerint ex Numæ doctrina,& quòd Hebræi quoq; nullas in templis imagines haberent,aliaq; de templis atq; imagininibus memoranda.

XIII. An uerùm ſit quod de Numa & Pythagora notauimus, ac ibidem probatum habuiſſe Romanos temporibus Numæ regis imagines deorum.

XIIII. De Aſclepiade Medico, qui lectos ægrotis ſuſpenſiles primus excogitauit,ac de triclinijs uerſatilibus imperatoris Heliogabali.

CAPITA LIBRI XV.

I. Hiſtoria de Cleomede Pyctæ, & quibus geſtis atq; honoribus

noribus claruerit ex Theodereto,& alijs authoribus.
XI. Nobile exemplum de Alexandro Macedone contra inutileis labores,& nimis curioſam ſedulitatem.
XII. Quid ſint apud iurecõſultos Reliquatores,& quid item Reliquari,& Reliquatio,ac loci aliquot in iure ciuili expoſiti.
IIII. Quàm de,pro quàm,apud ueteres dici ſolitum, & Lucretij poëtæ uerſus emendatus atq; expoſitus, tum alia ibidem addita.
V. De Hadriani imperatoris ingenio & urbanitate, & quo talione Florũ poëtam repreſſerit,uerſiculis eiuſdem relatis.
VI. Dici ſolitum apud ueteres Trabes,Canes,Duces in ſingulari,pro eo quod eſt trabs,canis, & dux, & alia eiuſmodi obſeruata ex M.Varrone & alijs.
VII. Qui ſunt apud iurecõſultos Pedanei iudices,& qui item Pedarij fautores & ſenatores ex cõmentarijs Atticis.
VIII. Quàm eruditè à noſtris iureconſultis uerba Latina exponantur,& quomodo apud eos liberi & parentes accipi debeant,non aſpernanda obſeruatio.
IX. Quanta calamitas rei Latinæ acceſſerit ex interitu Hermolai Veneti,Pici Mirandulæ,& Angeli Politiani, tum de liberalitate Laurẽtij Medicis erga Hermolaum,ac de iniquitate ſui temporis.
X. De dijs ipſis,eorumq; nominibus in Romanis ſacris,qui ſegetibus ac frumentis præſiderent ex Varronis & Auguſtini libris.
XI. Quã molli animo Artemon Periphoretus fuerit,& hiſtoria perlepida de mirifica eius formidine.

CAPITA LIBRI XVI.

I. Quæ fuerit origo Hetruſcæ diſciplinæ,ac de Tagete uate,qui è Glebis extitit, eiuſq; libris diligenter obſeruatum.

II. De ſerpentum natura & genio in Aegyptia theologia, & qua ratione accipitris caput illis addatur, aliaq; de accipitre memoranda.
III. De fœdere inter Gabios & Romanos, quòd in corio bouis inſtar clypei exaratum fuerit, & unde clypeis nomen, & quid item Clypeare uerbum deſignet.
IIII. De uiribus & ægritudine amoris, ac de eius remedijs copioſè relatum ex Arabum commentarijs.
V. M. Varronis oraculum de Romano imperio, quod ex augurio XII uulturum per M.CC annos futurum eſſet.
VI. Qui fuerint apud ueteres Adamiani, & Nyctages hæretici, ac de Lychnobijs etiam hominibus, & Horatij locus expoſitus, tum de his qui Himerobaptiſtæ dicerentur.
VII. Quibus rationibus Ageſilaus princeps, & Plotinus, ſuas imagines effingi noluerunt, ac de Alexandro item Macedone nonnihil.
VIII. Qui Abecedarij, Syllabarij, ac Nominarij ſint apud Hieronymum, ac de Abecedario ex uerbis Hieronymi & Auguſtini.
IX. De Romanis uatibus antiquiſſimis, eorumq; hymnis & canticis, tum qui dicerentur Mineruij, Ianales, & Iunonij uerſus.
X. De M. Antonio qui leonibus ad currũ iunctis uehi conſueuit, ac de Heliogabali portentoſo ingenio, qui leones, tigresq; & mulieres ad currum iunxerit.

CAPITA LIBRI XVII.

I. Quot apud ueteres idiomata celebrentur, ac de illorum inuentoribus, tum perelegantes ſenarij appoſiti, & de Gordiani imperatoris ſepulchro.
II. De Maximini imperatoris ſæuitia, & uerſiculis contra eum uulgò prolatis.
III. Horatij carmen expoſitum de Cyclopo in ſcena ſaltante

& de Cyclopeis ludis ex ueterũ authoritate, ac Lucilij uerſus de Polyphemo.

IIII. Quo habitu ac figura ſtylus eſſet apud ueteres, ac de parte eius deletili, & quid item ſit ſtylum uertere ex Auguſtino, & Hieronymo & alijs.

V. Quæ ſint ſeiperaſtra in geniculis puerorũ alligata, & Ariſtotelis uerba in politicis, ex Varronis ſententia expoſita.

VI. Quid ſit propriè Lychnuchos, & emendata uox in Suetonij hiſtoria, tum Lucretij poetæ carmen additum.

VII. Quid in ueterũ numis ſit A.A.A.F.F. ac de tribunitia poteſtate ad numos ſignandos, tum locus ex decemuiralibus tabulis.

VIII. Qui ſint apud iureconſultos Directarij, & Dirigere, ac reſtituta in Pandectis uerior lectio, tum quid apud Græcos Tichobates intelligatur.

IX. De Tertulliani eruditione, ac eius uerba contra Marcionẽ hæreticũ relata, & quomodo Hieronymus ea tráſtulerit.

X. Mos ueterum de mittenda imperatorum imagine ad urbem, ſiquando in abſentia crearẽtur, & quòd ipſi Iudæi nullas imagines Cæſarum recipere uoluerunt.

XI. Qui ſint apud Aeliũ Lampridium Bene naſati homines ac de imperatoris Antonini Heliogabali flagitioſa & infanda libidine.

XII. De Architæ columba uolatili ex mœchanica eius diſciplina, ac de Boëthij philoſophi pari ingenio & doctrina ad mœchanica quædã miranda efficiẽda ex Caſſiodori Varijs.

XIII. Mirandũ & adynaton uideri quod à Ioſepho traditur de Alexandro Macedone, ut huic perinde ac Moſi mare Pamphilicũ patuerit cũ transfretaret in Perſas cum exercitu.

XIIII. Aureliani imperatoris epiſtola ad Zenobiã Palmyrenorum reginã, & eius reſponſum quã alto & generoſo animo ad eundem ſit redditum.

Vnde

XV. Vnde rerum principia atq; effectus in uita exiſtant:& quo modo aſtrologi, Phyſici, atq; Theologi inter ſe diſſentiunt.

XVI. Quid ſit morbus Tonſillarum, in qua maximè parte cor/poris, qualiq; origine dicantur Tonſillæ.

CAPITA LIBRI XVIII.

I. De Hormiſda Perſarum principe, & quo aſtu, atq; commento è cuſtodia ſit liberatus ab uxore.

II. Vergilij carmen emendatum contra quorundam inſcitiã
Furit intus aquai:
ex Quintiliano & alijs authoribus.

III. Dictum Demoſthenis de ſua fuga, ac uerba Tertulliani explicata, & quo pacto Cicero & Demoſthenes in proprijs cauſis maximè degeneres, ac timidi fuerint.

IIII. Horatij poëtæ uerſus expoſiti contra aliorum ſententiam de Attæ fabulis, cum inquit:
Recte nec ne crocum floresq; perambulet Attæ,
Fabula ſi dubitem:
ac de croco in ſcenis copioſè expoſitum.

V. Quid apud ueteres Muginari ſignificat, & quomodo ea uoce utatur Cicero, & quid item ſit apud Varronem ex pro/uerbio Min facere.

VI. Qui ſint propriè Milites æredíruti apud poëtam Auſoniũ, ac eiuſdem uerba in epiſtola explicata.

VII. Quo pacto Varronis uerba in libro de agricultura emen/dari oporteat, & quo ſenſu accipienda ſint.

VIII. Accij poëtæ uerſus apud Apuleium recogniti, & quo pa cto mutuatus ſit illos ex Acciana tragœdia.

IX. Egregiè factum à rege Alfonſo in legenda Liuij hiſtoria contra imperium medicorum, & de ſimultate inter eum & Coſmam Medicem.

X. M. Ciceronis uerba expoſita de L. Tubulo ſacrilego, & Luciani uerſus additi de eodem, tum quàm acri carmine Ro manos

manos ciueis Lucilius exagitarit.

XI. Quanta ſæuitia fuerit Auidius Caſſius, ac de ſupplicio illius ad necandos homines per fumum, tum de his etiam qui fumos uenderent nõ inelegans obſeruatio.

XII. Relatum ex lege Menia de comprimendis morientium oculis, & quòd minimè filijs liceret parentum oculos occludere.

XIII. Verbum quod eſt Subulo Hetruſcum eſſe, ac pro tibicine accipi, & Macrobij uerba de Subulonibus aſcripta.

XIIII. De animantibus quæ in igne uiuant, ac de Chamæleõtis facie, ingenio, & coloribus.

CAPITA LIBRI XIX.

I. De remedio expergiſcendi à ſomno, & quomodo inter ſe differant authores de Alexandro Macedone & Ariſtotele philoſopho enarrantes.

II. De inſtrumẽtis militarium machinarum, & earum uocabulis, ac de Tellenone, & de machina Demetrij ducis quæ Poliorches dicebatur.

III. Ennij poëtæ carmẽ de Pub. Scipione allatũ, & Ann. Senecæ uerba in epiſtolis emẽdata atq; recognita.

IIII. Caſſii Seueri dictum perelegans in Labienũ hiſtoricum ac de improba eiuſdem Labieni dicacitate.

V. Quid ſit Repandiroſtrũ, & Incuruiceruicũ pecus, ex Pacuuio apud M. Varronẽ, & emendata ibidem uerba atq; expoſita contra imperitorũ ſententiam.

VI. De imagine Nemeſis, eiuſq; poteſtate & nominibus & epigramma Auſonij expoſitum.

VII. De prudenti reſponſo Cecilij Metelli ad amicũ, qui eius animi conſiliũ ſcire cupiebat, neq; eſſe cuiusq; ingenio facilè confidendum in rebus grauioribus.

VIII. Ceruos ꝓ ſeruis & fugitiuis accipi apud ueteres, ac Martialis poëtæ carmen expoſitũ contra aliorũ ſententiam.

IX. Marci Ciceronis uerba emendata atq; expoſita in libro de optimo dicendi genere, ex Lucianis uerſibus de Eſerni no oratore.
X. Locus elegans Heliogabali imperatoris de ſuis cõuiuijs in diſcumbendo, ac de Sigmate etiã menſa, uel ſedili, & q ea uoce Martialis utatur.
XI. De Cymbio uaſe, & Carcheſio, & quo pacto Macrobi us fœdè errauit, cum de his diſſerit in Saturnalium commẽ tarijs.
XII. Quibus cauſis Romanus populus atros dies ac luctuo ſos haberet, ac de minuendo luctu & publicè & priuatim.
XIII. De Necepſo rege & philoſopho, eiusq; magice, & Pauli ni poëtæ uerſus expoſiti ex Firmico Materno & alijs.

CAPITA LIBRI XX.

I. De Sibyllarũ diuinatione, quæ in Branchis ac Delphis uaticinia redderent, ac ibidem nõnihil de prophetis relatũ, ex doctrina Platonicorum.
II. Mos ueterũ relatus in comitijs dirimendis Ioue tonante fulgurante, & q Flaminica etiam feriata tunc eſſet.
III. Quòd in Tiberis undatione draco maximus per urbẽ ui ſus ſit, Maurico imperãte, ac de alio item Auguſti Cæſaris dracone, quem pro comitio oſtentauit, & alia ibidem cõſi milia ex hiſtorijs ueterum allata.
IIII. De ſymbolis Aegyptię theologię, ac de Lotho arbore, ſu per qua deus locaretur, aliaq; obiter non iniocunda de Lo tho capillata.
V. Scita admodum ac elegans expoſitio à Plutarcho de ori gine uerbi quod eſt Spurius, ac nonnihil etiam de Latinis prænominibus.
VI. De Veſtalium capillis, qui ad arborẽ Lothon obruerent ac Plinij locus expoſitus, tum quæ arbores felices aut infeli ces à ueteribus haberentur.

Quid

VII. Quid apud ueteres ſit Prætextatus ſermo, ac de uerbis Prætextatis, & quomodo in ea uoce parùm conſentiant authores.

VIII. Aenigmata duo allata, unum ex Platone, alterũ uerò ex fabulis Plautinis, & utrũq; lepidum, & perurbanum.

IX. De licentia ueterum poëtarum in notandis hominibus, ac elegans parodia Metelli conſulis contra poëtam Næuiũ, tum de lege à cenſoribus lata, qua poëtarũ maledicentia reprimeretur.

X. De morbo elephantiaſi, & unde nomẽ acceperit, ac de lichenis ibidẽ, & Gallica ſcabie cõtra quorundã inſcitiam.

CAPITA LIBRI XXI.

I. Qui maximè dicantur apud ueteres nullo affectu perturbati, ac de M. Antonino imperatore & Philippo Auguſto, qui nullo unquã commento ad riſum potuit excitari.

II. De Mario Gratidiano, uiro pretorio, & quanta immanitate à Sergio Catilina diſſectus atq; interẽptus fuerit in Syllanis tumultibus, ex Iulio Firmico, & alia de Catilina & Cicerone addita contra Feneſtellam.

III. De uaticinijs per aquã & per uinũ, & apud quos maximè populos clara eſſent ex Plutarcho, & alijs authoribus.

IIII. Iunonis Monetæ nomen & origo allata, tum de eiuſdem templis & inſcriptione in nummis Cæſaris Domitiani Auguſti.

V. De uiribus dæmonũ, & quòd eorum ſex genera tradantur, diligens adnotatio ex cõmentarijs Pſelli & Auguſtini.

VI. Quæ figura ſit dicendi in ueterum libris Mediusfidius, quaq; origine cenſeri debeat, ac de Fidio deo nonnihil.

VII. Quibus uerbis in Latino ſermõe uti debemus, & quã uerecunda eſſe debeat in cõponendis uocibus tralatio.

VIII. De inſigni atq; mirifico portento infantis, qui duplici

pectore atq; capite biennium uixerit hiſtoria non contemnenda, ac de cauſis portentorum.

IX. Traditum eſſe, quòd ex uiris ſapientibus plerunq; inſani ac dementes gignantur, exemplo addito de Ariſtarchi filijs uiri doctiſſimi, & aliorum complurium ex Aelij Spartiani uerbis.

X. Quo modo accipiẽdum ſtadium, & quã multiplex fuerit ac nonnihil etiam de alijs menſuris.

XI. Praeclarè factũ atq; ingenti animo ab Auido Caſſio Auguſto, in ſeditione exercitus, atq; eiuſdẽ uerba ibidẽ relata.

XII. Quibus liceret in urbe ſepeliri, ac de Poſthumio Tuberto, uiro conſulari, de quo M. Cicero in legibus ſubobſcurè intellexit.

XIII. De Romanis familijs Fabiorum, atq; Curionum, & qua maximè dignitate in ciuitate prę ſtarunt, tum de Lepidis etiã breuiter adnotatum.

XIIII. Quantũ ſit ab amoris contagio abſtinendũ, ex Cratetis philoſophi ſententia, ac ibidem Panetij uerba notata ex Anneo Seneca, in quibus par grauitas atq; doctrina exiſtat.

XV. De ſtudio ueterum in auſpicijs, ac de his auibus quae omi noſae, ac inauſpicatae haberentur, quaeq; Oſcines aut Praepetes dicerentur.

CAPITA LIBRI XXII.

I. Copioſè expoſitum de Aſoriticis pauimentis, ac de Lithoſtratis, ſeu teſſellatis, de opere uermiculato, ac de Croſtratis nonnihil.

II. De poena Romanorum ciuium per uiteis, ac Plinij uerba expoſita ex hiſtoria de Scipione Aphricano, tum de uite centuriali copioſè.

III. De ſortibus Praeneſtinis, earũq; origine apud Romanos & quomodo aederent̃ in templis, ac Liuij locus expoſitus.

IIII. Quanta prudẽtia M. Cato iudicauerit nõ eſſe publicè audiendos

diendos in Romana ciuitate tres Athenienſium oratores, id eſt Carneadem, Critolaum, Diogenem, ac de illorum mirabili ingenio & facundia.

V. Quæ differẽtia tradat inter deportatos & relegatos, & qui maximè authores Deportari homines ac portenta ſcribãt.

VI. De quadragenario numero & eius poteſtate in puerperijs & infantibus, tum de feſto die quẽ Græci Tetracoſton appellant.

VII. De clemẽtia M. Antonini imperatoris, & qbus maximè uerbis cõtra ſe ipſum cõſpirantibus parcendũ monuerit.

VIII. Quã cõſtanti, & alto animo fuerit M. Cato, & eius dictũ de ſe, cum bella inter cæſarẽ & Pompeium æſtuarent.

IX. De Proſa & Poſtuerta Romanis dijs, ac ibidẽ de Anteuorta, & quòd inter ſe differant, quaq́ ratione colerentur à Romanis.

X. Quæ ſint Samiata ferramenta in Aureliani Auguſtini epiſtola, & Samiare arma, ac de Samijs uaſis & Numæ Capedunculis in Romanis ſacris.

XI. De oratore Iſocrate, eiusq́ inſigni facundia, & quo modo tria imprimis notanda præſtiterit ex hiſtoria Pauſaniæ.

XII. De eruditione Criſpi Paſſieni, & eius eleganti ſententia in habendis, probandisq́ amicis.

CAPITA LIBRI XXII.

I. Quòd Octauius Auguſtus tria potiſſimum in uotis habuerit, ac de fortunæ uiribus, honore, & nominibus apud Romanos.

II. De immodico luxu Antonini Heliogabali imperatoris ac de eius culcitris cum leporinis pilis, & perdicum plumis, ibidemq́ expoſitum de accubitis.

III. Quæ diuinationis ſpecies habenda ſit Capnomantia, & Statij poëtæ uerſus allati, atq́ expoſiti ſuper hac uaticinandi ratione.

IIII. Quòd imperante Tiberiò uitrum flexibile, ac ductile redditum ſit, & qua pœna tantæ inuentionis author damnatus fuerit.

V. Quibus cibis uenenata quædam animātia uiuant, ut Viperæ, Scorpionesq́, ac de amphibijs etiam & alijs.

VI. Deos eſſe accipiendos tam fœminino genere, quā maſculino, ac de Luno etiam deo pro Luna, & quo cultu atq; inſtitutis apud Carras coleretur.

VII. Iudicium à poëta Marullo factum de Latinis poëtis, & quo uitio notati ſunt, aut quo ordine habendi.

VIII. De Iuliorum, & Antoninorū familijs, & quòd in hominibus improbiſſimis, atq; monſtroſis defecerint.

IX. Vinum eſſe remedio contra aconitum, ac defenſus à calumnia quorundam Macrobius, qui cicutam pro aconito audacius, quā uerius in eius Saturnalibus reponunt.

X. Quàm iniquo animo Porphyrius philoſophus Chriſti religionem ſit inſectatus, atq; eiuſdem falſum atq; improbū uaticinium appoſitum, in quo Chriſtianos ipſos per trecentos ſexaginta annos duraturos ſcripſerit.

XI. De Val. Homulli ingenio, & eiuſdem dictis cōtra M. Antoninum imperatorem, eiusq́; conſtantiam.

XII. De diſciplina Arabum in aſtronomicis, & quòd ipſa hominum ætas certis temporibus ad planetas referatur.

XIII. Expoſitum diligenter quid Hoſtorium ſit, quid Rutrum & Rutellum, ex Lucilij carmine, ac de imaginibus etiā cum rutro.

XIIII. Vnum eſſe hominem inter omnia animantia, qui calidis in potu utatur, & ad Venerem pro libidine quocunq; anni tempore accedat.

CAPITA LIBRI XXIII.

I. Quantum Ariſtoteles Platoni magiſtro conceſſerit, ac uerſus in ara ab eo poſiti, & quòd magi etiam Platonici immolarunt

molarunt propter abſolutum nouies nonuenarium nume-
rum.
II. De cultu quorundam animãtium à uarijs populis, & de Syria dea, eiusq; effigie relatum.
III. Mercurij Aegyptij uerba de natura, ac de maieſtate dei, deq; ſpiritu & mundi materia, ac de homine.
IIII. Poëtæ Lucretij obitum eodem die contigiſſe, quo Pub. Vergilius uirilem togam induit, Licinio & Pompeio Coſ. ac de natali poëtæ Vergilij.
V. Quã ſeuerè factum ſit à Romanis contra inſolentiam, & de conuitijs atq; contumelijs, quę publicè in triumphantes à ſeruulis dicerentur.
VI. De animãtibus, arboribus, ac lapidibus quæ naturali cõ-ſenſu cum Solis & Lunæ uiribus conſentiant.
VII. Verſiculi aliquot in Vergiliano poëmate emendati, ac de dactylicis, & ſpondaicis numeris nonnihil.
VIII. Qua ratione intelligatũ uer ſacrũ fieri, ac uerba Plinij ex-poſita de populis Sabinis ex hiſtoria Siſennæ.
IX. Plauti uerba expoſita in prolo. Pœnuli, quo loco Ariſtar chi Achillem nominat contra imperitorum ſententiam.
X. Perlepida hiſtoria de Phryne meretrice & Praxitele, & quo cõmento uſa ſit in explorãdis Praxitelis operibus, quæ abſolutiora forent.
XI. De doctrina Ioãnis Scotti, & quã ſæuiſſima cæde ab in-gratiſſimis diſcipulis interemptus fuerit.
XII. Verba ex epiſtola diui Auguſti relata de luxu, & mollitie Mecœnatis, & quàm impudenter atq; inſcitiſſimè ab imperitis deprauata ſint.
XIII. De impia, & uaniſſima ſuperſtitione Templariorum, & quo modo à Clemente pontifice maximo abolita fuerit nõ iniocunda cognitio.
XIIII. Tertulliani uerba expoſita de Curio aleatore, & q; nobilis

tradatur

tradãt fuiſſe in talari ludo ex M. Cicerone, Pediano & alijs.
XV. Quid ſignificent hæ uoces, hoc eſt Tricones apud Iulium Capitolinum, & Limphyones in epiſtola Phlegontis liberti, ac de Lympholentis nonnihil.
XVI. Quis apud ueteres Aegyptios maximus omniũ deus haberetur, qualiq; imagine ſit ex oraculo Serapidis celebratus.

CAPITA LIBRI XXV.

I. Qui maximè homines comitiali morbo uexarent, & quibus argumentis agnoſcantur ex L. Apuleio & alijs.
II. De nominibus auſpiciorum apud ueteres, ac de illorum ſuperſtitioſis obſeruationibus ex antiquis grammaticis.
III. Quanta fuerit Eſdræ ſacerdotis eruditio, & quàm mirifica eiuſdē memoria, in ordinanda atq; componenda Hebræorũ philoſophia, ac de Cabala etiã nõnihil ex uerbis Pici Miran.
IIII. Quid ſit apud iureconſultos præſcriptio quinq; pedum ac Ciceronis uerba expoſita in libris de legibus.
V. Quæ foret in libris pontificum dea Tutulina, & de ſacerdotibus Tutulatis in Saturnio carmine diligenter notatum.
VI. Lapidare & Lapidationes uario ſignificato intelligi, & quid item Lapideſcere, ac Lapire ſit explicatum.
VII. Quo nomine apud ueteres mãna diceret, ac de illius uſu et cognitione apud medicos, tum de manna thuris nonnihil.
VIII. Quæ habita ſit apud ueteres authores minor mulcta, & maxima, ac de mulctandis iniurijs ex duodecim tabulis diligenter obſeruatum.
IX. De oraculis quæ æderentur in Dodone ex ſonitu peluium & Auſonij poëtæ carmen de hoc expoſitum.
X. Quid ſit ſonticus morbus in legibus decemuiralibus, & ſontire uerbum in quo ſignificatu accipiendum ſit
XI. De nominibus & poteſtate deorũ apud ueteres, & quã inanis ac futilis eorum ſuperſtitio foret copioſè enarratum.

Finis indicis ſingulorum capitum, librorũ Petri Criniti.

INDEX

INDEX MEMORABILIUM, QUÆ HIS LIBRIS CONTINENTUR.

A

ABſtemij piſcium Sirij 350.
Accius poëta 404.
Accubitalia 340.
Accubitæ quid ſint 340.
Adad deus Aſſyriorum 217.
Adulterorum pœna 183.
Adytus Bacho ſacer Lyguri 313.
Aenigmata duo expoſita 306.
Aegyptiæ theologiæ ſymbola 301.
Aegyptij lepra infecti 308.
Aegiptij & Lacedæmonij tollerant fures. 57.
Aegyptij quales ſint ex Vopiſco in uita Saturnini 199.
Aegyptij quales ex Pomponio Mela 133.
Aegyptij ſycophantæ 151.
Aegyptiorum litteræ hieroglyphicæ 115.
Aegyptiorum deus maximus 364.
Aegyptiorum ſuperſtitio in cultu animalium 350.
Aegyptus terrarũ parens 133.
Aemilianus rhetor 217.
Aemilius Macer 458.
Aequilibritas apud Ciceronem 69.
Aeſchyli interitus 23.
Aetas hominũ quomodo diuiditur per aſtronomos 346.
Aetas Moſis prophetæ 126.
Aeuitas quid ſignificet 145.
Aeuiternus genius 202.
Afranius poëta 411.
Affectu nullo perturbati qui 301.
Agelaſtos dictus Marcus Craſſus 310.
Agrippæ qui ſint 336.
Aius deus 313.
Albius Tibullus 448.
Alce meretrix 177.
Aleator nobilis Curius 362.
Alexander aleæ fortunam rexit 246.
Alexandri Macedo. natalis dies 4. & 20.
Alexandri uindicta in eos qui fumum uenditabant 279.
Allocutius deus 313.
Ambire 20.
Amilius Gentilianus 247.
Amici qualiter accipiendi & probandi 336.
Ammiani clementia 289.
Annus unde dictus eſt 20.

Amori non amplius cōceden dum ꝙ uirtute 28.
Amoris ægritudo qualis & eius ſigna 241.
Amoris contagio quāta ex Panetij uerbis allata ex Sen. folio 322.
Amphiuia animalia 342.
Amphora pendēs Bonoſi 141.
Amputare quid ſignificat 20.
Amulentū peſtilentiæ 12.
An pro circum 20.
Anacharſis de ſtatu Athenienſium 8.
Anacreontis interitus 31.
Andinus uates Verg. 439.
Anaxarchidis patientia 154.
Ancus Martius 65.
Andriſcus Adramitenus 290.
Antigoni filius poliorchites folio 285.
Animaliū quorundam uictus folio 205.
Animantia quæ uenenis alantur 342.
Animātia quę cum lunę & ſolis uiribus conſentiāt 355.
Animantiū corpus ex quattuor elementis 114.
Annei Senecæ locus expoſitus de meta ſudante 134.
Anneus Seneca 489.
Annei Senecæ ſentētiæ ediſcēdæ 21.
Anneus Lucanus 474.
Anquiro & anquiſitio uocabula Romana 19.
An ſanctum 20.
Anſeres ſacri habiti à Romanis 350.
Anteuorta dea 330.
Antropophagi qui 54.
Antias Furius 435.
Antonini Heliogabali luxus, folio 337.
Antoninorum familia qualis folio 345.
Antonius dictus Heliogabalus 249.
Antonius Commodus gladiator 24.
Apelli Alexandris imaginem pingere permiſſum 246.
A. Perſius Flacus 471.
Apis natura 118.
Apollini lothos ſacra 302.
Apollo Clarus 313.
Apollo deus 380.
Apologus perelegans de Furio Creſino 25.
Aqua mulſa 69.
Aquilus poēta 414.
Arbitri Petronij de Ciconia dictum 75.

Arbores

Arbores damnatæ 304.& 305.
Arbores quæ cũ ſolis & lunæ uiribus cõueniunt 355.
Arabum diſciplina in aſtronomicis 346.
Areopagitæ libri latinitate donati 360.
Arietes reciprocicornes 39.
Ariſta 236.
Ariſtarchi Achilles quid ſit apud Plautum 358.
Ariſtarchus Alexãdrinus grãmaticus 318.
Ariſtarchus Philometoris præceptor 318.
Ariſtippi reſponſum cur doctiores potius ædes locupletũ quã pauperũ petant 130.
Ariſtoteles ἀνηβὴς 131.
Ariſtoteles quantum Platoni conceſſerit 348.
Ariſtoteles commendat Platonem 350.
Ariſtoteles accuſatus de hymno in Hermiam ibidem 162.
Artaxerxes à 50 filijs neci traditus 138.
Artaxerxes 125 filios habuit folio 138.
Arthabeſdis 143.
Aruntius Stella, Patauinus folio 314.
Aſarotica pauimenta 324.
Aſinius Gallus 470.
Aſinius Pollio 20. primò imagines ſtatuit 247.
Athenienſiũ adminiſtratio ex Anacharſis Scythæ ſententia 8.
Athenienſiũ hierophantæ 156.
Athenienſiũ oratores qui Romæ nõ erant admiſſi 329.
Atræ bilis uis 49.
Atri dies & luctuoſi Romanis 296.
Atta poëta 423.
Attæ qui dicantur 423.
Attici Romani uaria noĩa 417
Attilius poëta 413.
Auaritiæ crimẽ quomodo deteſtandum 21.& 22.
Aues diræ & ferales 323.
Aues oſcines 324.
Aues quæ uolatu futura protẽdunt 324.
Aues præpetes 324.
Aues inebræ 324.
Aues auſpicatæ & inauſpicatæ folio 324.
Augures quinq; genera auſpiciorum obſeruare 367.
Auguſti Octauij relata de luxu Mecœnatis 360.
Auguſti cõſiliũ in amicitia 336

Augusti Octauij edictum de toga 52.
Augusti cæsa, dracones comitio exibiti 301.
Augusti Octauij tria potiſſimum uota 337.
Augustini ſententia de poëtis folio 50.
Auidij Caſſii conſpiratio contra Antoninum 324.
Auidij præclarè factum 320.
Aulus Serenus 498.
Aurelius Propertius 452.
Auſpicatæ & inauſpicatę aues folio 323.
Auſpicia ueterum 323.
Auſpitiorū ueterū noīa 366.

B

Bacchus deus 381.
Bactriani populi 57.
Bambiena urbs 218.
Barbarorū deſcenſus ad Marathonem 289.
Bardiſanes de furibus 57.
Bardiſanes Caldæorū doctiſſimus 205.
Baſilius Magnus 114.
Belliſarij principis epiſtola ad Totylam 96.
Belliſarius dux 151.
Bellona dea 381.
Benedictus Phil. 159. & 270.
Biſantius dictus Iulianus 89.
Biſantius Iulianus ſimilis Alexandro 285.
Biſantiū Cōſtantinopol. 155.
Blandiri Atticorū uitiū 216.
Boëthij collatio Muſicæ, Geometriæ, Arithmeticæ 219.
Bonifacius pontifex inſolentiſſimus 129.
Bonoſus uinolentus 147.
Brutiani qui ſint 32.
Bubo auis inauſpicatiſſima folio 323.
Butæ prodigalitas 246.

C

C. Aſinius Gallus 470.
Cabula quid ſit 368.
Cabula librorū Eſdræ quā cōſentiat doctrinæ Chriſtianæ folio 369.
Caduca auſpitia quæ 367.
Cædes Ioānis Scotti à diſcipulis 356.
Cæleſtia auſpitia quę dicantur folio 367.
Cælibatus interdictus Romanis 213.
Cælibes cuſtodes ærarij 213.
Cælum à cælatura 72.
Cæritæ tabulæ 121.
Cæſius Baſſus poëta 467.
Cæſtron 308.

Caiana uilla 235.
Caius Furius 25.
Caldæis & Ariolis nõ creden dum 139.
Calidis potionibus ſolus ani mantiũ homo utitur 348.
Canaria auſpicia quæ 367.
Canes amatores 292.
Cani in homine 76.
Canities in iuuene 67.
Canonizari dij imper. olim & à ſenatu Romano 206.
Capillata arbor lothos 304.
Capillorũ præſegmina flami num recondenda 304.
Capnomantes 339.
Capnomantia quid 340.
Caponius imperator creatus folio 19.
Carbilius 400.
Carmani populi 113.
Carna dea 381.
Carneades orator quõ Rom. non audiebatur 329.
Carinus imperator 253.
Cartheſium 295.
Carolus Caluus Francorum rex 360.
Caryſtium lapis 55.
Caſſii conſpiratio contra An toninum 334.
Caſſius alter Catilina dictus folio 179.
Caſſius Seuerus poëta 463.
Caſſius me uiuum uri oportet inquit 286.
Caſtra lecticariorum 126.
Catilinæ maxima immanitas in Mariũ Gaditanum 311.
Cato omniũ bonarũ artiũ ma giſter 32.
Cato ebrius inſectatus 123.
Catonis magnanimitas 335.
Catonis prudẽtia q̃ nõ eſſent audiendi Atheniẽſium tres legati 329.
Catonis notatã incõſtatia 123.
Catulus poëta 422.
Claudij pulchri inuentum de fulgure 36.
C. Clodius Sabinus 479.
C. Germanus Auguſt. 465.
Cenſorinus Romanus 244.
Cenſorũ leges contra maledi centiam poëtarum 308.
Centuſſis lex centenaria 215.
Centenaria cœna 215.
Ceres dea 381.
Cerui pro ſeruis & fugitiuis folio 291.
Charondas 9.
C. Helinus Cuma 431.
Chriſtiani dicti Aſinarij 14.
Chriſtiani reuocati à Maximi ano

..ano & eius ſæuitia 119.
Chriſtianorũ imagines ſublatæ è templis 155.
Chriſtianorũ pontificũ improbitas & impudentia 129.
Chriſtianorũ deus ὀνοκοίτης 15.
Chriſtus Ieſus accipiẽdus pro deo ex Gamalielis dicto 160.
Chriſtus Chreſtus dictus 15.
Cicer iactum in acum 226.
Ciceronis locus reſtitutus 292
Ciceronis excuſatio in cauſa cum Catilina 312.
Ciceronis puſillanimitas 271.
Ciconia pietaticultrix & gracilipes dicta 75.
Ciconia ſculpta in regum ſceptris ſolita 75.
Ciconia Theſſalis ſacra 350.
Cillere 124.
Cilones 124.
Cingulũ militiæ quibus cõceſſum à Romanis 89.
Ciuitatis uenenum 204.
Clarigatum accedere 116.
Clemẽs abolitor ſectæ Tẽplariorum 361:
C.Licinius Imbrex 414.
Cliuia & Cliui 367.
C.Lucilius poëta 408.
Clypeodes gemma 240.
Columbæ cultæ à Syrijs 350.
Coloris triplicis tentoriũ Tamburlani 5.
C.Mecœnas 456.
Cõmentariũ ànquiſitionũ 20.
Comœdiæ Philippidis authoris interitus 11.
Comitiæ quando dirimerẽt folio 299.
Comitialis morbus Herculeus dictus 365.
Comitialis morbus unde dictus 365.
Cõmodi impatoris natalis 24.
Cõmodi imper. crudelitas 37.
C.n. Aquilius poëta 414.
Cn. Cornelius Gallus 451.
Concordiæ res magnæ creſcũt folio 204.
Conſonantiũ eliſio in prolatione 275.
Conſualia feſta 382.
Conſules ſinguli binis præfecti legionibus 192.
Conſus deus 382.
Conſtantia Leænæ meretricis folio 154.
Conſtantij imperatoris reſponſio ad regem Saporem 315.
Conſtantij imperatoris ætas quo floruerit 33.
Cõſtantinopolis dicta Bizantium 155.

Conſtantio epiſtola miſſa à rege Sapore 34.
Conuiuiũ triumphantiũ 354.
C. Albi Pedonouanus 480.
Cordis humani natura & cui hirſutum 263.
Cordis humani creſcẽtia 125.
Corium draconis centũ uiginti pedum 301.
Corn. Licinius Caluus poëta folio 410
Cornelij Taciti libri honorati à Tacito imperatore 62.
Cornelius Gallus 451.
Cornelius Tacitus mendacio inceſſitur 221.
Cornificius poëta 431.
Corn. Seuerus 473.
Cornutus 270.
Corui & coruices aues 323.
Corpora ſancta 12 uultures apud Ennium 244.
Coturnices comitiales 366.
C. Rabirius 488.
Crathetis philoſophi ſentẽtia de amoris contagio 322.
Crines ueſtalium ſuſpenſi ad lothon 504.
Critholaus Athenienſ. orator quõ Rom. nõ audiebãt 329.
Crimen ſcopeliſmi 141.
Criſpus Paſſienus de amicis habendis 356.
Crucis ſignum quid fuit Aegyptijs 116.
Crucis ſigni uis 116.
C. Ticida poëta 434.
C. Titius Roma. 68.
C. Valerius Catullus 427.
C. Vale. Flaccus Setinus 487.
Curionũ familia unde orta 322
Cultus quorundã animantiũ apud uarios populos 350.
Cunina dea 381.
Curius aleator 362.
Cylones 124.
Cymbium quid 294.

D

DAciæ longitudo 85.
Dæmones ſolares 356.
Dæmonũ uires 314.
Dæmonũ ſex genera 315.
Damnatus & reus quomodo differant 49.
Dardanus Magus 146.
Dec. Iunius Iuuenalis 488.
Decius Laberius 319.
Decius Syllanus 61.
De dijs uariæ opiniones 58.
Degeneres filij ex bonis parẽtibus 318.
Delapidata itinera 337.
De litterę maxima conuenientia cum littera f. 316.

Demo

Demoſthenes ignauus in propria cauſa. 271.
Deo credendum non de eo quærendum 196.
Deorum triginta millia apud Heſiodum 58.
Deorum omnium ab officijs nomina 380. et 381. et 382. et 383.
Deportati homines 330.
Deus utroq; genere dicitur 343.
Deus idem qui & dæmon 157.
Deus omnium maximus Aegyptijs 364.
Diana dea 381.
Diagoræ Rodij interitus 31.
Dianæ templi concrematio, et author 20.
Dicendi genus triplex 134.
Dies luſtrici 48.
Difficile ualde in uita 251.
Dij Romanorum qui duodecim menſibus preponebantur 130.
Dij uarium partium mundi 148.
Dij ſegetum 235.
Dilapidare 373.
Diligat uel adiuuet qualiter intelligendum 315.
Dinocrates fabricator 21.
Diodórus à ſecretis regis 263.
Diogenes orator quomodo Romæ non eſſet audiendus 329.
Dion Pruſienſis 13.
Dioniſij Areopagitæ libri Latinitate donati 360.
Dionyſius cum cornubus tauri 350.
Dionyſius tyrannus ludi litterario præfectus Corinthi 290.
Diræ aues & ferales 323.
Directarij fures 259.
Diues quis ex paradoxa Ciceronis 192.
Diuinationis ſpecies capnomantia 340.
Doctores cur magis frequentent ædes diuitum quam pauperum 130.
Dodonis oracula 377.
Domitius Marus poëta 464.
Domitius Veronenſis 167.
Domitius Nero 345.
Draco quinquaginta cubitorum 301.
Draconis corium uiginti pedum longum 301.
Duo tantum elementa 114.

E

Edulica dea 351.
Elapidare 373.
Eleazar Iudæus magnus 151.
Elephantiaſis quomodo differat à lepra 309.
Elephantiaſis unde dicta 309.
Elephas funambulus 96.
Emaus oppidum 317.

En

Encomium de Germanis 197.
Eneth qs deus Aegyptijs 239.
Ennius centurio 397.
Epies interpres 239.
Epiphanius pentaglottus 131.
Epitaphium Gordiani impe ratoris 251.
Epiterſes Aemiliani pater 211.
Erichthonius 37.
Eſaias ſectus 72.
Eſdræ eruditio atq; authoritas 368.
Eſdræ libri latinitate donati 369
Euãgelus dictus Pixodôrus 32.
Euchetæ peſſimi hæretici & impudici 118.
Eunuchorum officiũm apud reges Perſarum 6.
Eurylochus 49.
Euripedes à canibus lacerať 23.
Euſebius orator 293.
Eutiches triginta prolium mater 138.
Exagonus legatus coniectus in dolium ſerpentum 8.
Excantare ſegetes 85.
Exconſules qui ſint, exquæſtores, expræfecti 173.
Excuriati apud Ciceronẽ 173.
Extaſis quorundam doctiorũ in publico cœtu 80.
Exterminati apud Cicer. 173.

F

Fabiorum familia orta unde 312.
Fabius Dorſennus poëta 412.
Fabulinus deus 381.
Facelitis Veneris filia 350.
Falſitas in oraculis 134.
Fauſtina nobilis fœmina 24.
Felices arbores 304.
Ferales aues & diræ 323.
Flacci liber de indigitamẽtis 23
Flaccus Setinus poëta 487.
Flamines ac pontifices Romani 156.
Flaminũ unguiũ præſegmina ſub arbore condenda 304.
Flammida animalia 281.
Flaminica à tonitru feriari ſolet 300.
Flauia Domitilla Romana 158.
Flora dea. 381.
Fornacalia ſacra 328.
Fortuna uaria 185.
Fortunæ uires, honores ac nomina 337.
Fortunæ ſimulacrum apud Scytas ac Smyrneos 10.
Fortunæ uires ex Pacuuio 10.
Fornax deus 382.
Fraus Mercurialis 107.
Fugitiui & ſerui pro ceruis apud Martialem 291.

Fulgura procurare & expiare folio 29.
Fulguritæ arbores 30.
Fulgurales libri 26.
Fulguratores qui dicantur folio 29. & 144.
Fulmina poſtularia, peſtifera & peremptalia 29.
Fulmina adulterina in ſcenis folio 35.
Fulmine icta uirgo Ro. 175.
Fulminitum 143.
Fulminum genera 28.
Fulminum uis 176.
Fuluiæ ſæuitia 13.
Funambuli qui 93. & 94.
Funerepes qui 93. & 94.
Fures Aegyptij & Lacedæmonij nō adeò perſequunt 57.
Furius Bibaculus 431.
Fures directarij 259.
Furij Creſini Apologus 25.
Furius Antias 435.
Furta qualiter multanda 57.

G

GAgates lapis ſonticum morbum curat 379.
Galli aues probati 323.
Galli Apollinē inuocant 355.
Galli obiecti dæmonibus 356.
Gallica ſcabies ſiue elephantiaſis 308.
Gallinarius 180.
Gallorum legatio ad regem Alexandrum 75.
Gallorū reſponſio ad Alexandrum 76.
Gallus nō mactandus 355.
Gamaliel Hebræus 160.
Gamaliel Pauli præceptor 161
Gaudio nimio q interierint 31.
Gebellinorū Archiepiſcopus Prochetus 129.
Gellus ſcriptorum cenſor maximus 399.
Gemmata uehicula 250.
Generabilia quæ ſint 351.
Generis ac dignitatis habendam rationem 27.
Genus dicendi triplex 134.
Germanicus Auguſtus poëta 465.
Glycyriza ad quid ualet 267.
Gigantes cur excogitati 37.
Gigantum pedes in uolumen folio 37.
Glubere unde. 236.
Gluma 236.
Gn. Getulicus poēta. 477.
Gn. Marius poēta 410.
Gn. Næuius 400.
Gordiani epithaphium 251.
Græci ad Aegyptios gratia tragicæ diſciplinæ diſcedæ 146.

Græci Calui 60.
Græci mendaces 265.
Græcienſe apud Gelliũ 27.
Graſſator 83.
Gratiarũ templum 83.
Graues homines obliuioſi 10.
Gregorij Naziãzeni ingeniũ folio 114.
Gregorius Nazian. Hieronymi præceptor 115.

H

Habitu diſtincti Rom. 51.
Hadriani factum contra ſuum libertum 27.
Hadrianus imper. laudis auidus ob litterarũ peritiã 199.
Harpiæ familiæ 111.
Heliogabali mollicies 223.
Heliogabali nimius luxus 337.
Heliogabali pretioſa ſuppellex 215.
Heliogabalus portentũ 272.
Heliopolitani Iouis oraculũ de cæſare Traiano 327.
Heliotropium 355.
Heraclitus Scotinus 214.
Herculis ſtadium 319.
Hermia Alex. pellex 162.
Hermolai barbari obitus 11.
Hieronymus Stridonenſis folio 105.
ἱεροφάνται 156.
Hipparchus tyrannus 114.
Hippias tyrannus 154.
Hiſpani 11.
Hiſpani quo ſtilo uſi 134.
Homines qui morbo comitiali magis ſunt addicti 365.
Hominis diffinitio iuxta Ciceronem 290.
Hominis ætas quomodo diuiditur 346.
Hominis uita centum annorũ folio 125.
Homo ſolus animatium calidis utitur potionibus 348.
Homulli feſtiuè dictũ ad imperatorem 347.
Honeſti & prudentes fugiunt publicam adminiſtrationẽ folio 8.
Horatij locus interpretatus folio 121.
Horatius Flaccus 444.
Hortenſius Ciceroni prælatus folio 220.
Hoſtilina dea 236. & 371.
Hoſtimentum 236.
Hoſtire 236.
Hoſtorium quid 374.
Humani cordis creſcentia & econtra 125.
Hydriæ apud Aegyptios 180.
Hyle quid 353.

I

Iachus Epidammius occiſus 225.
Iamblicus 78.
Ianus deus 380.
Ianus quadriformis 71.
Idiomatum genera quatuor apud Italos 46.
Imagines ſublatæ ex templis Chriſtianorum 155.
Imagines quando ſublatæ Romæ 221.
Imagines fuiſſe Rom. temporibus Numæ 222.
Imago dei maximi Aegyptiorum 364.
Immodicus luxus Varij Heliogabali 357.
Imperare quàm difficile 251.
Imprudentia maior quæ 290.
Inebræ aues 324.
Indigitare deos 22.
Indigites dij 22.
Indorum philoſophorũ ſilentium 88.
Infans duplici pectore 317.
Infauſtus magiſtratus 305.
Infelices arbores 304.
Innocentia teſtimoninũ probitatis 334.
Ioannis Scotti à diſcipulis cædes 359.
Io. Pici Mirandulæ commendatio 77.
Ioſephus Iudæorum uernaculus 264.
Iouis nomina 144.
Ioues trecenti apud Varronẽ folio 58.
Iouis tranſmutatio 350.
Iouis Heliopolitani oraculũ de Traiano cæſare 327.
Iouis milites 107.
Iracundi memoria præſtare ex Platone 10.
Ire clarigatum 118.
Iſocratis facundia 337.
Italicum ſtadium 319.
Iudæi notati quòd aureũ aſini caput adorarent 15.
Iudæi unum numẽ colũt 261.
Iudæi cæſari rebelles in ſuſcipienda crucis imagine 261.
Iudæus Eleazar 151.
Iuliani ſæuitia contra Chriſtianos 89.
Iulianus Biſantius noctẽ diuiſit in tris parteis 283.
Iulianus imperator Biſantius folio 89.
Iulianus Græcè & Latinè doctus 90.
Iulianus Biſantius ſimilis Alexandro 283.

Iulianus

Iulianus uictimarius 91.
Iuliorum familia 345.
Iulius Calidius 436.
Iulius Montanus 465.
Iunius Meſſala 195.
Iuno dea 380.
Iupiter unde dictus 107.
Iupiter cũ çornubus arietis 350
Iupiter deus 380.
Iupiter fulgurator 144.
Iupiter Elicius, fulgurator folio 380.
Iuſtitiæ filia Nemeſis 289.
Iuuenalis poëta 488.

L

L.Accius poëta 404.
L.Afranius poëta 411.
L.Anneus Seneca 489.
Labeo Antiſtius 244.
Laberius de Pythagorica metamorphoſi 177.
Laberius Decius 419.
Labienus dictus Rabienus folio 286.
Lacticina dea 236.
Leænæ meretricis conſtantia folio 154.
Lacedæmonij quare ferrebant fures 57.
Lampadius grãmaticus 400.
Lapidare 373.
Lapideſcere 373.
Lapideſcunt 373.
Lapidicinæ quæ 32.
Lapire 373.
Lapides qui naturali cõſenſu conſentiãt uiribus Lunæ & Solis 355.
Laſtauros dictus libertus Põpeij 126.
Lauerna dea 383.
Lauerniones dij 383.
Laurea Tullius poëta 436.
Laurentia meretrix 131.
Laurentianus Florẽtinus 54.
Laurẽtius Valla notatus 209.
Leconomãtia apud ueteres 110
Leges trigeminæ 214.
Leneus 124.
Leonis ſpecies pro terra 217.
Leo imperator Chriſtianiſſimus 155.
Lepidi qui ſint 322.
Leporis cibus quàm conferat ornatui corporis 79.
Lepra infecti Græci 308.
Lepra quomodo differat ab elephantiaſi 309.
Leſtrigones Anthropophagi folio 55.
Leuana dea 381.
Lex annaria 145.
Lex ſympoſiaca 147.
Li.Flaccus 158.

Libertina dea 381.
Libidini ſeruit quolibet anni tempore homo 348.
Libidinoſi qui maximè fuerint 138.
Librorum Eſdræ quãta dignitas Iudæis 369.
Libri Eſdræ quando latinitate donati 369.
Lichnobij qui ſint 245.
Libri lintei in æde Iunonis 314
Licinius Imbrex poëta 414.
Licinius Caluus poëta 430.
Limbus 12 ſignorum apud Varronem 71.
Lithoſtrata pauimenta 324.
Liuij locus expoſitus de ſortibus Præneſtinis 328.
Liuius Andronicus 393.
Liuius deus 343.
Liuius Druſus comitialis 366.
Liuoris uis 152.
L. Iulius Calidius 436.
λύγξ 208.
λυγχίτης 208.
Lorarij qui dicantur 32.
Lothos arbor 301. & 355.
L. Varius poëta 455.
Lucanus poëta 474
Lucianus Samoſatheus dijs & hominibus inimicus 31.
Lucilij carmen expoſitũ Frumentarius eſt 347.
Lucilius poëta 408.
Lucilius primus ſtili naſum apud Latinos cõdidit 287.
Lucilla 346.
L. Pomponius poëta 418.
Lucretij uerſus de elephãtiaſi folio 309.
Lucretij locus reſtitutus 228.
Lucretius poëta 417.
Lucretius mortuus quo die Vergilius natus 352.
Luctuoſi dies unde Romanis dicebantur 296.
Luctus dies poſt uxoris deceſſum 296.
Lupæ meretrices 292.
Luteſcunt 373.
Luſtrici dies 48.
Luxus immodicus Antonini Heliogabali 337.
λῆναι 257.
Lymphiones qui dicant 365.
Lympholenti 364.
Lyſyppus pro polyclieo apud Horatium 247.

M

M. Catonis in omnibus rebus maturitas 335.
Macrinus Macellinus 184.
Macrobij locus reſtitutus 345
Macrobius notatus 306. & 330.

Ma

Maculæ ueſtiũ quõ per ignem in lapide caryſtio mundent folio 55.
Magi Platoni immolant 349.
Magia Dardani 150.
Magiæ inuentores 150.
Magice Necepſi 217.
Magiſtri regij apud Perſas 6.
Magonis libri à Rom. in Latinum uerſi 61.
Mainardus Ioannes 275.
Maiores ac minores prouinciæ Rom. 65.
Malachus poëta melancholicus 50.
M. Mallius poëta 450.
Manaſſis regis facies quintuplex 71.
Manna quid ſit 374.
M. Antonini clementia in rebelleis milites 334.
Mar. Antonij ſæueritas in moribus 310.
Mar. Antonius philoſophus cognominatus 310.
M. Pacuuius 402.
M. Plautus 398.
Mar. Cato bonarum artiũ magiſter 32.
Marcia Romana 175.
Marcianus iure conſultus folio 115.
Marius Gaditanus à Catilina neci datus 311.
Marcus Cato cum Scipione collatus 194.
Marcus cur infelix 319.
Marmoris inuentio 32.
Mars deus 381.
Marſi qui dicantur 8.
M. Attilius poëta 413.
Martialis locus de ceruis expoſitus 291.
Martialis locus de ſigmate expoſitus 294.
Martialis locus de lepore ad Gelliam 80.
Matura dea 236.
M. Varro undecunq; doctiſſimus dictus à Terẽtiano 275.
Marulli iudiciũ de poëtis Latinis 344.
Marullus Biſantius 179. & 229.
M. Varro quãta doctrina polleat 172.
Mauricio imperãte Rom. uiſi dracones 301.
Maximiani imperatoris ſæuitia in Chriſtianos 119.
Mecœnas 456.
Mecœnatis luxus notatur in epiſtola Octauij 360.
Medius Fidius 316.

Mela Pomponius de Aegy ptijs 133.
Melancholia 49.
Memento quod Gebellinus es 129.
Mena Pompei libertus 51.
Menſurarum denominatio/ nes 320.
Meuſurarum aliquot diſtincti ones 319.
Mercurij uerba de natura, ac maieſtate dei 3:1.
Mercurius Aegyptius impri mis doctus 156.
Mercurius qualis deus 380.
Meſſalæ Coruini prudentia 18.
Meſſenius hirſuto corde 203.
Meta ſudans in epiſtolis Se necæ 136.
Metamorphoſes uariæ 178.
Metamorphoſis Pythag. 177.
Metellus pius luxui dedit9 315.
Metellus Macedonicus 290.
Meuiuum uri oportet 286.
Mezẽtius ultor adulterij 184.
μηλόβοτερ Roma 69.
μικροψύχος 69.
Militum ſtipendiariorum mu nera 176.
Minerua dea quæ 381.
Mirtho Socratis uxor 17.
Monetæ templum in monte Auentino 314.
Monſtra unde naſcantur 318.
Moſis ꝓphetæ anni quot 126.
Mulſum in ſacris ueterum 68.
Mulſum in ſacris Herculi & Cereri 68.
Multa minor quid 374.
Multãdæ iniuriæ qualiter 375.
Municipia q̃modo intelligant ex Feſto Pompeio 122.
Mundi ac ſpiritus materia 351.
Murcida dea 382.
Murcidi qui 382.
Murcus deus 382.
Mures ſalem lambunt 342.
Muſea ſiue muſeaca opa 324.
Muſea opera 324.
Mythra deus 97.
Mythriaca ſacra 97.

N

Næuius poëta 400.
Narſetes ad Conſtantiũ legatus imperatorem 262.
Naſatorum peculium 32.
Nati ex Templario & uirgi ne 362.
Necepſus imperator Aegypti orum 297.
Necepſus rex & philoſo phus 296.
Necromantia qualis 118.
Negra quæ ſe in puteum deie cit

cit 54.
Negotiũ per t ſcribendũ 275.
Nemeſis contumelioſis ineui tabilis dea. 89.
Nemeſis ſtatua qualis 89.
Nemeſis pater Oceanus 89.
Nemeſis Iuſtitiæ filia 89.
Neptunus Ennoſigæus 153.
Neptunus deus 381.
Nicocherontes tyrannus 364.
Noctēſcunt 373.
Nodina dea 382.
Nodinus deus 235.et 371.et 383.
Nomina uete rũ auſpiciorũ 366.
Nomina omniũ deorũ iuxta officia 380.&381.&382.&383.
Nouendecim modi carminũ Horatij 446.
Nouies nouenarius nume rus 348.
Nouius poëta 415.
Numerius Suffuſtius 328.
Numerus perfectus ex obitu Platonis 349.
Numorum cæſaris Domitia ni inſcriptio 314.
Nympholepti ſeu nympho lenti 364.

O

OBlogones populi 8.
Oceanus Nemeſis pa ter 89.
Octauij Auguſti prudentia & ciuilitas 28.
Octauij Auguſti uerba expo ſita ac reſtituta 360.
Octauij Auguſti edictum ad ædiles de toga 52.
Octauius Auguſtus de Roma no habitu 53.
Octauius primò dictus Augu ſtus 337.
Octauius Auguſt. poëta 440.
Octuageſimus primus nume rus quid ſit Perſis
Olympicum ſtadium 319.
Ominoſæ aues 324.
Omnia ad unius dei poteſtatē referenda 266.
Opera muſca 324.
Opuleſcunt 373.
Opus uermiculatum 325.
Oraculorum falſitas 135.
Oraculum Serapidis 364.
Oraculum Iouis Heliopolita ni de Traiano 327.
Oratores qui ex conſilio M. Catonis non erant Romæ audiendi 329.
Orfidij benigni interitus 185.
Oſcines aues 324.
Otium per t ſcribendum 275.
Ouidius Naſo 485.

P

PAcuuius 402.
Pallium Græcorum 51.
Pariſthmia 267.
Parodia Matelli conſulis contra Næuium 307.
Parſmulteſima quid Lucretius 229.
Patelena dea 236. & 371.
Pater omnipotens cui duo filij 118.
Paulini poëtæ uerſus expoſiti folio 396.
Paulus Paſſienus 495.
Pauimenta xyliſtrata 326.
Pauimenta lithoſtrata ſeu teſſalata 324.
Pauimenta aſarotica 324.
Paxis inſula 217.
Pedaria ſententia 232.
Pedarij ſenatores 232.
Pedarij fautores 232.
Pedeſtria auſpicia quæ 367.
Pediani libri contra obtrectatores Vergilij 53.
Pediani reſponſum ad Vergilium 53.
Pedo Albinouanus 480.
Pellis draconis centū uiginti pedum 301.
Pellonia dea 383.
Peluſiotæ ceparū abſtemij 67.
Pentelici hermæ aut columnæ apud Ciceronem 95.
Perdices bicordes 209.
Periclis ſeruus 188.
Peſtifera auſpicia unde 367.
Perſæ immolāt Platoni defuncto 349.
Perſarum regum ritus in erudiendis filijs 6.
Perſius Flaccus 471.
Petronij Arbitri dictum de Ciconia 75.
Petrus Leonius 54.
ταπὶς 257.
Phauorinus philoſophus 140.
Phauorinus quidam qui compoſuit libros Pyrrhoniorū folio 50.
Phidias Artemonis imaginē mamore abſoluit 237.
Philemon poëta 67.
Philippides comœdiæ author folio 31.
φιλιππίζειν 135.
Philippus Auguſtus tranquilliſſimus 310.
Philoctetes qs ſit de quo Tul. ad Trebatium 56.
Philon Biblius 239.
Philoſophi officiū ex Pla. 17.
Philoſophorū imagines in ueterum gymnaſiis 17.

Phryne

Phrynę meretricis dolus quo impoſuit Apelli 359.
Piacularia auſpicia unde 367.
Picentes populi 357.
Pici Mirand. officiũ erga Hermolaum barbarum dum peſte laboraret 11.
Pici Mirandulæ ſtudium ac lucubrationes 25.
Picunnus & Pilunnus dij 381.
Pius Metellus luxui deditus folio 35.
Piſanum urbs 191.
Piſiſtrati regis dolus pro imperio aucupando 60.
Pithias Nemeſis imaginẽ fecit 289.
Pixodôrus pro deo habitus folio 33.
Phanum quid ſit 119.
Plato inter ſemideos relatus folio 349.
Plato collatus Pythagoræ & Socrati 188.
Plato iracundos memoria pręſtare 10.
Platoni defuncto immolarũt Perſæ 350.
Platonis cõmendatio ab Ariſtotele 349.
Plauti locus expoſitus Ariſtarchi Achilles 358.
Plautianæ fabulæ 399.
Plebeij dij 381.
Plebes in nominandi caſu apud ueteres 231.
Plinij locus expoſitus de Sabinis 357.
Plinij diſſenſio de obitu Sophoclis 31.
Plotinus philoſophus comitiali morbo laborans 365.
Plotinus de metamorphoſi folio 277.
Plotius dictus Plautus 399.
Pluto deus 381.
Pœna in ignauos bellatores folio 73.
Pœna quæ per uitem inferebatur 327.
Pœna inuentoris mollificandi uitrum 339.
Poëtæ Latini qualiter æſtimati à Marullo 344.
Poëtarum licẽtia lege cenſorũ coërcita 308.
Poëtarum licentia in taxandis hominibus 307.
Poëtices origo apud Latinos folio 89.
Poëtices quando primum Romam uenit 81.
Poliorchites Antigoni filius folio 285.

Poliorchites machina bellica folio 284.
Polycletus ære Alexandri Magni imaginē deduxit 247.
Polycratæ interitus 31.
Pomona dea 383.
Pomonales flamines 383.
Pomponius poëta 418.
Pomponius Secundus 477.
Pontanus Iouianus 317.
Pontificū Chriſtianorū impudentia & improbitas 139.
Porphyrius antichriſtianus folio 346.
Porphyrius ab Auguſto accuſatus 347.
Porphyrius Tyrius 347.
Portentum infantis duplicis pectoris 317.
Portius Licinius poëta 425.
Poſthumius Tubertus de quo Cicero 321.
Potura dea 381.
Præmium eorum qui hoſtem occidiſſent 73.
Prænestinæ ſortes 328.
Præſcriptio quinq; pedū 370.
Prænominum expoſitio 303.
Prætextatæ fabulæ 305.
Praxiteles fecit imaginem lætantis meretricis 359.
Praxiteles quō deceptus à
Phryne meretricula 358.
Principia tria 118.
Probandi qualiter amici & accipiendi 336.
Probitatis teſtimonium innocentia 334.
Prochetus Archiepiſcopus Gebellinorum 129.
Propertius poëta 452.
Prophetarum diuinationes folio 298.
Proſa & Poſtuerta 336.
Proſcripti qui 333.
Proſerpina dea 235. & 242.
Proſerpina 383.
Prudentes ac iuſti qui dicendi folio 163.
Pſylliorū poteſtas in tractandis uenenis 8.
Pythicum ſtadium 319.
Pythagorica philoſophia 71.
Pyrgoteles cælator 247.
Pyrauſta animal 281.
Pyraules 281.
Punici quo ſtilo uſi 134.
Pulegium floridum 66.
Pueri regum Perſarum quō inſtituendi 6.
Pub. Vergilius Maro 439.
Pub. Terentius Varro Atacinus 435.
Pub. Terentius 466.

Publius

Publius Syrus 424.
Pub.Statius Papinius 483.
Pub.Ouidius Naſo 458.
Publici & priuati luctus 296.
Publicam adminiſtrationē fugiunt prudentes 8.

Q

Q.Vargunteius 396.
Q.Trabeas poëta 413.
Q.Nouius poëta 415.
Quintus Ennius 395.
Quirinus deus 381.
Qui maximè comitiali morbo uexentur 366.
Q.Horatius Flaccus 444.
Q.Ennius Oſcè locutus 47.
Q.Cornificius poëta 431.
Q.Catulus poëta 422.
Quaterni cyathi potandi 147.
Quadrupes 292.
Quadragenarius numerus folio 333.
Q.Atta 423.

R

Rabienus uulgo dictus Labienus 286.
Rabirius poëta 488.
Recuperatores iudices 157.
Recuperatorium iudicium folio 157.
Regilliani nomen unde 186.
Regillianus imperator electus à militibus 186.
Regis animus haud priuati regitur arbitrio 277.
Regum Perſarũ mores in inſtruendis filijs 6.
Relegati homines 330.
Remediũ cõtra cicutam 342.
Remedium de ſoluendis amoribus 24.
Res ſcrupuloſa 159.
Reus & damnatus quomodo differant 49.
Rhamnus 288.
Robur ac forma Milonis Crotonienſis & aliorum imperatorum 137.
Roma ad æquilibrium poſita folio 69.
Roma indiges 23.
Romæ dracones uiſi 301.
Romæ lothos celebrata 302.
Romæ regiones ex Pub. Victore 136.
Romæ religioſum agere cum homine morbo comitiali laborante 365.
Romana toga cuius formę 51.
Romani cladibus affecti 247.
Romanæ urbis præfecturam quõ Meſſala recuſat 18.
Romani à Sabinis prænomẽ folio 48.

Romani diſtincti habitu 51.
Romani quatuor legionibus conſtituunt exercitũ 192.
Romani quo ſtilo uſi 134.
Romani luctuoſos & atrios dies dicebant 295.
Romanorũ acrimonia in inſolenteis 354.
Romanorum nomina 47.
Romuli & Remi cõcertatio de nomine urbis ædendæ 170.
Rumina dea 381.
Rutabulum 348.
Rutrum & Rutellum quid ſignificent 347.
Rubigus deus 383.

S

SAcerdotes & pontifices Romanorum 156.
Sacerdotes Rom. quare abſq; nodis in ueſtibus incedebãt folio 171.
Sachoniati hiſtoria 245.
Sacra & pontificia uerba quis prius ſcripſerit 49.
Sacrani populi 357.
Sæculum 125.
Sæuitia Fuluiæ in Cicerõis caput 13.
Sagmina unde 117.
Salatia uxor Platonis 38.
Saleius Baſſus poëta 479.
Salinarum uectigal primũ inſtitutum 65.
Salomon magus iuxta Ioſephum 151.
Salmoneus fulmine ictus 36.
Salonæ ciuitas 201.
Saltare Cyclopa apud Horatium 252.
Samiata tela 337.
Samiare 336.& 337.
Samium 337.
Sarmathas rex libidinoſus 138.
Samoſatheus Lucianus dijs hominibusq; inimicus 30.
Sanctum quid 117.
Sapientes quandoq; generare degeneres filios 318.
Saporis regis epiſtola ad Conſtantium 34.
Sarabaitæ ſacerdotes 59.
Sarmathæ uirgines ſtupratæ à Proculo 138.
Sarmentarij & Semiſſii dicti Chriſtiani 18.
Saryſſophori milites 208.
Saturnus unde deus 381.
Saturnus ſtercutius dictus à Romanis 381.
Scamellum ſiue ſcabellum folio 27.
Σχοινοβάτης 96.
Σκαριφίζειν 141.

Scope-

Scopeliſmi crimen 141.
Scopeliſmon facere 141.
Scorpiones, terræ uoraces 342.
Scotti interitus à diſcipulis folio 359.
Scotti anthropophagi 55.
Sedes compoſita quæ 26. & 27.
Segetes excantare aut pellicere 85.
Seia dea 382.
Selinotropium 355.
Sellæ 27.
Seliquaſtrum unde 256.
Semiſſes homines qui 19.
Seneca poëta tragicus 489.
Senecæ locus expoſitus de meta ſudante 136.
Sepeliri in urbe quibus licebat apud Romanos 321.
Sepes animal 230.
Sepulchra primum extra urbẽ habuerunt Romani 83.
Serapidis oraculum 364.
Sermo prætextatus 305.
Serpentes ænophili 342.
Serui per ceruos intellectos folio 291.
Seruianus Roma. 198.
Seruilius Geminus 291.
Sextus Turpilius 409.
Sextus Cheronenſis 301.
Sextus Aurelius Propertius folio 452.
Sextilius Aena 478.
Sibina 208.
Sibyllarum diuinationes 298.
Signandi pecuniam quis habet poteſtatem 258.
Sigma in conuiuio Heliogabali 292.
Sillographi qui dicantur 8.
Silius Italicus poëta 485.
Si merebuntur Octauij dictũ folio 28.
Simius non ſemiſſis homo folio 19.
Simonis Magiæ temeritas folio 131.
Simon Magus pro deo habitus 131.
Simulatio improbiſſima Sarabaytarum ſacerdotum folio 59.
Solidum quid ſit 110.
Soliſtima auſpicia quæ 367.
Solymorum templũ nullam continebat imaginem 221.
Sonticus morbus quomodo liberat à militia 378.
Sontire uerbum 379.
Sontica cauſa 379.
Socratis conſtãtia & deformitas 17.

Sophoclis interitus 23.30.
Sorani interitus 102.
Sortes prænestinæ 328.
Sothinus Senenſis 81.
Spurius Carbilius 400.
Spurij uocabuli expoſitio 303.
Spondaici uerſus 356.
Spondaicus ac dactilicus numerus 356.
Stadiatæ porticus 320.
Stadium multiplex 319.
Stadium Herculis 319.
Stadium quale 319.
Statij uerſus expoſiti ſuper capnomantia 340.
Statius Cæcilius 403.
Statilinus & Statanus dij 381.
Statius Papinius 483.
Stella Aruntius 490.
Stephanus Niger 66.
Stilo quo uſi Romani, Hiſpani, Punici 134.
Stipendium 247.
Sthruthionibus uectus imperator 250.
Sub uitem præliari milites 327.
Subſipere 27.
Superſtitioſa obſeruatio auſpiciorum 366.
Superſtitio ueterũ in colendis dijs ac eorum nomina ab officijs 380 & 381 & 382 & 383.
Syllæ ſæuitia qui ſeruos in piſcinas conijceret 108.
Symbola Aegyptiæ theologiæ 301.
Sympoſiaca lex 147.
Syrij argenteos piſceis conſecrant 350.
Syrij abſtemij piſciũ 350.

T

Tabulæ cærites 121.
Tacitus imperator Cornelij Taciti hiſtoriam in bibliothecis collocauit 62.
Taciti uerba explicata in Iudæorum hiſtoriam 15.
Talares togæ 51.
Tamburlanus Scytharũ princeps 5.
Taurus philoſophus 165.
Tautus deus 244.
Thellemon inſtrumentum bellicum 284.
Templarij à Clemente aboliti 361.
Templarij unde dicti 361.
Templarij concremati 362.
Templum Monetæ 314.
Tentiri populi 8.
Tentorium Tamburlani tricolor ... plicis coloris 5.
Terręmotus cauſæ 153.
Terręmotus Tiberij tempore

re 153.
Terentius Varro Atacinus folio 435.
Terentius comicus 406.
Terminus deus 383.
Terminalia ſacra 383.
Tertulliani locus expoſitus de Curio aleatore 362.
Tertullianus legum decretorumq; Romæ peritiſſimus folio 206.
Thannus Aegyptius gubernator nauis 217.
Thebæ oppidum 133.
Theodori conſtantia 154.
Theodori Gazæ dictum ſuper doctrina Hieronymi 15.
Theon ſtoicus 188.
Teſſellata opera 325.
Theſſalis nefas occidere Ciconiam 350.
Theſſaracaſton apud Græcos folio 333.
θ thetæ figura quid ſignificet folio 239.
Thracenſes populi 11.
Thracenſes uaticinantes 312.
Tiberij amor erga chriſtianos folio 205.
Tiberius imperator de Chriſto inſtructus per Pilatum 205.
Tiberis inundatione uiſus
Draco 30.
Tibullus 448.
Tutanus deus 327.
Togæ Romanæ forma 51.
Toga Romanorum indumentum 50.
Toga prætexta 305.
Tolles ſiue Tonſillæ 267.
Trabeas poëta 413.
Traiani imperatoris præceptor Plutarchus philoſophus 85.
Traianus optimus cur dictus folio 215.
Traianus falſus in municipe folio 319.
Tralatio qualis debeat eſſe 317
Trecenti Ioues 107.
Tria potiſſimum notanda in Iſocrate 337.
Tria à dijs impetranda 163.
Tribuni militū officium 167.
Tribunos plebei 231.
Tricones apud Capitolinum qui ſint 363.
Triginta millia deorum apud Heſiodum 58.
Triconibus ſe commiſcere quid ſignificet 363.
Triplex dicendi genus 134.
Triplicis coloris tentorio uſus Tamburlanus 5.
Triumphantibus improperās

h ſeruu

ſeruulus 354.
T. Lucretius poëta 417.
Turini Alexandri familiaris mors 279.
Turpilius 409.
Tutilina dea 371.
Tutulati ſacerdotes 372.
Tutulus unde Tutulani ſacerdotes 372.
T. Valgius poëta 447.

V

VAccinia dea 382.
Vagitanus deus 381.
Val. Homulli ingeniũ 347.
Valeria fœmina nata cum dentibus 330.
Valerij Sorani interitus 102.
Valerius Aeditiuus 426.
Valerius Catullus 427.
Valerius Flaccus 487.
Valerius Martialis 491.
Valgius poëta 447.
Varij Heliogabali nimius luxus 337.
Varius poëta 455.
Varro omnium diſciplinarũ parens 172.
Vates in Branchis geſtat uirgam 299.
Vates & poëtæ apathes 299.
Vaticinia per aquã & uinum à quibus facta 312.
Vectius augur 144.
Vectius Marcellus 88.
Venere ſolus animãtiũ homo utiť quolibet anni tpe 348.
Ver ſacrum quid ſit 357.
Verba prætextata 300.
Vergilius Maro 439.
Vergilij animus in grammatiſtas 52.
Vergilij ænigma expoſitum Tris pateat cælum 53.
Vergilij locus expoſitus Si ça nimus ſyluis 65.
Vergilij uerſus de Numa rege cano 77.
Vergilij loci expoſiti de campis Eliſiis 92.
Vergilij locus expoſitus Principio cælum 111.
Vergilij locus expoſitus ex Geor. 272.
Vergilij uerſus reſtituti 356.
Vergilius natus quãdo Lucretius mortuus 354.
Vergilius uirilem togã quando ſumpſit 354.
Vergilij dignitas apud Rom. folio 128.
Verg. ſpes altera Rom. ex Cicerone 127.
Vergilius Romanus 498.
Vergilius Iuris ciuilis ſtudio

ſus

ſus 66.
Vergilius utriuſq; iuris conſultus 68.
Vermiculatum opus 325.
Veronæ urbis mœnia diliecta folio 301
Vertere ſtilum 253.
Verus imperator, aleator 303.
Veſta dea 381.
Veſtalium capilli ſuſpēſi 304.
Veſtalium, capillorum & unguium præſegmina condenda 304.
Veſpaſianus dicax & ſcurrilis folio 305.
Veſtes cuiq; propriæ 56.
Veterum auſpiciorū nomina folio 366.
Veterum poëtarum licētia in notandis hominibus 307.
Vertunnus Hetruriæ deus 383
Vigilantius dictus dormitantius 260.
Vinum remediū contra aconitum 345.
Vitem cui conceſſerat Hadrianus 327.
Vite quales puniebant 327.
Vitis Centuralis 327.
Vitis inſigne centurionū 327.
Vndecim fulminum genera Thuſcis 28.
Voconius poëta 494.
Volcatius Sedigitus poëta folio 481.
Volupia dea 382.
Volutina dea 235. & 382.
Vrbes Aegyptiorum 135.
Vrbis Romæ regiones ex Publio Victore 136.
Vulcanus deus 381.
Vxor quādo ducenda ex Platone 206.
Vxorem ducere apud Carmanos quande licet 115.
Vxorū dies luctus quot 296.

X

XAnthippe Socratis uxor 17.
Xenophilus longæuus 127.
Xerxes templorum deuaſtator in Grecia 222.
Xyloſtrata pauimenta 326.

Z

ZEnon Citreus 222.
Zeroaſtres Oromaſi filius 240.

FINIS INDICIS.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA AD BERNARDINVM CARAFFAM NEAPOLITANVM PONTIFICEM ANTIOCHENSEM PRAEFATIO.

EGREGIE factum eſt ac prudenter Bernardine Pontifex Antiochenſis, ab his qui ueterum reſpublicas legibus atq; decretis inſtituerunt, quoniam cum alia multa in his, tum illud etiam decreuerunt, ut in illis hominibus præcipuè ornandis atq; illuſtrandis ratio haberetur, qui plurimum forent conſecuti in bonis ſtudijs, atq; honeſtis artibus. Quod abs te præclarè atq; diligentiſſime factum uidemus, qui in tantis patriæ tuæ incommodis ac periculis, minimè tibi ipſi, tuæq; clariſſimæ familiæ defueris, quo magis laudari ab omnibus, atq; approbari debes. Ego uerò & amicitiæ iure adductus (quæ inter nos maxima eſt) ac excellentis tuæ doctrinæ merito prouocatus, dicare tibi conſtitui lucubrationes noſtras de honeſta diſciplina, ac tuo nomini nuncupare, ſecutus eorum rationem, qui cum ſuffragari aliter nequeāt, bene ſaltem ſentiendo atq; ſcribendo ſtudioſe adnituntur, ut gratiam aliquam referant. Quod & Varro Terentius (qui togatorum omnium doctiſſimus *Terentius.*

eſt habitus) faciendum in amicorũ officio exiſtimauit. Neq́ꝫ præterea mihi excidit, quàm liberali congreſſu, quàm gratis ac doctis ſermonibus me acceperis ſuperiori anno cum Romæ agerē. Quod ſi noſtra hæc, neq́ꝫ ad Critholai libram expenſa ſunt, neq́ꝫ ad Cleantis lucernam euigilata, (nam fateri inſcitiam noſtram maluimus, quàm modeſtiæ præſcriptum egredi) diligentiam tamen adhibuimus haud mediocrem in hoc opere: neq́ꝫ aliud à me propemodum quæſitũ eſt, quàm ut ea ſubinde (ut fit) adnotarem, carptimq́ꝫ colligerem, quæ & honeſtatem eruditionis probarent, ac meliora præſertim ingenia iuuarent. Multa in his comperies, quæ ad ius ciuile & pontificium faciunt, alia rurſus quæ ad inſtitutiones ueterũ, & humaniores diſciplinas pertinēt, quibus tu quoq́ꝫ miro ſtudio atq́ꝫ diligentia inuigilas. Neq́ꝫ difficileis quæſtiones, aut nimis anxias tractauimus, ſed ciuileis inprimis & honeſtas. Minimè autem dubitamus fore quidem permultos, qui libidine magis accuſandi, quàm animo rectè iudicandi adituri hæc ſint, quoniam pleriſq́ꝫ innatum hoc eſt, ut malint uideri in alieno opere ingenioſi, quàm in docendo atq́ꝫ intelligendo alijs prodeſſe. Nam reprehendere atq́ꝫ damnare imperiti etiam uolunt, iudicare ac probè expendere prudentes tantum, atq́ꝫ egregiè docti poſſunt, ad quorũ ego iudicium ſemper mihi elaborandum exiſtimaui. Sapienter uerò & grauiter factum eſt à P. Scipione, qui uir optimus ab uniuerſo ſenatu eſt appellatus. Nam cum minus probè atq́ꝫ honeſtè, ſe conſulem nominatũ compeiſſet, ea dignitate ſe abdicandum cenſuit, ne tam ſanctum nomen ullo uitio teneri crederetur. Ex quo magis etiam Philoxenus uidetur commēdandus qui reduci in carcerem maluit, quàm parũ honeſto ſuffragio eximi. Quod à nobis ob eam cauſam relatũ eſt, quoniã ætate noſtra permulti inueniuntur, qui pari inſcitia atq́ꝫ inſolentia unum quemque accuſant & aſſiduis reprehenſionibus,

P. Scipio.

Philoxenus.

onibus, nulla ratione, aut iudicio lacerant. Quorum nos tumidam, inanémque loquacitatem, non modo deſpicimus, ſed ubique longè contemnendam arbitramur. Libuit autem hoc potiſſimum in opere quandam rerum uarietatem, & quaſi ſyluam obſeruationum admittere, ne legentium animi, in tam uaria, multiplicique lectione, aliquid ſaltem non inueniant, quod ingenium ſuum inſtruere, aut excitare poſſit. Qua in re, authores quidem habemus in Romanis litteris, magni nominis uiros, ac ſummæ eruditione celebreis: qualeis in Atticis Commentarijs: Aulum Gellium: Aurelium Macrobium, ac Probum Valerium. Apud Græcos etiam complureis traduntur, qui eandem in ſcribendo uarietatem magno ſtudio ſunt conſectati: neque id quidem ſine maximis laudibus, quo mihi multò rectius uidetur, eorum ſequi authoritatem, qui, & in uitæ officijs, & in rebus ſcribendis, rationem habendam dixerunt: Non præſentis duntaxat ætatis, ſed ipſius etiam poſteritatis. Quod equidem ſemper effeci, cum multis alijs rationibus, tum quòd omnem prope ætatem in bonis artibus, atque honeſtis diſciplinis non minore animi uoluptate, quàm ſtudio hactenus conſumpſerim: pro quibus eò nunc magis ſtandum, atque in acie durandum exiſtimo, quo barbari populi infeſtis armis contra Rhomanas Aquilas, hoc eſt, meliores litteras, cladem & ruinam aſſiduè moliuntur: quod illis propè ad uotum ſucceſſerit in tantis Italiæ fluctibus, atque fortunis, niſi per ſolerteis uiros atque prudentiores, diligenti cura, optimo ſtudio proſpiciatur. Sed hæc aliàs. Tu interim uelim læto capias hoc noſtrum munus. Ita enim licebit pro ueteri officio diligentiam noſtram probare: & amicitiam inter nos firmiorem atque integriorem conſtituere. Vale, & hæc noſtra ſtudia Oliue-

rio Caraffæ Cardinali Neapolitano patruo tuo,uiro am/
pliſſimo commendabis. Florentiæ No/
nis Iunij ,Anno reſtituti mundi
Milleſimo quadringen
teſimo.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De triplici tentorio Tamburlani, Scytharum principis, & qua conditione imperator maximus in conſpectum & aciem hoſtium accederet.

NEmini dubium eſt, uitam ipſam mortalium, fieri multò prudentiorem & cultiorem ex rerũ, hiſtoriarumq; obſeruatione: ſed ea præcipue ſunt pluris æſtimanda, quæ ad uſum magis ipſum & uitæ rationes cõducunt, ſicuti exempla antiquitatis ſunt, ex quibus ita homines ſubinde fiunt prudentiores: ut qui optimè antiquitatem calleat, is æquè, & præſentia intelligit, & futura plerunq; proſpicit. Subit autem nunc στρατήγημα de Tamburlano Scytharum imperatore & eius ſæuitia. *Stratigema Tamburlani.* Is enim quo maiorem hoſtibus terrorem atq; metum incuteret, triplici tentorio in exercitu uti conſueuit: ſic ut in uno quoq; diſpar color appareret, quo animi quoq; mutatio militis intelligeretur. Primum enim colore albo: purpureo ſecundum: tertium nigro proferebat. Idq; ratione quadã imperij & uictoriæ faciebat, uir alioqui, & geſtis, & authoritate clariſſimus: nam ex colore tentorij uolebat ab his cognoſci belli cõditiones cum quibus in certamen deſcenderet. Prima die cum in conſpectũ hoſtium cum exercitu aduentaſſet, tentorium illud explicabatur, in quo ſignificabat, nulla in re, ſi modo ſe dederent, iniuriã ſe

aliquam illaturum. Quod ſi alteram diem hoſtis expectaſſet, tum coloris rubri tentorium educebat, quaſi ad cædem & ſanguinē. Si ad triduū res protrahebatur, pro colore atro omnia quidem atra futura, & extremam cunctis occidionē, prænunciabat.

CAPVT II.

Quibus diſciplinis atq; præceptis Perſarum reges filios inſtruerent, et qua potiſſimum ætate, ex Platonis Alcibiade.

RES digna memoria eſt quam Plato Philoſophus refert in libro de ingenio hominis. Nam cū Socrates diligenter diſſerat quo ſtudio ac diligentia Lacedæmones ad eruditionē uirtutis, καὶ παιδείαν, inſtruātur, mox ad ipſos etiā Perſarū reges accedit, eorūq; mirificam ſanè ac memorandā diſciplinam recenſet: ſiquidē apud eos inquit qui regis filius in regno ſuccedit, primo eius natalē quicunq; in regno ſunt celebrāt, ſimulq; in poſterū quotannis eandē lucē ſacris ac feſtis uniuerſa Aſia proſequitur: mox uerò nutriri puer incipit. Neq; id à quauis nutrice peragitur, ſed ab ipſis duntaxat eunuchis, qui in regis aula omniū optimi cenſeantur. Nam illis hiſdē reliqua omnia demandant, quæ ad pueri curam, educationēq; pertineant. Præcipuè uerò diligentiam adhibent maximam, uti natum ipſum decora, & egregia forma habeant: ex quo membra eius & artus accuratè ac diligenter dirigunt atq; componūt. Vbi uerò ſeptimū ætatis annum cōplerunt, ad equeſtris diſciplinæ magiſtros atq; ipſas in uenationes mittunt. Anno *Magiſtri regij* aūt decimoquarto curā eiuſdē ſuſcipiūt, qui Magiſtri regij nominanī. Et hi quidē ex uniuerſa Perſia delecti quatuor ſunt, qui cæteris omnibus uirtute præſtēt, uidelicet ſapiētia, iuſtitia, temperantia, atq; fortitudine. Ex his uerò primus eiuſmodi magicā docet, quæ à Zoroaſtre Oromaſi filio profecta

fecta eſt, quæ nihil eſt aliud quã deorũ cultus, idē𝄒 regia inſtituta tradit. Secundus cõmonet, ut in tota uita ueritatē præcipuè colat. Tertius ne quo affectu, aut libidine ſuperet, ſed liberè uitã agere cõſueſcat, ſibi𝄒 ipſi primùm imperare, nec alteri ſeruire. Quartus demũ intrepidum illũ, & impauidũ reddit, necubi metuẽdo ſeruus efficiatur. Hæc Plato in Alcibiade retulit, quo facilius præceptor Socrates Alcibiadis animũ ad ipſam uirtutē excitaret, ſimul𝄒 delphicũ illud ſubinde reſpiceret: quo monemur, ut ſe ipſum quiſ𝄒 ꝓbè cognoſcat, necubi imperio animi abutamur, quod à Plutarcho etiam Cheroneo præclarè exponitur.

CAPVT III.

De Pſyllis ac Marſijs, eorumq; poteſtate in uenenis tractandis & de Exagono in dolium ſerpentum coniecto, ac de ſillographis autoribus nonnihil.

DE Pſyllorum ac Marſorũ populis qui maximè in tractãdis uenenis, experiẽdiſ𝄒 ualerent, et Herodotus Alicarnaſſeus, & alij permulti ſcripſerunt. Verũ quod in Romanis annalibus ſeruatũ eſt, & à C. Plinio relatũ id eiuſmodi certè eſt, ut fidē propè hiſtoriæ exuperet de uiro Exagono, qui cũ fortè in urbe orator ageret, ac uenenorũ uireis, poteſtatē𝄒 iactaret, Romani quidem conſules uolentem eũ in dolium ſerpentũ coniecerunt quo tanti facinoris experimẽtum facerent. Quæ res magnũ proculdubio miraculũ de Exagono, eiuſ𝄒 ingenio præbuit cũ ſerpentes ipſi καὶ τὰ λοιπὰ. ἰβολα: in ipſo eum dolio circulambe rent at𝄒 demulcerent, Romanis hoc totũ ſpectantibus. Sed ẽm populi qui contra uenena polleãt, etiã oblogenas in Cypro inſula, itē𝄒 Tentiri celebrãtur, qui eſſe adeò crocodilis terrori dicunt, ut uocē quo𝄒 illorũ maximè reformidēt ac fugiant: nã & faſcinationes ab hiſdem fieri traditũ eſt. Pſylli

autem

autem apud quoſdam pro uirulentis omnibus ac uenenatis intelliguntur. Timonis uerò opus inſcriptum σίλλοι φιλοσόφων quòd eſſet amarulentum carmen, plenumq́ mordacitatis.

Didymus. Nam & Marcellinus Ammianus Didymum quidem grã/maticum Alexandrinũ ſatyricè inceſſit, quòd is autores, ut inquit, ſillographos imitatus libros ſex contra M. Cicero/nem ſcripſerit, iuxta illud uetus Sus Pallada. Siquidẽ in his Didymus ciceromaſtix potius dictus eſt, quã docti nomen aſſecutus, quod etiam Gallus Aſinius, & Laërtius Licinius pari improbitate factitarunt: cuius commentarius titulo (ut inquit Gellius) infando ciceromaſtix diceretur.

CAPVT IIII.

Anacharſis Scythæ ſententia, de populari Athenienſium ſtatu, & quo pacto populi adminiſtratio ab honeſtis & prudentiſſimis uiris fugienda & deteſtanda ſit.

RElatum eſt à Plutarcho Chereneo, quo pacto Anacharſis Scytha, qui ex ſeptem fuit Athenienſium ſtatum (qui populi imperio agebatur) breui interiturum prædixerit. Nam cũ fortè is in Athenienſis populi concionem foret deductus, ac ſpectaſſet ea quidem omnia quæ ſumma in repu. & præcipua erãt iudicio populi diſcerni. Miratus primò eſt Athenienſiũ conditione, qui cũ rebus pręclare geſtis, & autoritate apud omnes præſtarent, ad tam iniquum imperium pœnæq́ obnoxium, deueniſſent, itaq́ prudentiſſimè inquit: ô rempublicam breui perituram, in qua uiri principes conſultent: populus aũt & imperita rerum plebecula decernat, cui uidelicet propriũ ſit, & in minimis maximè formidare, & in maximis minimè proſpicere. Quod hercle dictum Anacharſis ἐκ τοῦ μαντείου fuit, ex quo Plato philoſophus & ueritatis uindex, rerumq́ publicarum uir conſultiſſimus apertè dicebat, nullo modo

 iuſtum

iuſtum imperium uel ciuitatem adpellandam, in qua popularis improbitas ſumma quæq; reipublicæ munera tractare præſumat,nec enim de nihilo Charondas (qui leges Cathinienſibus condidit)in hunc modũ de populo concludebat. Qui ſe populo committit,fortunam nõ rationem ſequitur: qui fortunæ fauet,periculo &aleæ ſe dedit:qui in alea eſt,ad ruinam &cladem inclinat,ſic ille in populo fortunam,in bonis rationem ponebat.

CAPVT V.

Pacuuij carmen relatum de fortuna eiusq; multiplici poteſtate Et quid item de eadem C: Plinius ſcripſerit.

QVoniam permulta paſſim ab authoribus de fortuna eiusq; uiribus ſcribuntur,libitum nobis in præſens Pacuuianum carmen apponere,in quo graphicè quidem & eleganter uis ipſa fortunæ ac poteſtas ab eo ſit expreſſa his uerſibus:

Fortunam inquit inſanam eſſe & brutam perhibent philoſophi,
Saxiq; adinſtar globoſi prædicant eſſe uolubilem.
Quia quo ſaxum impulerit fors eo cadere fortunam autumant: *Fortuna cæca.*
Cæcam ob eam rem eſſe uocant quia nihil cernat quò ſe ſe applicet.
Inſanam autem aiunt,quia atrox,incerta,inſtabilisq; ſit:
Brutam,quia dignum aut indignum nequeat internoſcere.

Hactenus Pacuuius.Quod etiam carmen M.Cicero in Rhetoricis rettulit,nequis in eo quæritando diutius fatigetur,& ſi quidam paulò indoctius id ut ſolutam Ciceronis orationẽ adducant.Plinius autem in hunc modũ de eiuſdem fortunæ poeſtate ad C.Veſpaſianũ,toto inquit mũdo & locis omnibus,omnibusq; horis,omniũ uocibus fortuna ſola inuocat̃, & una nominat̃,una accuſatur,una agit̃ rea, una cogitatur, Sola laudatur,ſola arguitur,&cum conuitijs colitur,uolubilisq;,à pleriſq; uerò,& cæca etiã exiſtimata,uaga,inconſtãs,

incerta, uaria, indignorumq; fautrix, huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utramq; paginam facit. Apud Scythas uerò eiuſdem ſimulachrum ſine pedibus fingebatur, ut manus tantum, & pēnas haberet. Apud Smyrneos aūt eiuſmodi fuit, ut capite polū fulciret, & manu altera cornu Amaltheæ retineret, quæ Bubali ſtatua etiam à Pauſania deſcribitur.

CAPVT VI.

Quàm eruditè Plato philoſophus ſcripſerit homines iracundos memoria præſtare, graues autem obliuione. Tum de thraſcenſibus populis & cæli poteſtate.

NEmo eſt omnium qui ignoret, qualis, quantusq; Plato philoſophus, & uitæ & ingeniorū exiſtimator fuerit, ut eius quidem iudicium in quaq; re ad amuſſim factum meritò credatur. Sed eruditè ac prudenter uiſus mihi eſt eos homines adnotaſſe, qui uel iudicio, uel memoria præſtent. Tum quo maximè argumento hoc totum prænoſcamus. Nam eos inquit maiori memoria eſſe, qui ad iram & cōtentiones facilius excitantur. Eos uerò qui modeſtiam & grauitatē præ ſe ferunt, ſegniores plerūq; & obliuioni obnoxios. Sed uerba ipſa ſubijciemus ex Platonis libro de ſcientia, quo loco Demetrius cum Socrate hanc partē exequitur, de Theeteto agens. Eſt admodum (inquit) arduū, reperire hominem ingenioſum, qui ſimul etiam manſuetus, atq; modeſtus ſit: nec enim fuiſſe quenq; hactenus, aut eſſe uideo, qui eo naturæ genio ſit, ut utrūq; ſimul habeat. Sed enim qui acuti ſunt, callidiq; ac memorioſi & dociles in iracundiam ferè, atq; cōtentiones ferūtur præcipites, atq; raptātur, perinde ac ipſæ naues ſine ullis retinaculis. Iidemq; homines furore potius quodam, quàm fortitudine præſtāt. Verùm qui natura grauiores ſunt, ſicubi ſe inquit ad diſcipli

nas

has conferunt, tardi, deſides, obliuioſi, atq; obtorpeſcentes uidentur. Nam & Thracenſes populi, ut eſt autor Ariſtoteles, quia robuſtiores, hebetioresq; ſunt, nullius propè memoriæ cenſentur: ſiquidem ad quatuor tantum enumerant neq; ultrà rationem producunt, quòd eis priora excidant, ſi plura connumerent, ſicut pueruli faciunt. Quæ res cæli *Thracenſes* (ut opinor) merito, & defluuijs accidit: quando ipſi ferè ho *ſtupidi.* mines καὶ τὰ ἄλογα ζῶα magna ex parte ex illis cõſtant. Vnde ſic Iulius Maternus ad Mauortiũ Lollianum in Aſtronomicis: Quædã (inquit) gẽtes ita à cælo formatæ ſunt, ut propria ſint morum unitate perſpicuæ. Scythæ immanis feritatis crudelitate graſſantur, Itali fiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, auari Syri, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiatici, & uoluptatibus occupati, Hiſpani elata iactantiæ animoſitate præpoſiti.

CAPVT VII.

De obitu Hermolai Barbari Veneti, & Pici Mirandulæ officio erga eundem cum peſtilentia in urbe laboraret.

QVo tempore has noſtras commentationes meditabar, relatum mihi eſt, Hermolaum Barbarum (qui Romæ tum agebat) peſtilentiæ morbo affectum, quæ res Picum Mirandulam, & Angelum Politianum, uiros & ingenio, & doctrina nobileis, ita ſtatim commouit atque effecit, ut illacrymari propemodum cœperint, ac ſortem bonarum literarum maximè dequeſti ſint: quaſi in hoc uno homine romana res periclitari uideretur: neque iactura quidem, ſed naufragium foret, ſi Hermolaus interiret. Dein autem Picus, ut uir maximè officioſus, & ingenuè doctus, excogitare cœpit, quo nam pacto qui Florentiæ tum ageret, ferre

opem Hermolao abſenti poſſet. Itaq; ſtatim pharmacon cō tra peſtē, quod ille ſibi, ſi quando incidiſſet aſſeruabat, diligentiſſime curat, ut Romam quā celerrime ad Hermolaū deuehatur. Dicebat autem Picus illud ipſum ex oleo ſcorpionum, lingulisq; aſpidum, & alijs eiuſmodi uenenis confectum, ut nihil fieri poſſit contra peſtilentem morbū cōmodius aut præſentius. Sed interim dum antidotū ad Hermolaum defertur, ſæuiente morbo in fata concedit. Quam rem libuit hoc loco referre, ut quorundam inſolentiam pariter & inſcitiam reprimamus, qui cum ſeipſos doctrina cæteris præferant, & præferri cupiant: in hoc maximè gloriantur, ſi doctiſſimo cuiq; maledixerint: & alia reprehēdentes, in quęq; pari dementia blacterent, cum ſit officium uiri humanioris non diſciplinis modò, ſed etiam doctis fauere, quod ipſe Picus Mirandula egregiè præſtabat: reputans animi parum liberi & inſinceri eſſe, inuidiæ magis, quàm doctrinæ concedere. In quo & Plato & Xenophon meritò ſunt à doctis reprehenſi, cum neuter menſionem uſquam de altero fecerit, ſed obliquè potius alter alterum perſtrinxerit. Quo magis etiam damnādi ſunt, quod amœnitatis ſocraticæ duo fuiſſe lumina creditū eſt. Et is hercle poſteritatem deſerit, qui antiquitati addictus nihil ſuæ ætati concedit.

CAPVT VIII.

De ſæuitia Fului æ in Ciceronis caput, & qua ignominia habitus ſit, ex Dionis hiſtoria: & carmen Seueri poëtæ additum ex eodem Cicerone.

QVantopere ſæuitum ſit in M. Tullium à M. Antonio poſt eius cædem, teſtis eſt uniuerſa antiquitas: qualiq; ignominia & iniurijs affectus fuerit, cum eius ſacrum caput ac manus crudeliter abſciſſæ, ac pro roſtris affixæ fuerint. Primò enim allatū ipſi Antonio caput

caput in menſa apponi uoluit, perq́ diem illud aſpexit, quo uſq́ tali ſpectaculo animũ exatiaſſet, deinde tollendum præcepit, ut Appianus Alexandrinus refert. Sed quod eſt apud ipſum Dionem Pruſieum, & in Sudæ collectaneis notatum repetendum arbitror, ne tam ſæuam, tam crudelem, ſceleratamq́ immanitatem in ſacroſanctum eloquentiæ principẽ non conſideremus, præſertim agente hoc fœminę improbitate. Nam cum Fuluia Antonij uxor, eiuſdem M. Tullij caput in manibus retineret, primò illud maledictis ac diris execrata eſt. Deinceps etiam inſpuens, gremio ſuo appoſuit, acriusq́ inſpiciens linguam quoq́ illi è faucibus extraxit, & in eam ſæpe aciculam infixit, qua tunc ad ornamenta capitis utebatur, ne quid omnino poſſet ab aliquo deſiderari, in quo muliebris ſæuitiæ argumenta deeſſent. Huius autem cędem, atq́ immane facinus permulti apud ueteres, tum proſa, tum carmine deplorarunt ut, Portius latro, Albutius Sylo, Ceſtius Murrhedius, alijq́. Sed nemo tamẽ elegantius, doctius, efficatius, quàm Seuerus Cornelius his uerſibus, uti ab Anneo Seneca traditum eſt:

Oraq́; magnanimum ſpirantia pene uirorum
In roſtris iacuêre ſuis. Sed enim abſtulit omnis
Tanquàm ſola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia conſulis acta,
Iurataq́; manus, deprehenſaq́; fœdera noxæ,
Patriciumq́; nefas, eſt nunc & pœna Cethegi,
Deiectusq́; redit uotis Catilina nefandis.
Quid fauor, aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt. ſacris quid exacta artibus ætas?
Abſtulit una dies, æui decus, ictaq́; luctu
Conticuit latiæ triſtis facundia linguæ.
Vnica ſollicitis quondam tutela, ſalusq́;,
Egregium ſemper patriæ caput, ille ſenatus

Vindex ille fori, legum, ritusq́; togæq́.
Publica uox eius æternum obmutuit armis,
Informes uultus, ſparſamq́; cruore nefando
Caniciem, ſacraſq́; manus, operumq́; miniſtras
Tantorum, pedibus cuius proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans, nec lubrica fata, deoſq́;
Reſpexit, nullo luet hæc Antonius æuo
Hoc neq; in Emathio mitis uictoria Perſæ
Nec te dire Siphax non fecit in hoſte Philippo.
Inq́; triumphatæ ludibria cuncta Iugurtha
Affuerat, noſtræq́; cadens ferus Annibal iræ
Membra tamen ſtygias tulit inuiolata ſub umbras.

CAPVT IX.

Taciti uerba explicata in Iudæorũ hiſtoriã, & quo pacto Chriſtiani etiam ſint Aſinarij appellati, quaq́; ignominia Chriſti effigies ab antiquis depicta fuerit, in quo inſolentiam pariter atq; odiũ contra chriſtianam religionem oſtenderunt.

VErba ſunt Cornelij Taciti, quo loco hiſtoriam de Iudæorũ origine & moribus ſcribit. Aſſenſere Iudæi Moſi duci, atq; omniũ ignari fortuitũ iter incipiũt, ſed nihil æquè, quã inopia aquę fatigabat. Iamq́; haud procul exitio totis campis procubuerunt, cũ grex aſinorum, agreſtũq; è paſtu in rupem nemore opacam conſcẽdit. In quibus uulgatiſſimi ferè codices deprauati alicubi cõperiuntur, & quidem ineptiſſimè, uti res ipſa. Et Sept. Tertullianus docet, qui Taciti uerba mutuatus, ad hunc modum in Apologetico id explicat: Refert (inquit) Tacitus Iudæos Aegypto expeditos, ſiue (ut putauit) extorres, uaſtis Arabiæ aquarũ locis egentiſſimos, cum ſiti macerarentur onagris, qui fortè de paſtu potum petituri exiſtimabantur, indicibus fontium uſos, ob eámque

gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem cõſecraſſe. Notũ eſt enim quòd ipſi quidem Iudæi ab Appione Alexandrino, Moloneq́ & alijs notati ſint, quòd aureũ aſini caput in templi ſacrario ſeruarent, atq; adorarẽt: quoniã Moſe duce (ut improbè aſſerunt) aſinorum beneficio aquas Iudæi inuenerunt. Quod eſſe falſum & planè fictitiũ Ioſephus Iudæorũ uernaculus, & templi ſacerdos, alijq́ complures aſſeuerant. Vnde idem Tacitus, ut mendaciorũ loquaciſſimus à noſtris meritò inceſſitur. Romani aũt ueteres pari cauſa & chriſtianos æquè ac Iudæos Aſinarios uocarũt, obſtinato uidelicet in Chriſti nomen odio, quem per ignominiã etiã Chreſtũ, per e literã appellabant. Sed & figuris, picturisq́ Chriſtianis illudebant, quando infando etiam picturæ genere, deum noſtrum, ſic depictum ſpectanti populo propoſuerunt, ut is foret auribus aſininis, pede altero inungulatus, librum geſtans, & togatus: cui flagitio (ut ſcelus adderent) tali titulo Chriſti effigiem dedecorarũt: Deus chriſtianorum ὀνόχοιτος. Qua in re uel ipſe quidem Tertullianus ægrè à riſu abſtinuit, cũ nomẽ ipſum & formã cõſpiceret.

CAPVT X.

Dictum Theodôri Gazæ nimis improbum cum Beſſarione philoſopho, ſuper doctrina diui Hieronymi, & quomodo iniquius pro Ciceroniano fuerit accuſatus.

DIctum celebre eſt Theodôri Gazæ de diuo Hieronymo, eiúsque eruditione, affectum fuiſſe iniuria Hieronymum à Ruffino, quòd eum pro Ciceroniano accuſet, in quo paulo audacius ironia eſt uſus. Nam quid (inquit) opus, ut in re falſa in ius appellaretur, litémque illi ad tribunal Chriſti de nimia eloquentia conteſtaretur. Sed hoc totum de Gazæ ingenio & acumine pro re nata exponemus. Erant fortè cum

cum Beſſarione Niceno, uiro in philoſophia excellenti, Theodôrus Gaza, & Plethon Bizantius, qui cognomēto γέμιστος appellatur, tres eo tempore (ut conſtat) uiri doctrina, & ingenio nobiles. Quæſitum eſt igitur de diuo Hieronymo, quantum in romana eloquentia præſtiterit. Ex quo Beſſarion: Facundia (inquit) maxima fuit apud latinos Hieronymus, quando, & affectatæ nimis eloquentiæ pro Ciceroniano & habitus ſit & accuſatus. In quo Theodôrus dicit riſum mouiſſe, ut qui foret in romana etiā eloquentia cenſor acerrimus. Et ſimul iniuria hæc (inquit) o Beſſariō inſignis in Hieronymum facta eſt à Ruffino, plagasq́ illas nullo ſuo merito tulit. Quo dicto Beſſarion & Gemiſtus magis riſerunt, cognito Theodôri ingenio, & attica urbanitate. Neque prorſus negauerim quædam eſſe in Hieronymo, quæ non uſq́quaq́ romanam in dicendo puritatem atque elegantiam probant. Quod equidem uitium (ſi id uitium eſt) non homini, ſed tempori, & profeſſioni tribuendum exiſtimo. Nam inter Chriſtianos homines (ut idem inquit Hieronymus) non eloquentiæ, ſed uitæ accuſantur uitia: in quo tamen improbior atq́ audatior uideri poteſt Theodôrus, qui tam apertè contra Papiam legem latinam ciuitatem inuadit, eúmque uirum in ius appellet, qui de omnibus ueterum diſciplinis quàm optimè meritus dicatur.

CAPVT XI.

De Socratis cōſtantia cū uxoribus, ac de eius effigie et deformitate ex Hieronymo: tum de imaginibus philoſophorū in ueterū gymnaſijs.

Librum fecit Hieronymus cōtra Iouinianū, in quo de bono & laude uirginitatis, cū copioſè diſſerat cōplures fœminas recēſet quæ tali merito apud uarios populos ac nationes præſtiterint, prętereaq́

mala

mala & incommoda, quæ ex ipſis uxoribus proueniant, unde cũ de Socrate philoſopho ageret, quàm conſtanti animo earum iurgia & contumelias perferret, non modò inquit Socrates hanc uxorũ improbitatem patienter ferebat, ſed illas ultro de ſua etiã deformitate irridebat. Nam Xanthippe quidem & Myrtho, quæ filia Ariſtidis fuit, ſiue (ut tradit Hieronymus) neptis, cum Socratis ambæ forent uxores, ex lege illa Athenienſium ob ciuitatem replendam, in muliebreis ſubinde contentiones propter eundem Socratem deueniebant. Sed is in hunc modum illis inter ſe iurgantibus perurbanè illudebat, ut à tali improbitate & conuitijs abſtinerent: neq; dignum eſſe, ut propter eum diſceptarent, qui eſſet homo tam fœdus ac deformis, quiq; ſimis naribus, recalua fronte, piloſis humeris, & repandis cruribus. Hæc Hieronymus de facie philoſophi Socratis, quæ me quoq; monuerũt, ut ea referã quæ de forma, & effigie ueterum philoſophorum, in atheneis gymnaſijs, Pritaneisq; olim uiſerentur, ſicuti Sidonius Appollinaris ad Fauſtum tradit. In Areopagis inquit uel gymnaſijs curua ceruice Zeutyppus, Aratus panda, Zenon frõte contracta, Epicurus cute diſtenta, Diogenes barba comãte, Socrates coma candente, Ariſtoteles brachio exerto, Xenophanes crure collecto, Heraclitus fletu oculis clauſis, Democritus riſu labris apertis, Criſpus digitis propter numerorũ indicia conſtrictis, Euclides propter menſurarũ ſpacia laxatis, Cleantes propter utrunq; corroſis.

CAPVT XII.

Quanta prudentia, ac doctrina Meſſala Coruinus præſtiterit, & quomodo præfecturã Rom. urbis recuſauit, ut inciuilẽ atq; immoderatã dignitatem.

Dictum à nobis aliàs de imperatore Diocletiano, ciusq; ciuili animo, atq; modeſtia in Romano imperio gubernando, cum ætate iam ædita in ſuis hortulis molliter conſeneſcere in ocio maluerit apud Sa-

lonas,quàm Romanæ reipublicæ adminiſtrationem ſubire. Sed illud de Meſſala Coruino dignum ſatis exiſtimaui,quod hoc loco referretur,uiro in publicis officijs,atq; omnibus diſciplinis clariſſimo. Is igitur primus omniũ Romanæ urbis præfectus conſtitutus,die ſexta(ut ab Euſebio traditum eſt) ab ea dignitate ſe abdicauit,qua in re maiorem habuit rationẽ patriæ,quàm ſuæ dignitatis:ut qui diceret, inciuilem atq; immodicã eſſe poteſtatem,nec in Romana ciuitate ferendã. Quod equidem iccirco ſeruandum putaui, quoniam præfecturæ ipſæ urbanæ, magnas ſæpe factiones, atq; calamitates in urbe excitarunt. De hoc autem Meſſala,eiusq; ſingulari prudentia & grauitate,ut alia nunc omittamus, teſtimoniũ extat ampliſſimum M.Tullij Ciceronis,ſic enim ad Brutũ: Meſſalæ(inquit)excellentiam nõ poſſum ſilentio præterire, caue putes quenquã eſſe illi ſimilem,cõſtantia,cura, ſtudio reipub.&eloquẽtia qua mirabiliter excellit. Tametſi Meſſala idem cum prouectior foret,memoriæ ſenſum ſic amiſit,ut ſui quoq; nominis oblitus tradatur. Idq; illi biẽnio ante obitum contigit, quod Orbilio itidem Beneuentano accidiſſe conſtat,unde illud poëtæ Bibaculi Orbilius ubi nam eſt literarum obliuio.

CAPVT XIII.

Chriſtianos fuiſſe per ignominiã Semiſſios & Sarmentarios uocatos,& quod ſemiſſes homines,pro minutioribus,& ignauiſſimis à ueteribus dicatur.

PAlàm eſt quanta libidine ac ſæuitia Ro. olim principes chriſtianos homines inſectarent,ſurgentẽq; religionem comprimere conati ſint:nam & ſæuiſſimis decretis, atq; edictis nõ abſtinuerunt, quo tã propenſam religionem & egregiã animi conſtantiã perfringerent,quod innumeri propè authores teſtantur. Itaq; conuitijs etiam & maledictis Chriſtianos uulgò exagitabant, Se

miſſios

miſſos, & Sarmentarios ridiculo nomine appellantes, ut à Septimio Tertulliano proditum eſt. Necq; alia ratione ſic eos uocarunt, quàm quòd ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti ſarmentis additis, concremarentur. De quo ſupplicij genere Pamphilus quocq; Euſebius meminit. Quin & Auguſtinus ſarmentis tradit complureis Chriſtianos conſumptos, quo circa Sarmentarios dictitabant. Semiſſes autem illi homines à ueteribus ſunt nuncupati, qui breuiculi, atcq; minutiores extarent, quaſi ad menſuram dimidij aſſis: ut ſemodios, & ſemuncias dicimus. Vnde Publius Vatinius ad Ciceronem: Simius (inquit) non ſemiſſis homo contra me arma tulit. Sed & Tiberius Donatus in commentario Vergiliano ad Donatianum filium, ſemiuiros dici refert, quaſi ex ſemiſſibus conſtanteis: quibus nihil haberi deterius poteſt. De uſuris autem, quæ per beſſeis & ſemiſſeis dicerentur, cōmodè à nobis dictum eſt.

CAPVT XIIII.

Anquiro & Anquiſitiones, uocabula eſſe Romana & honeſta, quibusq; authoribus id aſſeratur contra quorundam inſcitiam.

RIſum mihi grammatici quidam nuper mouerunt cum Romæ agerem. Nam inter alias eorum ludicras quæſtiones atcq; ineptias, uerbum hoc quod eſt Anquiſitio, & Anquirere, perinde atcq; inſolens, & inhoneſtū afferebant: necq; dignum quod à Romanis hominibus, pro Latino & ſincero haberetur. Quod ego pro tempore diſſimulandum potius, q̄ exponendum putaui. Sed hoc quidem uerbum ſatis frequens apud ueteres cōperitur, & ſi alicubi deprauatum ſit, próque eo inquiſitiones repoſitum. Nec enim Liuius tantum in Romana hiſtoria uſus eſt, ſed & Marcus Cicero & Iunius Columella. Marcus quoque Sergius commentarium ſcripſit anquiſiti-

Cõmentarium onum titulo, ſicuti à Terentio Varrone obſeruatum eſt, *acquiſitionum.* quo loco de accenſi officio ac poteſtate diſſerit. Dictum uerò eadem figura eſt, qua & amputare, & ambuſtum, & an- *Amputare.* ceſum dicimus. Nam amputare, circumputare eſt, ut à Sext. etiam Pompeio exponitur. Vnde aurum purum, pro puro & purgato ab antiquis acceptum eſt. Anquiſitiones autem intelligimus, cum diligẽti perueſtigatione aliquid circum- *Annus.* quæramus, quod & Ver. Flaccus probauit. Hinc etiam annus deductus eſt, ab ipſo temporis circuitu, ut ex Capito- *An.* ne Atteio refert Macrobius: quoniam an pro circum ueteres poſuerunt: unde anterminos, circunterminos, & anſanctum. Et ambire, pro circumire: quæ grammaticorum commentarijs peruulgata atq; detrita ſunt.

CAPVT XV.

Quod eodem die natalis Alexandri Macedonis fuit, & templi Dianæ Epheſiæ concrematio, ac de authore ipſo incendij cognitio non iniucunda.

IN ueterum libris ſeruatum eſt, eodem die natalem Alexãdri Macedonis fuiſſe, et Epheſię Dianæ templũ illud memoratiſſimũ inceſum quod inter ſeptẽ toto orbe pulcherrima refert. Id aũt accidit Olimpiade Centeſimaſexta, ut annales tradunt. Nomen uerò eius qui tantum facinus fuerit aggreſſus, fuit Heroſtrato. Itaq; cum captus foret, atq; interrogatus ab Epheſijs, quanam ratione adductus, tantum ſcelus perpetraſſet non aliam ob cauſam reſpondit, quã ut maiorem nominis famam, atq; æternam celebritatem conſequeretur. Quo cõperto, decretũ ab omnibus Epheſijs factũ eſt, ne quis eũ ullis unq; temporibus nominaret. Neq; me latet, ſepties fuiſſe id templũ reſtitutũ, ut Mutianus eſt author. Strabo aũt uir in perquirendis ueterũ monumentis diligens, refectum

affe-

aſſerit, longeq́ præſtantius, ac maioribus ornamentis abſolutũ, Dinocrate tanti operis authore, qui Alexandriã quoq́ urbem conſtruxit. Qua in re Athenodórus quidem ac Tymeus à Strabone aduocantur. Dinocrates.

CAPVT XVI.

De doctrina Annei Senecæ philoſophi, & eius ſententiæ allatæ, quæ ſint ab omnibus ediſcendæ atq; obſeruandæ.

IN Seneca Anneo complura paſſim comperies, quæ animi magnitudinẽ, conſtantiamq́ & grauitatẽ maximã indicent. Nam de hominis eloquutione, & ſtylo orationis, nihil mihi dicẽdũ exiſtimo hoc loco, cũ noſtri quidam critici, ut incultum atq; inelegantẽ meritò notauerint. Quod ſi mores in eodem quærantur, ſi uitæ præcepta, ſi æquitas, modeſtia, cõtinentia, cæteræq́ uirtutes exigantur, perdoctè id quidẽ, & grauiter laudatas ab eo, & abſolutas inueniemus, cũ uitia quoq́ & libidines, oẽmq́ nequitiã magno ſtudio repulerit, & cõſtanter repreſſerit: cuiuſmodi ſunt hæc, quæ nuper ueluti Pythiæ oracula cenſui ediſcenda, ac in memoria ſemper retinenda. Nihil eſt (inquit) turpius, quã grandis natu ſenex, qui nullũ habet aliud ſuæ uitæ argumentũ, quo ſe diu uixiſſe dicat, præter ætatem. Item & illud de officijs & actionibus hominũ: Ita uiuendũ (inquit) cũ hominibus, tãq́ deus uideat: ſic loquendũ cum deo, tanq́ homines audiant. Quæ cũ nuper Ioanni Canaccio retuliſſem, omnibus quidẽ locis atq; templis habenda atq; obſeruanda aſſeruit: homo non minori cõſtantia animi inſignis, quàm egregia uitæ ſinceritate. Neq; mirũ uideri debet, ſi diuus etiã Hieronymus, hunc ipſum Senecam in Chriſtianorum academiam ac ſanctorum catalogum pertrahere conatus eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT XVII.

Quod ſit grauiſſimum ſcelus, auaritiæ crimen, ac uerba ibidem ex epiſtola Caſſij, & alia ex Salluſtio ad id pertinentia.

QVàm multa, & quã uaria ſcripta ſint à ueteribus, cõtra auaritiam palàm eſt, cum omnes propè autores, magnis quidẽ cõuitijs, inſectationibusq; tantum ſcelus execrati ſint. Sed Auidij Caſſij uerba ex eius epiſtola repetenda ſunt, quoniam ſi hoc malum priuato homine indignum eſt, certè in principe nefandum, atq; mulctandum. Sic igitur Auidius Caſſius ad generum ſuum: Miſeram rempublicam atq; infelicem, quæ nimis diuites, diuitiarumq; cupidos patitur. Itaq; M. Antonius imperator, uir, & moribus, & rebus geſtis clariſſimus, nihil in tota uita magis timuit, atq; deprecatus eſt, quàm auaritiæ famam: ſicuti relatum eſt a Iulio Capitolino. Nam quantum à tali crimine abeſſet, teſtes optimi ſunt eius epiſtolæ. Vero aũt uerius eſt, quod à Criſpo Salluſtio refertur in hunc modum: Belua, fera, immanis, intoleranda eſt auaritia. Quo intendit, oppida, agros, phana atq; domos uaſtat: diuina cum humanis permiſcet. Neq; exercitus, neque mœnia obſtant, quo minus ui ſua penetret. Fama, pudicitia, liberis, patria atq; parentibus, cunctos mortaleis ſpoliat. Ex quo nobilis illa ac uehemens execratio, ſi eſſent inferi auaritiæ, cuniculi eos refodiſſent. Quod ob eam rationem ſeruaui, ut facilius cõſiderari poſſit, quãtum ætate noſtra, in eorum dignitate ac imperio ſperandum eſt, qui ad aurum & diuitias cõgerendas, animum ſemper intendunt: cum ſit hoc uitium præter cætera omnia uitioſiſſimum.

CAPVT XVIII.

Indigitare deos quid ſit, ac de Indigitamentis, & qui dij indigetes uocati ſint, ex multis authoribus.

VErba ſunt in ueterum cõmentarijs Indigitare, & Indigitamenta, de quibus nõnihil dicendum exiſtimaui, cum paulò ſint obſcuriora, & à nonnullis inepte expoſita. Indigitare igitur pro eo accipere debemus, quod eſt indigetem, & diuinum comprecando reddere. Nam eos dicimus ferè Indigetes (ut a multis traditur) qui nullius rei egeant: id enim eſt tantum deorum, ut Xenophon Socraticus aſſeruit. Hinc illud peruulgatum: Calendis Maijs ſolitos ueteres, bonam deam, Faunamq́ & Opem, & Fatuam, ex pontificũ libris indigitare. Virgines autem Veſtales cum indigitare Apollinem uellẽt (ut à Vectio Prætexato refertur) Apollinem medicum, Apollinẽ pæana dicebant. Quo loco celebrare, & comprecari à Feſto expoſitum eſt. Sed & Frontinus urbem Romam ueteri uerbo indigetem uocauit: Romana (inquit) urbs indiges, terrarumq́ dea, cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Dij præterea indigetes illi habiti ſunt in põtificum libris, quorũ nomẽ uulgari non liceret, ut authores ſunt, Verrius, Dionyſius, et Feſtus, quanq́ Aeneas quoq; indiges dictus eſt, eideq́ templa conſtructa, cum in certamine contra Mezentium nuſq́ comparuiſſet. C. uerò Flaccus librum compoſuit de indigitamẽtis, eũq́ ad Cæſarẽ miſit, ut Cenſorinus meminit cũ de nomine et poteſtate Genij diſſerit. Necq; illud ignoramus indigitamenta à quibuſdam pro incantamentis & ueneficijs exponi, ſed hoc ab indagando (ut puto) alterũ ab indigendo deductum eſt. *Roma indiges*

LIBRI PRIMI COMM. PET. CRIN. FINIS.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Remedium de ſoluēdis amoribus, cū mirifico exemplo Fauſtinæ, ac de natali Commodi imperatoris qui omniū crudeliſſimus fuit.

RElatū eſt in Græcorū cōmentarijs, quā nam ratione, ac remedio, uti homines oporteat, in ſoluendis amoribus. Neq; Magi tantum in ſuis libris hoc tradiderūt, ſed etiam Cadmus Mileſius, qui inter alia hiſtoriæ monumenta libros aliquot cōpoſuit, de abolendo amore, ſicuti ſcriptum eſt in Suidæ collectaneis. Nos uerò exemplum nunc apponemus, de Fauſtina illuſtri fœmina. Quæ cū Antonij pij imperatoris filia eſſet, & Marci philoſophi uxor, cū gladiatoris amore nimio, ac ſupra fidem tabeſceret, mirifico prorſus cōmento excogitatū eſt, ut à tanto amoris cōtagio eam redimerēt. Nam cum M. imper. ex ea rem percepiſſet, Caldæis hoc & mathematicis expoſuit, à quibus decretum eſt pro Fauſtinæ ſalute, ut occiſo gladiatore (quē illa maximè deperibat) eiuſdē cruore epoto, ſe ſubleuaret, ac ſtatim cū uiro ſuo concūberet. Quo facto (ut traditur) ipſa quidem Fauſtina amoris cōtagio liberata eſt, ac ex eo quidē cōcubitu, natus mox Antonius Cōmodus, qui Romanū imperiū gladiatorijs pugnis, ac ſæuiſſimis cædibus, ut homo ſanguinarius, adeò attriuit, ut gladiatoris nomen, non imperatoris meruerit

Fauſtina.

Antonius Cōmodus gladiator.

meruerit. Quod & Iulius Capitolinus ad cæſarē Diocletianū refert. Quanq̃ nec ignoramus quidē, hoc totū de ortu Cō/modi Auguſti uelut cōmentitium, καὶ οὐ πίσον à quibuſdā referri, quando idem Capitolinus ex uulgari fabella circumlatū hoc aſſerat.

CAPVT II.

De ſtudio ac literarijs uigilijs Pici Mirandulæ. Tum inibi Apologus perelegans de Furio Creſino ex pliniana hiſtoria allatus.

FActum eſt, ut Picum Mirandulanum nuper audirem de philoſophia doctè, atq; egregiè diſſerentem, ibiq; cum Angelus Politianus & alij complures eius ingeniū atq; multiplicem eruditionē laudarēt, ac mirabundi extollerēt, Nō eſt (inquit) Picus, ut hac in re mihi, aut ingenio nūc uelitis blandiri: quin reſpicite potius, ad labores, & uigilias noſtras, ac tum facilè intelligetis, gratulandum potius aſſiduis uigilijs, atq; lucubrationibus, quàm noſtro ingenio plaudendū. Et ſimul aſpicite (inquit) ſuppellectilem noſtram, atq; librorū theſauros. Oſtendebat autem egregiè inſtructā, atq; copioſam bibliothecā, librisq; affatim omnigenis refertā. In quo recordatus equidem ſum ueterem hiſtoriā Furij Creſini, elegantem ſanè & lepidam, quæ perinde à nobis nūc refertur atq; à C. Plinio poſita eſt, quo loco de agris colendis præcepta exponit. C. (inquit) Furius Creſinus è ſeruitute liberatus, cum in paruo admodum agello, largiores multò fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis uicinitas, inuidia magna erat, ceu fruges alienas ueneficijs pelliceret. Quamobrem à Sp. Albino Curuli, die dicta, metuens damnationem, cum in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentū ruſticum omne in forum protulit, ſimulq; filiam adduxit ualidam, atq; (ut ait Piſo) bene curatam, ac ueſtitā, ferramenta egregiè facta, graueis ligones, uomeres pō C. Furius.

D derosos,

deroſos, boues ſaturos: ac poſtea dixit. Veneficia mea Quirites hæc ſunt: neq; poſſum uobis oſtẽdere, aut in forum adducere, lucubrationes, uigilias, & ſudores. Quo dicto, omnium ſententijs abſolutus eſt. Sed enim illud in ſtudijs dolendũ eſt doctioribus, quod & ſi gratum ſit reperiri aliquos, qui admodum in diſciplinis profecerint, non tamen extimatur, aut expenditur, quantis uigilijs atq; laboribus hoc totum ſunt aſſecuti. Ex quo prudentiſſimè Cicero: Abijt ad deos Hercules (inquit) nunquàm abijſſet, niſi cum inter homines eſſet, eam ſibi uiam in cœlum muniuiſſet.

CAPVT III.

De Subſellijs, eorumq; uocabulis, & quid maximè Scimpodium, quid Scamellum & quid Suppedancum: ex ueterum authoritate.

VErũm profectò illud eſt Q. Ennij: Eũ præter propter uitam uiuere, qui aſſiduè in ocio obliteſcit. Quod ego ſemper cenſui, quouis tẽpore effugiendum, tum his maximè uiris, qui alios iuuare uelint, ac poſteritatem ipſam in aliquo poſſint inſtruere. Et cũ nuper legerem ueteres quorundam commentarios, offendi in his uoces aliquot, minimè uulgareis, aut communes, quibus ſedes, earumq; ſpecies notarentur. Vnde libitũ mihi eſt, aliquid ſubijcere, quod aliqua in parte, ad hoc pertineat, memoriamq; ipſam communiat, ne bono ocio uſquaq; abutamur. Sunt autẽ quæ in præſentia occurrunt hæc: Tripodes, Subſellia, Stratum, Hemiculũ, Trochus, Exhedra, Scimpodium, Lectica: unde etiam Lectarij. Et in urbe Roma caſtra lecticariorum celebrantur transtiberina regione à P. Victore. Sed & Cathedra, Hypodiõ & Torus, Segeſtria quoq; Scamellum, Siliquaſtrum, Sellæ, & Biſſelium, de his enim Var. Terentius agit in libris de Latina lingua ad M. Ciceronem. Tum à ſedendo multa ſcribit deflecti. Nã à ſedendo (inquit) ſedes

Caſtra lecticariorum.

ſedes, ſedile, ſellæ, & ſiliquaſtrum: & ab his etiam ſubſelliũ. Sicuti ſubſipere, quod non planè ſapit: ſic quod non planè ſella erat, ſubſellium. Vbi autẽ duo forent, biſſellia dicebantur. Vnde & Pedianus Aſconius ſubſellia (inquit) eſſe ea quæ triumuiris, quæſtoribusq́ꝫ darentur: illisq́ꝫ etiam qui minora iudicia exercerẽt: ſellas aũt fuiſſe curuleis ac tribunaleis Scimpodiũ uerò ſellæ genus apud ueteres, quod in Græcia frequens fuit. Vnde illud Gellius græcienſe appellauit. Offendimus (inquit) Frontonem Cornelium in ſcimpodio græcienſi cubantem, cũ pedes grauiter ægrotaret. De ſcamello autẽ illud ſciendum, quòd à ſcamno quidem hoc deducitur ſicuti Varro & Priſcianus docent. Iuniores ſcabellum dixerunt ex affinitate (ut puto) litterarũ quæ ſit inter m. & b. Nã quod in poëmate Dauid legitur: προσκυνεῖτε τῷ ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν αὐτοῦ ὅτι ἅγιόν ἐστι, ueteres interpretes, non ſcabellum ut Hieronymus, ſed ſuppedaneum interpretari maluerunt, quod Auguſtinus etiam & alij referunt.

Subſipere. *Subſellium.* *Sellæ.*

CAPVT IIII.

In uitæ officijs habendam generis ac dignitatis hominum rationem, & quàm prudenter ab Hadriano imperatore factum ſit contra ignobilem libertum: ac ibidem quoque de Auguſti Octauij prudentia, & ciuilitate in re ſimuli.

NOn iniuria factum eſt, ut Variũ Antonium Auguſtũ annales atq; hiſtoriæ ueterũ plurimũ accuſent, quod inter alia eius portenta ac ſcelera, urbis Romanæ maieſtatem contempſerit, ſenatumq́ꝫ ipſum ut homo inſolentiſſimus, uelut abiectum mancipium, ita poſthabuerit, ut honores, præfecturas, ac dignitates, per ſeruos etiam ac libidinum miniſtros uendiderit,

ac plurimos paſſim in ſenatum cōuocarit, nulla ratione habita, ætatis, non cenſus, non generis aut uirtutis. Aelius aūt Hadrianus cū ſenatoriam grauitatē ſummis honoribus ac ſtudio proſequeretur, apertè oſtendit, quantum Romanæ dignitati cōcederet, quod ab ipſo Spartiano deſcribitur. Sed illud tamē eiuſdē imperatoris dignū profectò facinus, uiſum eſt quod hoc loco afferatur. Nam cum libertū ſuum inter duos fortè ſenatores mediū ambulantem aſpiceret, paſſus non eſt talem, tanq̃ iniquā ſenatoriæ dignitati afferri ignominiā. Itaq; aulicum ſtatim quendā delegauit, qui audatiā eiuſmodi coprimens, illi colaphū infligeret, ac inſuper adderet: Noli impudens inter eos ambulare, quorū eſſe adhuc ſeruus potes. Qua in re ſapienter ab Hadriano cæſare probatū eſt, non pertinere ad principū dignitatē atq; fortunā, amori amplius quàm uirtuti concedere. Quod Octauius quoq; Auguſtus prudentiſſimè atq; ciuiliter obſeruauit, qui ſuos omneis amicos in urbe, pari iure, hiſdemq; legibus atq; cęteros teneri uoluerit. Quin & maximè conqueſtus eſt, quòd ipſe Romanus populus, liberis ſuis in theatro aſſurrexiſſet, ac ſi quando eos populo cōmendauit, ut homo grauiſſimus, ſemper adijcere cōſueuit: Si merebuntur. Quod & Suetonius Tranquillus in hiſtoria cæſarum refert.

Si merebūtur.

CAPUT V.

De generibus fulminū, quæ uidelicet Poſtularia, quæ Peſtifera & Peremptalia ſint, ac de procurādis fulminibus, ex decēuiralibus tabulis, ac de fulguritis arboribus copiosè explicatū.

QVi de fulminibus & eorum poteſtate apud ueteres ſcripſerūt, permulta quidem genera referunt, eaq; cū ad publica, tū ad priuata ſpectare aſſerunt. Nā diſciplina ipſa Thuſcorū undecim eſſe fulminū genera exiſtimauit. Romani uerò ſaçerdotes et aruſpices duo

duo ex his tantũ ſeruarũt:diurna uidelicet Ioui,nocturna aũt Sumano aſcribentes. In uniuerſum aũt triplici modo appellabãt: Poſtularia uidelicet, Peſtifera,& Peremptalia,ſicuti Sextus Põpeius ex Verr.Flacco rettulit. Et Anneus quoq; Seneca inſinuat. Poſtularia em̃ ob eã cauſam uocarũt, quoniã uotorũ uel ſacrificiorum ſpretã,uel omiſſam religionẽ, repoſcebant. Peſtifera ſecũdo loco nominarunt, quibus interitus aut exiliũ,uel aliqua clades denũciaretur. Peremptalia uerò ea omnia, quæ ſuperiorũ fulgurum ac prodigiorũ oſtenta,et ſignificationes perimerent,atq; penitus abolerẽt. Sed em̃ & tẽpora præſtituta ac definita his erãt,ac poteſtas per ipſos fulguratos populo denũciata.Quod & C.Plinius ex Annei libris copiosè probat, qui publica & priuata fulmina,nõ hiſdem uiribus pollere affirmat.Nã priuata(inquit) nõ ultra decimum annũ exiſtimauit portendere,præterq; hæc, quæ matrimonio primo,uel natali die facta ſunt. Publica autẽ ultra annos triginta,præterq; in deductione oppidorum. Veteres autẽ Romani ex Etruſca diſciplina, ſacerdotes in urbe habuerunt, qui fulmina ipſa procurarent,ac ritè expiarent: qui Fulguratores etiam à M. Catone appellantur. Ex quo in decemuiralibus legibus, ad hunc modum de procurandis atq; expiandis fulminibus: *Fulguratores,*

Sacerdotes cæli fulgura regionibus ratis temperanto,

Vrbem,agros,& templa,libera,& effata habento:

Prodigia,portenta,ad Etruſcos & aruſpices deferunto,

Procuranto fulgura,& obſita pianto.

Procurare enim fulmẽ, & expiare, pontificia uerba ſunt,& ſuis ſacris attributa,ut cõſtat,quod à M.etiam Cicerone exponitur. Nam & Suetonius Tranquillus, Galbæ imperatoris auum,procuraſſe fulgura ſcribit: ac dũ ſacra perageret,direpta illi è manibus exta ab aquila,& in quercũ delata: quod ipſi Galbæ imperiũ præſignauit. Sed & fulgurales libri à ue- *Procurare & Expiare fulgura.*

D 3 teribus

teribus citant, in quibus copioſè ſit explicitũ, quo pacto ꝓcurari fulgura deberēt, quibusq; uictimis poſsēt expiari. Vnde et Fulgur deus, & fulgurator Iupiter, ac eius templũ in urbe apud authores celebre. Quin et fulguritæ arbores hinc dictæ ſunt, ſicut in Plautina fabula ex Philemonis theſauro. In agro (inquit) fulguritas ſint alternæ arbores, Sues moriũtur angina acerrumæ. Oues ſcabræ ſunt tã glabræ quàm hæc eſt manus. Hoc aũt modo, fulgur, fulmen, & tonitruum exponi uideo, ut fulgur ignem oſtendat: fulmen emittat: tertium comminatio quædam ſit, & ſonitus ſine ictu.

Fulgur deus.

CAPVT VI.

Quòd C. Plinius à Græcis diſſentiat de obitu poëtæ Sophoclis, ac de his etiam nonnihil, qui præ nimio gaudio interierint.

CAius Plinius in libro hiſtorię naturalis ſeptim. Sophoclem tragœdiæ poëtam ſcribit mirifico mortis genere occubuiſſe: ſiquidē ex nũtio (inquit) tragicæ uictoriæ perijt. Qua in re Græci ferè omnes authores maximè diſſentiũt. Nam & Samoſateus Lucianus, quē Firmianus dijs, hominibusq; inimicum dicit, in hunc ferè modũ, περὶ τῶν μακροβίων ad Quintillum de Sophocle: Σοφόκλης ὁ τραγῳδοποιὸς ῥαγὰ σταφύλης καταπιὼν ἀποπνίγη πέντε καὶ ἐνενήκοντα ζήσας ἔτη. Aſtipulantur huic ſententiæ, & illi poëtæ Sotadis uerſiculi, in quibus eruditè exponitur, q̃ ipſa plerunq; innocentia, ab iniquitate ſuperetur, tum ipſũ quoque Sophoclem ait acino uuæ extinctum.

Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκε σοφὸν εἶναι
Καὶ κακῶς ἀνείλεθον Σωκράτην ὁ κόσμος
Ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκεν,
Πολύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν.

Αἰσχύλος

Αἰσχίλῳ γφάφοντι ἐπιπέπγκεν χελόνη.

Σοφόκλης ῥαγὰ φάγωμ σαφύλης πνίγεις τέθνηκε.

Deniq; & illud Græcis dicterijs uulgatũ eſt, treis tragœdiæ poëtas, uario & mirãdo fato perijſſe: Euripedem à canibus: Aeſchylum à teſtudine: Sophoclem ex uuæ acino. Quod autem Plinius contra cæteros de obitu Sophoclis rettulerit, uitio magis memoriæ factũ id arbitror, quàm inſcitiæ. Haud enim temerè aliquid de tanto uiro pronunciandum cenſeo, qui de omni uita, & bonis diſciplinis quàm optimè ſit meritus. Nam & Latini ſcriptores, longè in hoc diſſentiunt. Cum Maximus quoque Valerius pro Plinio faciat. Nam de Anacreonte Teio notius eſt, quàm ut hoc pluribus debeat exponi, eum ſcilicet pari obitu ac Sophoclem ex acino uuæ ſuffocatũ. Qui autem nimia lætitia & gaudio perierint, complures apud ueteres nominantur, ſicuti Policrata inſignis fœmina, ex Naxo inſula. Diagoras etiam Rhodius, ac Philippides comœdiæ author, qui poëtarum certamine, cũ præter ſpem uiciſſet, nimio gaudio exanimatus eſt. Ex quo fortaſſe Latini authores pro Philippide comico, tragicum Sophoclem acceperũt, quod alibi etiam notauimus.

CAPVT VII.

Qui apud ueteres fuerint Brutiani ſerui, & qua ignominia, & qui ſint à Romanis habiti Brutij populi, & quòd ab illis deſciuerint, tamen nonnihil etiam de comicis lorarijs.

RElatum eſt in ueterum commentarijs mirificum quidem exemplum, ac Romanæ ſeueritate condignum contra populos Brutios. Hi enim quo tempore Carthaginienſis Annibal Italiam cum exercitu inuaſiſſet longè apparatiſſimo, ac Romanus populus alicubi minus feliciter cum Penis depugnaſſet, primi quidẽ

ex omni Italia ad Annibalem defecerũt. Sed cum ſuperatus Annibal Italia excedere cogeretur, bono atq; utili exemplo ſenatus, populusq; Romanus cẽſuit in Brutios animaduertẽdũ, ac ita eos puniẽdos, ut nunq; deinde pro ſocijs Romani populi haberent: neq; nomina eorũ (ſicuti antè) in ordinẽ militiæ ſcriberẽtur. Sed illud etiã ſtatuerũt ut ad maiorẽ quidẽ ignominiã, omnes Brutij Romanis in prouincijs tendẽtibus parerent, ac ueluti mancipia quædã uiliſſima ſeruiliter hiſdẽ miniſtrarent: adeò graui, & iniquo animo ſenatus Romanus defectionẽ populorũ ferebat. Hi aũt Brutij Lucanis confines ſunt, quos & bilingues quidã uocarũt, quòd Oſcè, & Græcè loquerẽtur, quod & Sextus ex Verrio Flacco ſcribit. Vnde etiã Brutianę parmæ apud ueteres nobileis. M. aũt Cato, quẽ Plinius omnium bonarũ artium magiſtrũ optimum uocat, Q. Thermum acerrimè inſectatus eſt, quòd is imperarit, atq; author fuerit, ut ipſi etiã decẽuiri à Brutianis uapularent. Nam Brutianos intelligit eos, qui accincti loris, uerbera & plagas incuterent: cuiuſmodi ſunt in comœdijs & ſcenicis fabulis, qui lorarij dicũtur. Quorũ quidem munus atq; officium erat, ut ſeruos uincirent atq; uerberarẽt, qualis Terentianus Dromo, quod & Gellius author diligens in Atticis obſeruauit, & Feſtus etiam Pompeius rettulit.

Cato omniũ bonarũ artiũ magiſter.

Brutiani.

Lorarij.

CAPVT VIII.

Quo cõmento Pixodòrus pro deo habitus ſit, & de marmoris inuentione: ac de lapidicinis nonnihil ex Theophraſti libris.

Euangelus.

PEriocunda ſanè ac lepida hiſtoria traditur de Euangelo deo in ueterũ commentarijs, quo uidelicet pacto, ex inuentione marmoris cælo receptus fuerit. Is enĩ Pixodòrus antè dicebatũ. Nam cum Epheſij ciues templum illud egregium, atque magnificum Dianæ ex marmore conſtruendum cenſerent, quod inter

ſeptem reponitur)decretum eſt,ut ex pluribus locis atq; inſu lis lapides ac marmora peterentur:ueluti exParo,Proconeſ ſo,Heraclea,aliſq; inſulis. Is autẽ Pixodôrus in Thaſo for tè greges paſcebat,& cũ duo arietes certatim cõcurrerent,ac ſummo impetu congreſſi præteriſſent,alter ex hislapidẽ cor nu ꝑſcidit,ex q̃ cruſta colore maximè cãdido euulſa eſt:quã demiratus Pixodôrus collegit,ac relicto pecore, curſim ad Epheſios detulit,quod adeò gratum, atq; oportunum ciues habuerunt,ut non modò diuinis honoribus illum colerent, ſed ἐυάγγελον pro Pixodôro nominantes, ſacra quotmenſibus eidem ab Epheſijs magiſtratibus fiebant,quod & Pollio Vi ctruuius refert ad Octauium Auguſtum,quo maximè libro de machinationibus diſſerit. Sed & Pixodôri lapidicinæ,diu pòſt ab antiquis nominatæ ſunt,ſicuti etiã aliæ à Theophra ſto celebrantur,in quo περὶ τῶν λίθων,cuiuſmodi Pariæ,Penteli cæ,Chiæ, Thebaicæq;. ἐξ ὧν inquit, ὧν καὶ διωνομασμέναι λιθοτομίαι πα ρίων τε καὶ πεντελίκων καὶ χιωὸν, καὶ Θεβαίκων καὶ ὁ περὶ Αἰγυπτίων. Fuit alter etiam Euangelus,qui libros de re militari diligenter conſcri pſit,quod Aelianus in epiſtola ad Traianum imperatorẽ de monſtrat. Nam & Plutarchus Cheroneus eſt author,Philo pomenẽ ipſum,magnopere fuiſſe Euangeli cõmentarijs de lectatum,ſic ut frequenter eos in manibus haberet.

CAPVT IX.

De ætate Conſtantij imp. & Narſetis,ac de epiſtola regis Saporis ad imp. Conſtantium,& quid ab eo reſponſum fuerit ex Marcellini hiſtorijs.

FActum nuper eſt,ut ego,& Politianus,in Marci ana bibliotheca Florentiæ ſederemus. Cunq; alij non indocti uiri adeſſent,habitus ſermo eſt longi or de ætate & imperio Cõſtantij principis,de Nar ſete etiam,de Belliſario,de Iuliano Bizãtiano,ac de rege Per ſarum Sapore,idq; ipſum,ex monumentis,cum Græcis tum

Latinis: quod hi uidelicet, hiſdem ferè temporibus uixerunt, magniſq;, & multis conflictibus in Italia, diuerſiſq; regionibus contenderunt. Sed ego mox, cum Romanas fortè hiſtorias legerem, offendi epiſtolam Saporis Perſarum principis, ad imp. Conſtantium: in qua facilè apparet, quo animo rex Sapor atq; audacia fuerit, cum ad imper. Conſtantiũ Auguſtum in hunc propè ſenſum per Nerſetem legatũ literas ſcripſerit: Rex regum Sapor & Solis & Lunæ frater, Conſtantio Auguſto ſalutem. Lætatus ſum ad optimam te uiam rediiſſe & incorruptum æquitatis ſuffragium agnouiſſe, & ſatis expertus es, quãtas olim cladeis, nimia alieni cupiditas ediderit. Sed quoniã ueritatis quidem ratio libera, atq; ſoluta eſſe debet, paucis abſoluam, quod & aliâs ſæpius recenſui: uidelicet aduſq; flumẽ Sermona, & Macedoniæ fineis, maiores meos tenuiſſe qđ & Ro. antiquitates teſtant̃. Proinde qđ ad nos ptinet, audacter id repeto, atq; efflagito, eſt enim cordi iuſtitiæ cauſam tutari, q̃do & à prima quidẽ adoleſcẽtia, nihil unq̃ pœnitendũ admiſi. Ideoq; & Armeniã, & Meſopotamiã recuperare molior, quæ auo meo per fraudẽ, atq; inſidias, ereptæ ſunt. Quod ſi morẽ ſuadenti geſſeris, probè quidẽ, ac prudẽter feceris, ut reliqua ſecurius, ac ſine ullo diſcrimine obtineas. In quo medicos ipſos, eorumq; diſciplinam ſequutus fueris, qui aliquãdo parteis corporis quaſdam adurere, uel excindere conſueuerũt, ut reliquis integris ac ſolidis uti liceat. Quod & bruta quædam animantia factitant, quæ cũ intelligant cuius rei cauſa inprimis petantur, atq; capiantur, illud ipſum ſponte amittunt, ut impauidè mox, ac ſine ullo uitæ diſcrimine degant. Idem de te pronuntio, quod ſi hæc noſtra legatio irrita fuerit, uerè proximò inſtructis copiis, atq; omni exercitu accinctus, res noſtras (quantũ ratio & fortuna permiſerit) repetam. Hactenus rex Sapor ad Conſtantium Auguſtum, qui has litteras diligenter expẽdit, ac recto pectore.

(ut inquit

(ut inquit Ammianus) librauit. Sed apponam imperatoris etiam Conſtãtij reſponſum, quo pars hæc melius poſſit conſiderari. Victor terra mariq́; Conſtantius, Sapori regi ſalutẽ: Tuę ſoſpitati gratulor ut amicus, ſi hoc uelis, cupiditatem uerò animi tui ſemper indefeſſam, fuſiusq́; uagantem, uehemẽter inſimulo. Meſopotamiam poſcis, ut tuã, atq; Armeniam. Proinde etiam ſuades, ut integro corpori, membra quædam adimantur, quo ſalus de reliquo in tuto à me collocetur. Sed accipe ueritatẽ nõ obſcuram quidẽ, aut ullis præſtigijs obductam, ſed apertam, & perſpicuam, quæ nullis omnino minis aut perterretur aut diminuitur. Meus prætor, præfectus opinatus, cum duce tuo de pace, me quidẽ inconſulto diſſeruit, quòd hoc in cõmunem uſum fore putabat. Id ego neq; abnuo, neq; repello, modò cũ dignitate fiat, neq; de maieſtate quicquã præripiat. Nã indignũ atq; abſonũ eſt, inuidiæ ac iniquitati cõtra me anſam præbere, cũ tyrannis per totũ orbem deletis, Romani nobis obtemperẽt. Simul & ignaui hominis foret ea nunc prodere, quæ diu illibata ſeruauimus. Valeãt igitũ iſtæ formidines quæ nobis intentãtur: nos enĩ pro noſtra cõſuetudine, nõ inertia, ſed modeſtia, pugnas magis excepimus quàm intulimus; parati ſemper iure belli noſtra omnia defendere, quod ipſum experiendo & agendo cognouimus. Rariſſimum quidem in prælijs rem Romanam titubaſſe, aut nunq́; deniq; in partem deteriorem prolapſam.

CAPVT X.

Quo artificio tonitrua in ſcenis olim æderentur ac de Metelli Pij immodico luxu, atq; libidine, ex Salluſtij uerbis, & quo modo imitatus ea poëta Vergilius, quũ de Salmoneo agit.

MOs olim fuit in ſcenicis fabulis, Iouẽ quãdoq; tonantẽ inducere ſic, ut eius numine pro re nata tonitrua quædã æderent, quod etiamnũ ex ueterũ comœdijs colligimus. Nam & ludis in ipſa ſcena

abſolutis (ut inquit Feſtus) ſimilitudinem quãdam tonitrui imitari conſueuerunt. Principiò aũt eos ſonitus ad hunc modũ faciebãt, ut clauos ac lapides in labrũ æneum conijcerent, ex quo repcuſſu, ſonitus ille diſſultaret. Sed à Claudio mox Pulchro inuentum eſt, ut ex coniectu diſſono lapidũ, multò quidẽ maiores tonitrus, ac ueri ſimiliores uiderentur: quod in libro ſexto de uerborũ ſignificatu à Pompeio explicatur Vnde ſic Plautinus etiam Amphytrio:

Hem quid hoc? quàm ualidè tonuit: dij obſecro ueſtram fidem.

Sed quod in Salluſtiana hiſtoria relatum eſt de Metello Pio eiusq́; immodico luxu atq; ſuperbia, dignum ſanè uiſum eſt quod hoc loco apponeret. Is eñ Metellus, tam elati, atq; inſolentis animi fuit, ut ſeipſum, quaſi Iouem coli pateretur ac thure ad ſe litatũ accedere. Quin & hoc inſtituit, ut inſtrumẽtis aptè conſtructis, eius capiti corona cũ tonitru ſuperponeretur. Sed hæc Salluſtij uerbis repetenda ſunt, ſicuti in cœnis etiã Macrobianis legunt. Metellus (inquit) Pius à C. Vrbino ad cœnã cũ eſſet inuitatus, ultra Romanũ, ac mortalium etiam morẽ, curabãt, ex ornatis ædibus, per aulea & inſignia ſcenisq́; ad oſtentationẽ hiſtrionum fabricatis, ſimul croco ſparſa humus, & alia in modũ templi celeberrimi. Præterea conſidenti in tranſennam, demiſſum Victoriæ ſimualchrum cũ machinato ſtrepitu & tonitru, coronã ei imponebant. Tũ uenienti thure, quaſi deo ſupplicabatur. Ex his aũt conſiderari poteſt, qua ratione ueteres in ſcenis ludis tonitrua ſimularent: unde etiam de Salmoneo Salluſtiana quidem imitatione uidetur à Vergilio dictum:

Salmoneus fulmine ictus.

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lampada quaßans
Per Graiûm populos, mediæq; per Elidis urbem
Ibat ouans, diuûmq; ſibi poſcebat honores

Demens

Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum curſu ſimularat equorum.

CAPVT XI.

Quę cauſa fuerit, ut mithologi ſcribant Gigantū pedes in uolumē deſinere, & Lampridij uerba expoſita de Cōmodi imp. crudelitate.

NOn pauci ex ueteribus fuerunt, qui fabularum myſteria ac reconditam eruditionē perquirētes, libros de his compoſuerunt, in quo etiam ſtudio uetuſtiſſimi illi apud Græcos (ut inquit) Strabo & maximè Pythagorici elaborarunt, ne populo inuulgarēt quæ animis tantum initiatis promenda eſſent, quod & Vectius Prætextatus copioſè apud Macrobium demonſtrat. Nam & inter alia cum de Hercule & Gigantibus loquitur: Non temerè (inquit) factum apud mithologos, ut Gigantū effigiē ſic formarent, ut eorum pedes in draconū uolumina deſinerent. Idq; ipſum ea ratione factū refert, quo intelligamus, nihil eos rectum, aut ſublime cogitaſſe aut effeciſſe, cū detorti eorum greſſus, ad inferna demergantur. Neq; enim quiſq; ignorat, nullam aliam ob rem Giganteis ipſos confictos, quàm ut impij homines, atq; inſolentes, & quaſi ἄθεοι crederentur. *Gigantes cur excogitati.* Vnde in fabulis eos uoluiſſe aliquando deos ipſos de cælo depellere, auſosq; cōtra illos pugnare, quod in ſcenis (ut dixi) Macrobianis, tum apud Plutarchum explicatur, quod & Seruius grāmaticus intellexit, qui ex Vulcano aſſerit natum puerū Erichthonium, ſed pedibus (ut inquit) draconteis, ut in Vergiliano commentario rettulit. *Erichthonius.* Sed illud notandum eſt, quod in Aeliano Lampridio legitur, quo loco imperatoris Cōmodi libidinem atq; fæditiam proſequit. Refert eñ, à Commodo ipſo eos homines, qui pedibus debiles forent, nec ambulare admodū poſſent, in Gigantum ef-

ſigiem formatos:ſic ut quaſi dracones. (inquit) effingerent. Ac deinde ſagittis eos conficere ſolebat:qua in re ſignaſſe il lud uidetur, quod in modum obtorti anguis deſinere Gigãtum pedes diximus. Nam & in uetuſtis adhuc quibuſdã monumentis (ut Pompeius Lætus mõſtrabat) maiores quidem effigies Romæ uiſuntur, quæ ipſis pedibus obliquatos uidentur ſerpenteis referre. Quod illa tortuoſa uolumina indicant, ex quibus impietas (ut ait Prætextatus) ac eleganti figura demonſtratur.

CAPVT XII.

Quàm grauiter ac ſatyricè Ioan. Picus Mirandula contra inerteis & ocioſos homines uerba habuerit, & quòd Solon in ſuis legibus damnandos cenſuit, ac inibi elegantiſſimi uerſus poſiti ex Enniana ſatyra contra iſtos ocioſè oſcitanteis.

NVper fortè cũ Pico Mirandulano diem conſũmpſi. Qui cũ de uita, & philoſophia permulta grauiter & copioſè protuliſſet, illorũ maximè ingenium atq; animos ſubinde accuſabat, qui ſegniter admodũ degenere ocio oblitеſcũt. Qua in re (ut fit) cũ acrius ac ſeuerius declamaret, cœpi mox diligentius cõſiderare, factũ ab eo, nõ minus acriter q̃ prudenter, ut iſtiuſmodi homines, imò hominũ mãcipia, tã acerbè, tã grauiter, tã ſatyricè ſit inſectatus. Nã quid eſſe in uita nequius aut ſceleſtius poteſt q̃ tẽpus ipſum, rem ſcilicet precioſiſſimã, ſomno, inertiaq; turpiſſimè tranſigere? Qui eñ deſides, ignaui, & oſcitãtes uiuũt, nõ hercle magis uiuũt, q̃ ſtolidæ pecudes et meræ beluæ. Neq; uiuunt eñ, ſed ſpiritũ trahũt ſicuti pecudes ſolent, quo factũ eſt, ut quidã νομόθεται pœnas quidẽ acerrimas cõtra iſtos deſides atq; ocioſos ſtatuerint, eoſq; iure infames dixerint: ſiquidem & Solon ipſe in ſuis legibus inertiã hanc, turpemq;

ignauiam ſeueriſſimè culpauit. Qui deſidiam (inquit) ſectatus eſt, is accuſantibus eſto obnoxius. Vnde illud etiã Q. Ennij, non minus equidem diſcendum cenſeo, quã dogmata et præcepta quædã ex philoſophia intima eruta: quod idem poëta in tragœdia Iphigenia his uerſibus cõtra inertiã poſuit, ut Iulius Celſinus apud Frontonẽ Cornelium retulit:

Otio qui neſcit uti, plus negotij habet,
Quàm cum eſt negotium in negotio:
Nam cui quid agat, inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit. ſtudet ibi, mentem atq; animum delectat ſuum.
Otioſo initio, animus neſcit quid uelit,
Hoc idem eſt enim, neq; domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc, illuc: cum illuc uentum eſt, ire illinc lubet:
Incertè errat animus præter propter uitam uiuitur.

Quod etiam in Atticis lucubrationibus à Gellio refertur.

CAPVT XIII.

Quòd his maximè uerbis Politianus ſe oblectari dicebat, ut ſunt Reciprocicornes, & Lanicutes arietes, & beſtiæ Exungues & Excornes, & alia ibidem addita.

DIcebat olim Politianus magna ſe uoluptate affici, atq; incredibili delectatione teneri in his uerbis quæ ſunt reciꝓcicornes et lanicutes arietes, et itẽ beſtiæ exungues & excornes, ꝙ eorũ cõpoſitio fœlix et iocũda ſit, nõ imꝓbior et putida, ſicut in alijs multis cõtigit. Arietes aũt reciꝓcicornes, & lanicutes, à Laberio poëta in mimis dicti ſunt, quẽ tamen Gellius complura refert admodum licenter confinxiſſe, quod alibi diximus. Beſtias autem exungueis & excorneis Tertullianus uocat pro his, quæ ſine unguibus & cornibus forent: ut in libro de pallio habetur cum Vedij Pollionis crudelitatem inceſſit, ut qui murenis homines etiam ipſos deuorandos conijceret. Theodôrus

odôrus uerò Gaza Depedes, Deplumes, & Depiles pereleganter in uſum Romanum intulit; uir unus (ut ego exiſtimo) ætate ſuperiori, qui cum omni antiquitate in optimis diſciplinis comparari poſſit.

CAPVT XIIII.

Diſputatio de republica habita ac de imperio Venetũ et apologus elegans de pinu & cucurbita.

IN hortis Oricellarijs, cũ nuper aliquot egregiè docti homines cõueniſſent, ubi de honeſtis literis optimiſq; diſciplinis, ſæpe, & copioſè agitur, fortè incidit mentio de ueterũ inſtitutis, de regenda ciuitate, ac de Venetum clariſſimo, atq; ſummo imperio. Qua in re cum multi multa (ut fit) diſſeruiſſent, ibidem ſenex quidam in officijs reipublicæ, homo accuratus & prudens: Volo (inquit) uobis de Venetum imperio per elegantem referre apologum, quẽ à Franciſco olim Barbaro audiui, qui noſtra ætate, magna uir eloquẽtia & cõſilio fuit. Is enim cum de ſtatu atq; dignitate Philippi ducis Mediolanenſis & repub. Veneta ageretur, in hunc modũ locutus eſt: Scio ego, quantũ momenti poſitum ſit in fortunæ uiribus: quantũ ponderis, in ratione, & diligẽtia hominũ. Nam quo maiora ſunt imperia, eò ſæuiores quãdoq; caſus atq; calamitates habent. Sed apologũ audiatis. Sata eſt olim (inquit) cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum, & ramis patulis extabat. Cucurbita uerò cum multis pluuijs atque cæli temperamento creuiſſet, laſciuire incipit, & ramulos audacius porrigere. Iam ſerpebat in pinum, iam ſurgere, iam ramos & frondeis inuoluere audebat, ampliora folia, candenteis flores, prægrandia poma, & uireſcentia oſtentans. Itaq; tanto faſtu atq; inſolentia intumuit, ut pinũ arborẽ auſa ſit aggredi. Et uides (inquit) ut te ſupero, ut amplis folijs, ut uirore præſto, & iamiã ad cacumẽ ꝑſurgo. Tũ pinus

nus quæ ſenili prudentia, & robore pollebat, nihil mirata eſt cucurbitæ inſolentis audaciã, ſed ita ad eã reſpondit: Ego hic multas hyemes, calores, æſtus, uariasq; calamitates peruici, & adhuc integra cõſiſto. Tu ad primos rigores, minus audaciæ habebis, cum & folia concident, & uiror omnis abierit. Sic & in Italia (inquit Barbarus) permultæ quidẽ ſunt cucurbitæ, quæ pinum aggredi magnopere conãtur, ſed habent tamen plus animi, quàm, quo circa breui exareſcunt, aut decidunt. Pinus autem uexari, atq; turbari poteſt, extirpari autẽ aut ſiccari niſi longiſſimo tempore nequit.

CAPVT XV.

De oraculo à Maximino imper. inſtructo contra Chriſtianos: & ibidem de conſtantia Chriſtianorum: quibusq; uerbis contra Rom præſides uterentur.

SAtis compertum eſt ex annalibus ueterum, quãtũ Rom. olim imperatores decretis publicis, atq; edictis Chriſtianorum religionem repellere, atq; extinguere conati ſunt, ſic ut nullum crudelitatis genus omiſſum fuerit, in quo Chriſtiani homines uexati atq; diſſecti non fuerint. Sed ut cætera nunc omittantur, Maximinus quidẽ cæſar, non minore aſtu, quàm ſæuitia uſus eſt, in perſequendis, lacerandisq; Chriſtianis, ſiquidem Iouis ſimulachrum (quod in urbe Antiochia celebre fuit) ſic inſtrui curauit, cõmentoq; callido aptari, ut in ædendis oraculis (quę tum magno cultu habebantur) reſpõſum de Chriſtianis promeretur: Ne homines Chriſto dicati degerent in urbibus, neq; ullis etiã locis iuxta urbeis, ſed procul, ut noxiũ genus, atq; ueneficũ fugarẽtur. Quo factũ eſt ut uagi, palãteſq;, & reiecti ab omnibus forẽt, tametſi pro religionis merito atq; maieſtate id accidebat, ut quo plures, ſeuerioresq; forent perſecutores, eò maior & amplior religio haberet. Nec enĩ quicquam principum ſæuitiam atq; feritatẽ magis extimulabat,

quàm firmitudo illa,& inuicta atq; impenetrabilis Chriſtia norũ conſtantia, quæ quamlibet libidinem atq; immanitatẽ longè exuperaret: cũ foret hæc oratio Chriſtianorũ (ut à Septimio Tertuliano ſcriptũ eſt) ô Romani præſides, cruciate, torquete, damnate, allidite, atterite nos, probatio eſt noſtræ innocentiæ, ueſtra iniquitas.

Oratio chriſtianorum in tyrannos.

CAPVT XVI.

Qui grammatici de origine uerborum ſcripſerunt, & unde hæc uerba: Auidus & Inuidus dicta ſunt: perelegans & erudita enucleatio.

MAgno ſtudio ac diligẽtia q̃ſitũ eſt à ueteribus grãmaticis, de origine ac ſignificatu uerborũ. Qua in re Nigidius, Verrius Flaccus, Pedianus, & M. Varro plurimũ operæ poſuerũt: quoniã in conſiderandа atq; intelligẽda uerborũ origine, uaria ferè atq; diuerſa ab authoribus tradita ſunt, quod & Fab. Quintilianus teſtatur, et Academici probãt. Ego aũt ſecreto opere, de hoc pluribus diſſerui, nũc exponendũ putamus, unde originẽ traxerint hę uoces, Auidus, & Inuidus: quoniã grãmatici quidã iuniores, nõ minori inſcitia, quàm improbitate in his aberrant, cũ probi authores tã elegãter tanq; eruditè de his egerint. Affirmãt eñ à uidendo deductũ eſſe utrũq; uocabulũ. Nã Auidi à non uidẽdo nominati ſunt, propter nimiã cupiditatẽ: ut Ver. Flaccus exiſtimauit, quòd a litera priuandi uim obtineat, ſicuti amẽtes dicimus, qui mentẽ nõ habẽt. Inuidos aũt & Inuidiã ſimili ratiõe inquit Cic. dici, quoniã ex nimia uidẽdi cura liueſcãt, quod in tertia (ut puto) Tu. cõperies. Ab inuidẽdo (inq̃t) rectè dici poteſt Inuidẽtia, ut effugiamus ambiguũ nomẽ inuidiæ. Quod uerbũ dictũ eſt, à nimis intuendo fortunã alterius. Quod & poëta Accius in Menalippo teſtatur:

Amentes.
Inuidia.
Inuidentia.

Florem quiſnam liberum inuidit meum.

Qua in re M. Cicero non Accium modò excuſat, ſed etiam egregiè commendat, quód inuidere cum accuſandi caſu protulerit, quoniam ius ſuum poëta retinuit.

Finis libri Secundi.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quòd Plato philoſophus inuidiæ morbo laborauit, & quòd infenſus Xenophonti atq; Democrito ſi erit, cuius etiam libros extingui cupierit.

PErmulta adhuc ſuperſunt indicia ex ueterū ſcriptis, quibus copioſe probari poteſt, Platonem philoſophū æmulationis ac inuidiæ morbo maximè laboraſſe, aliorūq; laudes, iniquo animo accepiſſe: ſiquidem inter eū ac Xenophontē, tacitæ cuiſdā æmulationis liuor extitit, cum nullibi Plato de ipſo Xenophonte tanto uiro meminerit, eiuſdem uerò diſcipulos, ac ſectatores loquenteis induxerit, quòd animi malè affecti atq; inſinceri argumentū prębuit, ut Gellius dicebat. De Abderite aūt Democrito, qui longè in phyſicis præſtitit, idē factū eſt à Platone, ſicuti Ariſtoxenus refert. Nam cum Plato (inquit) locos quoſdam tractaret, in quibus contra Democritū ſentiebat, prudens tamen ac ſciens, nuſq; illū citauit, & ſi alios ferè philoſophos nominaret. Tū quod eſt amplius, idem Plato quæcunq; habere potuit Democriti commentaria, traditur collegiſſe, eaq; cum cremari uoluiſſet, ab Amyda & Clinia uiris pythagoricis prohibitus eſt, aſſerentibus eos Democriti libros non poſſe omneis extingui, cum apud multos paſſim exempla eorum ſeruarētur. Quam rem & Laërtius Diogenes, ex ueterum commentarijs recenſet: nam & Georgius Cretenſis

Georgius Cretenſis.

Cretenſis(qui Trapeſuntius appellari maluit)permulta Platonis philoſophi uitia collegit,libris de hoc compoſitis. Vnde Ioannes Alarienſis ridicula uoce illum cenotimonem & & erinnym appellat, quod & Nicenus Beſſarion alicubi aſſeruit.

CAPVT II.

Diſputatio habita inter Hieronymum Sauonerolam & Picum Mirādulam,de philoſophia ueterum, cum Chriſtiana academia: & quid item uetuſtiſsimi de ipſo deo ſenſerint,id eſt, Moſes,Mercurius,Zoroaſtres & Pythagoras.

QVām uera ſit, atq; ex re conficta à Luciano eloquētiæ imago apud Celtas populos,nuper equidem conſideraui,cum Io. Picus Mirandula meipſum, Laurentianumq; ſua oratione, quo cunq; uellet perduceret. Tanta em̄ in eo uiro,et uocis ſuauitas,et rerū omniū cognitio adeſt,ut etiā ſicut ille Luciani λόγιος Mercurius,facilè omnis populus atq; homines, ſuis ſermonibus capere,oblectare,atq; afficere poſſit. Nuper autem conſedimus in Marciana academia,apud Hieronymum Sauonerolam, qui ætate noſtra in omni propè philoſophia maximè pręſtat:ſed inibi Laurētianus(ut fit)ex ueterum philoſophia cum permulta de ipſo deo, ac eius poteſtate rettuliſſet, ac de animæ uiribus,cūq; in hoc,nō re, ſed uerbis diſſentire Chriſtianos affirmaret,modeſtè(ut ſolebat)ac placidè Hieronymus. Caue(inquit)Laurētiane,ne uerba pro rebus accipias: Nam qui ueteres philoſophos in academiam pertrahunt,p̄ facilè quidem uel falluntur ipſi,uel alios fallunt. Plato enim ad animi inſolentiam, Ariſtoteles uerò ad impietatem inſtruit. Quo magis te (inquit) Laurentiane hortamur, ut ipſis philoſophiæ ſpacijs atq; umbraculis, ad Salomonis porticū deficias:in qua certiſſima uitæ ratio atque ueritas continetur.

Quibus

Quibus dictis, cum Ioan. Picus ſubriſiſſet, Et ad te (inquit) hæc etiam pertinent Crinite, qui tam ſtudioſè adhuc penè adoleſcens, tanq; aſſiduè omnibus propè diſciplinis incumbas: ſed ea (inquit) de deo, & animis decreta, cum diu à me euigilata, atq; perpenſa fuerint, puto me poſteris etiam probaturum, Chriſti religionẽ, magna ex parte cũ ueteri philoſophia cõſentire: modò hæc omnia diligentius atq; probius intelligantur, cũ nulla unq; religio fuerit quę deũ ipſum ęternũ, rerumq; omnium abſolutiſſimũ non dixerit: ſicuti & anima quoq; immortalem. Sed principes (inquit) in omni mortaliũ uita extiterunt aliquot & iudicio rerũ & cognitione maximi, ut Moſes, Pythagoras, Mercurius, Zoroaſtres, Solon qui omnes pari conſenſu, nõ modò hæc crediderũt, ſed maximè affirmarũt. Nam ſi quid eſt antiquitati concedendum omnis certè illa ueterũ theologia pari ſententia id ipſum aſſeruit. Hermes eñ qui apud Aegyptios floruit, & qui maximus philoſophus, maximus ſacerdos, & maximus rex fuit, certè cum Moſe ipſo conſentit, eiusq; opinioni magnopere accedit. Nam & Pythagoræ diuina illa philoſophia, quam magicen nuncuparũt, magna ex parte ad Moſis diſciplinas pertinebat, ut qui ad Hebræos quoque, eorumq; doctrinas in Aegyptũ uſq; perexerit, plura q; illorũ ſacra atq; myſteria intellexit. Nam Platonis etiam eruditio (ut cõſtat) ad Hebraicã ueritatem ferè accedit, ex quo per multi eum germanum Moſen dixerũt, ſed Græcè loquẽtem. Zoroaſtres aũt ille Oromaſi filius, cũ magicen quidẽ percoleret, nihil aliud accipiebat, quã dei cultũ atq; diuinitatis ſtudiũ, quo ille occupatus naturæ uireis, omnemq; poteſtatẽ egregiè apud Perſas ꝑquiſiuit, ut ſacra illa & ſublimia, diuini intellectus arcana cognoſceret, quam partem uel Theurgiam multi uel Cabulam alij magicen etiam dixerunt. Sedenim omnis antiquitas, tantũ uidetur Hebræis atque Aegyptijs conceſſiſſe ut uerita-

Hermes.

Philoſophia magice.

tem ab illis acceptam, per uarias orbis regiones, atq; diuerſos populos, circumducere atq; illuſtrare uoluerit. Quod eo animo à quibuſdam effectum eſt, ut magis addere aliquid, ac inuenire ipſi crederentur, quàm ſumpta ab alijs approbare. Quibus relatis Hieronymus Sauonerola Ioann. Picum complexus, Et unus tu (inquit) es Pice ætate noſtra, qui omniũ ueterũ philpſophiã, ac religionis Chriſtianæ præcepta & leges percalleas, ut hæc tua quidẽ rerũ penè omniũ cognitio, ãtiquioribus illis, Hieronymo, Auguſtino, Baſilijs, Gregorijſq; ac Dionyſijs merito cõferri poſſit. Nã alia ibidẽ multa Io. Picus de Chriſto, legibuſq; eius ac religione copioſè diſſeruit, ex Caldaicis atq; Syriacis theſauris, quod alibi cõmodius recenſui.

CAPVT III.

Quòd apud noſtros quatuor idiomatum genera fuiſſe tradantur, id eſt, Priſcum, Latinũ, Romanum, & Mixtũ: & quo maximè tempore floruerũt, ac de Ethruſcis etiã literis nonnihil.

DIgnum obſeruatione uiſum eſt, quod in quorũdam commentarijs legitur, de Latina eruditione, & quo maximè idiomate, quibuſq; temporibus, maiores uſi fuerint. Relatum eſt igitur quatuor fuiſſe apud noſtros linguarum proprietates: hoc eſt, Priſcam, Latinam, Romanam, Mixtam, quod ex Varronis authoritate grammatici ueteres tradunt. Priſca eſt, qua uetuſtiſſimi Italiæ populi, ſub Iano uidelicet, & Saturno regibus, uſi ſunt: cuiuſmodi carmina quædam incondita, parumq; noſtris intellecta, adhuc ſuperſunt: ut Saliorum & Argeorum ſacra, de quibus Varro etiam Terentius meminit. Latina uerò, quam ſub Latino, & regibus Tuſciæ, cæteri quidem populi in ipſo Latio loquebantur: qua tabulæ decemuirales ſcriptæ ſunt, ac ſacræ leges & publica quædam

edicta

edicta, Romana, quæ poſt exactos reges Romani populi geſta complexa eſt. Nam & hanc ipſam, inter poëtas Mar. Plautus, Neuius, Accius Pacuuius, Ennius, & Publ. Vergilius maximè coluerunt. Ex oratoribus autem & hiſtoricis Mar. Cato, Siſenna, Quadrigarius, Val. Antias, Cæſar, & M. Cicero. Mixta uerò, quæ aucto imperio & libertate amiſſa, uarios populos ac nationes, in iura ciuitatis admiſit. Quo factum eſt, ut Romana uirtus, ac loquendi iuxtà integritas, paſſim cum moribus degeneraret ex ueteri ſententia qua dicitur:

Moribus antiquis res ſtat Romana uiriſq;.

Nec autem me latet, Latinam quidem doctrinam, ex multiplici, uarióque idiomate conſtare, ſiquidem, & Oſca & Sabina uocabula a multis olim recepta ſunt, ut Punica nunc omittamus. Nam & Quintus Ennius Oſcè locutus eſt. Tum Ethruſcas alij fabulas expoſuerunt, ſicut Liuius & M. Cicero alicubi teſtantur.

CAPVT IIII.

De nominibus Romanorum, & quòd à Sabinis prænomẽ acceperint, ex fœdere cũ Romanis facto: tũ qua die Romani nomẽ aſſumerent.

APud Macrobium & alios ueteres, non pauca obſeruata ſunt de poteſtate, & ratione nominum Romanorum: unde uidelicet, aſſumpta uel deducta ſint. Sedenim Romani homines, non uno tantum nomine uel cognomine cenſebantur, ſed pluribus etiam, quàm à noſtris grãmaticis tradatur, ſicuti uidere quorũdam exempla poſſumus. Nam ſic utiq; de Attico leges, eũ quidem his appellationibus fuiſſe uocatum, ut diceretur T. Cæcilius, Satus, Pomponius, Atticus. Solebant enim Romani, uel ab illis cognomen accipere, à quibus hæredes relinquerentur

querentur, quod alibi demonſtraui. Nec enim illud ignoramus tria præſertim nomina Romanorum à poëtis deſignari unde illud:

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Sed hac in re putaui obſeruandum, quod ab Eutropio ſcriptum eſt, in Romana hiſtoria ad Valentem Auguſtũ quod equidem non ſatis memini, an apud alium authorem legerim. Poſt multas (inquit) contentiones inter Sabinum populum & Romanum, factum eſt fœdus, ac iure ſocietatis, in eandem ſententiam conuenêre, ut rex T. Tatius ſimul cum Romulo imperium teneret Sabiniq; & Romani unus populus efficeretur. Ex quo ad hoc (inquit) confirmandum, Romani tum cœperunt Sabinorum nomina ſuis præponere. Sabini autem Romanorum, ut nouæ quidem amicitiæ nominum iura adijcerent. Quo factum eſt, ut nemo deinceps Romanorum, abſque prænomine haberetur. Neq; uerò illud ignoratur, in ueterum commentarijs Luſtricos dies illos à Romanis dictos, quibus nomina infantibus imponerentur. Nam & Nondinam deam (ut aſſerit Vectius Prætextatus) Romani colebant, à die nono appellatam: quo uidelicet ipſos infanteis luſtrarent, ac nomen imponerent: & ſi octauo die fœminis, maribus autem nono, ut in cœnis Macrobianis legitur.

Luſtrici dies.

Nondina.

CAPVT II.

Qui maximè apud Lat. de ſacris ac põtificijs uerbis ſcripſerint, & quomodo Reus & Dãnatus inter ſe differũt: tũ ex iure ipſo Pontificũ uerba expoſita

QVi apud ueteres de iure põtificio & antiquis ſacris ſcripſerũt, percommodè uiſi ſunt, atq; egregiè uerborum proprietates, ac poteſtatem explicare ea cũ primis referentes, quæ ad ſacras uoces quæ ad funeraleis & Saliareis pertinerent, cuiuſmodi authores à Macro-

bio

bio celebrantur, Vectius Prætextatus, ac Flauianus, ut Labeonem Antiſtium, & Veranium mittamus, qui libros de pontificalibus reliquerunt. Sed enim cum ritus ac cerimonias ſacrorum inueſtigarent, uerborũ quoq; rationes atq; originem mirifica diligentia conquiſierunt. Quod in his nuper uocibus obſeruauimus, quæ ad reum & damnatũ pertinent, non minus uerò quàm ſubtili iudicio examinatis. Siquidem utrunq; uocabulũ in uotis nuncupandis, atq; perſoluendis frequens in ueterũ libris comperies. Nam illum propriè Reum dixerunt, qui ſuſcepto uoto, in ſacris ſeſe numini aſtringit. Damnatũ uerò dicimus, qui ſe à promiſſis eximit, & uota perſoluit, quod Macrobianis quoq; cœnis ab Euſtathio eleganter diſputatur. Vnde illud etiã in ueterũ legibus legitur:

Qui reus uoti eſto accedito ad ſacra.
Qui damnatus eſto, ſacra ritè perſoluito.

Nam P. Maro, qui ius pontificium optimè calluit, egregiè id obſeruauit, quo loco inquit:

Dij quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro:
Vobis lætus ego, hoc candenti in littore taurum
Conſtituam ante aras uoti reus, extaq; ſalſos
Porriciam in fluctus, & uina liquentia fundam.

CAPVT VI.

De uiribus atræ bilis: ac de Eurylocho: & poëta Malacho, quàm grauiter eo morbo ad inſaniam uexarentur.

QVi de moribus & uita philoſophorum ſcripſerũt, Eurylochum tradunt qui Elienſem Pyrrhonẽ audiuit, miris modis atra bile uexatũ fuiſſe, quæ Græcè μελαγχολία dicitur: atq; ſic percitum eo morbo, ut cum in Elide uarijs, & diuerſis multorum quæſtionibus ageretur, ac reſponſitãdo eſſet fatigatus, pallium abiecerit, & Alpheum fluuiũ tranauerit. Illud quoq; de eodem Eurylocho,

eiusq; furore traditur, ſic aliquando inſtigatum κατὰ μανίαν, ut ſumpto ueru cum carnibus, uſq; in forum illũ inſequeretur. Fuit autem Eurylochus acerrimo quidem ingenio, cuiuſmodi ferè hi ſunt, qui atra bile ſunt affecti: quod ab Ariſtotele philoſopho atq; alijs approbatur. Nã & Phauorinus academicus: qui Pyrrhoniorum libros compoſuit, heroicã hanc affectionem appellabat dicens: εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦ τὸ ἡρωικόν, quando Hercules, Lyſander, Aiax, Alcmeon, ac Bellerophõ eodem uitio laborarunt. Socratẽ nunc & Platonẽ mittamus. Nam Malachus quidem poëta excellens fuit, ſed eò tum ab ſoluendo carmine præſtantior, cũ mente penitus foret alienatus, ſicuti etiã de Bacchis, & Sibyllis (ut appellant) creditũ eſt. Quin et Auguſtinus copiosè affirmat poëtas ipſos nõ proprio, ſed alieno ore carmen effundere. Quod à Platone probatur in eo libro, cui titulũ fecit de furore poëtico. Sed eñ de atra bile cũ plura ſcribat Ariſ. in probl. Frigida (inqt) ſtolidos & ignauos reddit, calida ingenioſos & amanteis, nimia uerò attonitos & timidos. Sed hæc alibi cõmodius explicauimus.

CAPVT VII.

Quo habitu, & forma eßet Romana toga, ac de alijs ueſtibus, quæ cuiq; populo aſcribatur: tum alia inibi non iniucunda addita.

SCripta ſunt à ueteribus permulta de ueſtibus, & eorum genere, ſicuti à Suetonio Tranquillo, Cornuto & alijs, qui diligenter quæſierunt, quibus etiam uocibus apud uarios populos ſignarentur, ſicuti Græcorum pallium, Sardorum maſtruga, brachæ Gallorum, Germanorum rhenones, Romanorũ toga, de quibus à me alibi dictũ eſt. Sed hoc loco notandum mihi uidetur de Ro. toga aliquid, quo habitu, quaq; ratiõe accipiẽda atq; intelligẽda ſit, cũ nuper de re hac quæſtio inter doctiores haberet. Ad hunc igitur modũ Romani ueſtẽ hanc habuerũt, uel

uti

uti etiãnum in ueterũ ſtatuis & marmoribus conſpicimus, quæ togatæ ob id imagines appellabantur. Erat autẽ ueſtis uſq; ad talos, unde talares etiam togæ à quibuſdam dicuntur. Idq; ſeruatũ eſt Romæ, uſq; ad ætatem Octauij Auguſti, quod à Fabio Quintiliano diligẽter eſt obſeruatũ. Nam deinde breuiores fuerunt, ſic, ut à media crura eſſent demiſſæ. Rotundam uerò & aptè cæſam uolebant, ne enormis, uel indecens uideretur, ſi qua ex parte, minus iuſta, nec eadem fuiſſet proportio. Sinus etiam faciebat, qui cum altiores cinctura extarent, decenter, & honeſtè in partem ſiniſtram ducerentur. Ita enim deſiderat Fabius in oratore, quoniam ſedeat aptius. Meritò autem reprehenſus eſt C. Plinius qui talarem togam dixerit à Cicerone geſtari ſolitam, ut ea uarices uelaret, cum conſuetudo tum foret, togas ipſas ad talos uſq; demitti: ſicut Græcorum pallium erat. In ſuperiori autem parte, humerum operiri debebat, iugulum ut attingeret potius quàm uelaret, ne togæ ipſius dignitas, & latitudo, quæ in pectore uiſebatur, in anguſtum deducta perderetur. Erant & manicæ in toga uſq; ad ipſas penè manus, neq; tamen ad imos digitos, quarum latitudo æqua & decens, magis decorem quàm uenuſtatem præferebat, ut cũ brachium in agendo tollerent, cæteris togæ partibus optimè reſponderet. Ita enim Romani togam ferè habuerũt. Nam in Mena Pompeij liberto togam nimis defluentem, atque redundãtem, uirulento carmine inſectatur Horatius, cum ſex ulnarum eſſet, eaq; amictus Menas, populo ſtomachante, per ſacram uiam incederet. Neq; enim licebat in urbe, præterquàm libero homini, hac ueſte uti: ſiquidem & ætatis & hominum in habitu ueſtiũ ratio eſt à ſenatu, populoq; Roma. ſeruata. Nã & pueri prætexta toga uſi ſũt, ſicuti ex his notiſſimũ eſt, quæ Vectius Prætext. in Macrob. cœnis de prætexta & bulla aurea copioſè diſſeruit. Virili aũt

Talares togæ.

Menas.

Habitu diſtincti Romani.

toga uti à ſextodecimo ætatis anno incipiebant, & ſi quidam temerè diſſentiunt. Octauius enim Auguſtus duodecimū agens annū auiam Liuiam defunctā pro concione laudauit, & quadriennio pòſt (ut ait Tranquillus) uirilem togam aſſumpſit. Viri aūt Romani (ut eſt author Gellius) primò quidem ſine tunicis, toga ſola amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas & breueis tunicas, citra humerum deſinenteis, habebant: ex quo Scipio ille Aphricanus, Pauli filius, cū in Gallum Sulpitiū eſſet inuectus, cū cheridota illum tunica accubuiſſe, nō ſine ſtomacho affirmauit. Et re uera facta eſt aliquādo mutatio in Romana ciuitate de indumentis gerendis: ſiquidē Octauius Auguſtus ædilibus demandauit, ne quem ciuem in foro aut circo paterētur conſiſtere, niſi poſitis lacernis togatos. Et cum fortè pro concione uidiſſet penulatorū turbam, indignabundus & clamitans:

Scipio Aphricanus.

En (inquit) *Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.*

CAPVT VIII.

Quàm iniquo animo Pub. Vergilius fuerit contra grammatiſtas atq; ineptos litteratores, ac eiuſdē elegans dictum ſuper illo ænigmate: Tris pateat cæli ſpacium non amplius ulnas.

TRaditum eſt à multis, Pub. quidem Vergiliū bonis ingenijs ac eruditis plurimū gratiæ & fauoris oſtendiſſe, contra autem litteratores ac malè doctos homines, mirum eſt quā affecto & infenſo animo fuerit: quòd in his maiorem audaciam ac impudentiam, quā maturitatem & iudiciū uideret. Ex quo prolatis etiā uerſibus, hoc totum apertè aſſeruit: ſicuti Iunius Philargyrius, & Seruius Honoratus referunt. Sed quod in uerſiculo Vergiliano acciderit, de cæli ſpatio, grammaticis conquirentibus, dignum ſanè uideri poteſt adnotatione. In hoc em̄ carmine ex Bucolico ludicro:

Tris

Tris pateat cæli ſpacium non amplius ulnas,

cum Cornificius, & alij quidam grāmatici dubitarent, anxieq; à poëta perquirrerent, ſi quid forte remotius ſubeſſet, per lepidè reſponſum eſt à Vergilio, ſe in ea re grammaticis omnibus crucem fixiſſe, in qua aſſiduè diſtorquerent: quod ipſe etiam Pedianus à Vergilio audiuit, quemadmodum Iunius idem Philargyrius in Vergiliano commentario refert: cui tamen Pedianus reſpondiſſe traditur: Mihi certè nullam crucem: non enim ſum id anxiè quæſiturus. Quantum uerò doctrinæ Vergilianæ, ac eius feliciſſimo ingenio conceſſerit Pedianus: cum ex alijs multis declarari poteſt, tum quòd idem Pedianus librum quoque contra eius obtrectatores compoſuit, qui Pub. Vergilio & hiſtoriæ falſitatem & furta ex Homero obijciebant: cum in utroq; non defenſionem modò, ſed gratiam & laudem ſingularem meritò inuenerit, quemadmodū Euſtathius ac Furius Albinus eruditè & copioſè apud Macrobium teſtantur.

CAPVT IX.

De his hominibus, qui ſeipſos in puteum iaciant, & quid in cauſa, exemplis de Laurentiano & alijs adductis.

QVæſitum nuper eſt à uiris prudentioribus, quonam fato acciderit, ut hoc ipſo anno in parte Galliæ (quæ à noſtris Lugdunenſis dicitur) non paucæ quidem fœminæ, ſeipſas in puteos, & in undas coniecerint: & ſi nullo (ut apparebat) corporis morbo uexarentur. In quo nihil certum, aut etiam dignum eſt allatum, præterq; quòd hoc totum pleriq; poteſtate ſiderum, ac cæli defluxu fieri arbitrati ſunt. Vnde furore perciti homines uiolenta nece occūberent. Nec em̄ deſunt exempla apud ueteres, quibus apertè colligitur, plurimos tali morbo affectos ſe interemiſſe, quod à ueteribus tamē in deorū iram & quaſi

ultionem refertur. Nam de his qui graui morbo, aut peſte
tenentur, uulgatius eſt, quàm ut de hoc tradendum ſit. Cũ
Gallenus quoque & Hippocrates in medicina præſtan-
teis uinciendos præcipiant ægrotos, ſicubi peſtilenti, uel
grauiſſima febre infeſtantur. Quod in his maximè acci-
dit, qui peſtilentia laborant, in celebri illa Athenienſium
traditur, in qua permulti ſe ipſos paſſim in undas iaciebant;
quod à poëta Lucretio eleganter explicatur:

Multi præcipites Lymphis putealibus altè
In fluuios partim gelidos, ardentia morbo
Membra dabant: nudum iacientes corpus in undas.

Neera. Teſtis mihi & Pontanus, uirginem Neeram in Salentinis
paucis antè annis ſeſe in puteũ deijciſſe. Sed hoc nimia indi
gnatione factum conſtitit, quòd ab eo ſe repudiatã uideret,
cui pro cõiuge pacta erat. Sed ẽm quod nuꝑ accidit in Pe-
Petrus Leonius. tro Leonio mirificũ certè uiſum eſt, quãdo is & in philoſo-
phia uir excellens, ac prudẽtia propè egregia, in puteũ ſe in
Laurẽtianus florentinus. Florẽtino ſuburbano ĩmerſit. Quod etiã mox Laurentiano
Florentino cõtigit, cuius ego academiam aliquãdo acceſſi,
eiuſq; diſciplinæ auditor interfui, cũ Ariſtotelis, atq; Hip-
pocratis cõmentarios magna eruditione exponeret. Sed in
obitu hoc Laurentiani, cõſenſum eſt à medicis, fuiſſe illum
atra bile ſic percitũ, ut Hippocratis uinculo neceſſe fuerit il-
lum alligare. Quãquàm & hoc ipſo anno fœminæ aliquot
in Crotonienſi agro idem factitarunt.

CAPVT X.

De populis qui humana carne ueſcantur, & quæ Hieronymus de Scottis gente Britannica ſcripſerit.

FRequens mentio eſt apud ueteres authores de
populis Anthropophagis, qui uidelicet idcirco
ſunt à Græcis appellati, quòd humana carne ue-
ſcantur.

ſcantur. Nam apud Scythas (inquit Plinius) plura genera ſunt, quæ humanis corporibus ueſcunt. Et in medio ꝑpè orbe terrarũ Sicilia & Italia, gẽtes fuiſſe olim huius mõſtri Cyclopas & Leſtrigonas dictos cõſtat. Sed idem relatũ eſt etiã à Hieronymo de Scottis, ꝙ hi populi ab hoĩbus eſitan/dis nõ abſtinerẽt. Quod hercle mirum eſt, cũ ad ipſam Hieronymi ætatẽ id agerẽt. Sic eñ refert idem quo loco uarios populorũ mores ac ritus ꝑcenſet. Quid (inqt) loquar de cæteris nationibus, cũ ipſe adoleſcentulus in Gallia uiderim, Scottos, gentẽ Britannicã, humanis ueſci carnibus? Et cum ꝑ ſyluas porcorũ greges, & armentorũ, pecudũq; reperiãt, paſtorũ nateis, et fœminarũ papillas ſolẽt abſcindere, et has ſolas ciborũ delitias arbitrari. Idem etiã Scotti quaſi Platonis rempu. ſequẽtes, nullã ꝓpriam habẽt coniugẽ, ſed pro libidine (inquit) more pecudum laſciuiunt. Quod à me de Scottis eò libẽtius eſt obſeruatũ, quoniã & doctiores quidã opinati ſũt: de his quidẽ populis, nullã Romanis impatoribus cognitionẽ fuiſſe, in qua ſententia & Hermolaus Barbarus fuit. Noſtra aũt ætate cõpluris cũ Carolo Francorum rege Italiã inuaſerũt, qui ſub eius ſignis militarent: ſunt eñ in dirigendis maximè ſagittis uiri acres atq; egregij.

CAPVT XI.

De lapide Caryſtio mirifica obſeruatio, quòd ex eo ueſtes contexantur, atq; in ignem poſitæ à maculis emundentur.

DE Caryſtijs columnis, atq; marmoribus, cõplura ab his tradunt̃, qui de lapidicinis ſcripſerũt: de illo aũt genere lapidis, qui ad Caryſtiũ celebratur, cum alij multi, tum præcipuè Strabo miranda quædam deſcribit, cum netilem hũc atq; textilẽ eſſe referat. Quin ex hoc ipſo lapide mãtilia inqt Strabo egregiè cõtexi atq; abſolui. Quæ ſi fortè contraxerint ſordeis, & in ignem

deferantur,

deferantur,facilè quidem emundari atq; omnis maculas tolli, ac ſi in lauacro fuerint. Quod ego ob id obſeruandum exiſtimaui,ut apertius intelligamus,nihil tam mirum uideri in maieſtate naturæ,quin illud ipſum magno conſenſu credi oporteat,etiam ſi malè docti homines atque antiquitatis imperiti,uel talia impudenter contemnunt, uel inepto riſu tanq; mendacia explodunt.

CAPVT XII.

Locus in epiſtola M.Tullij ad Trebatiũ expoſitus de Philoctete quãq; imprudenter à quibuſdã deprauetur ac falſò itidẽ exponatur.

MVlti hactenus fuerunt,qui in commentarijs Angeli Politiani,quibus Miſcellanea titulum fecit, complura uelut abſurda, & imperitè expoſita adnotarũt.Nam cuiq; inſitum propè eſt,aliena magis detrahendo reprehendere, quàm ſua docendo comprobare.Nos autem eos homines laude dignos, atq; commendatione cenſemus,qui legendo,ſcribendo,atq; commentando,permultùm uigilarunt:etiam ſi non ſunt omnia in bonis diſciplinis conſecuti.Quod ea ratione dictum uolumus, ut eorum inſcitiam, atq; ineptam audatiam reprimamus, qui in hoc literarum certamine uolſellis (ut inquit Varro)non gladijs pugnant. Sed his miſſis M.Ciceronis locus exponẽdus eſt in epiſtola ad Trebatium iureconſultum,quo loco de Philoctete agitur, cui ſimilem dicit Trebatium, in locis uarijs peragendis. Deinde quod in Britannia (inquit) non minus quàm Philocteten te præbuiſti, planè non reprehendo. Quibus uerbis Cicero ſignificat Trebatium ipſum parũ certo loco conſiſtere, ſed peregrè uagari,& ſpectacula cõplura quæritare ad exemplũ Philoctetis ut ex Græcis quoq; fabulis colligimus,in quibus Philoctetes inducit̃ poſt acceptã iniuriã, per uarias urbeis ac regiones deferri. Sed eiuſdẽ

Ciceronis

Ciceronis uerba repetenda ſunt, ex epiſtola ad Q.Fratrem,
ut apertius intelligamus, quàm ſit hoc loco abſurda mentio
de Philotheoro. De repub.(inquit) nimiũ te laborare doleo,
& meliorem ciuẽ eſſe, quàm Philoctetem, qui accepta iniu
ria, illa ſpectacula quærebat, quæ tibi acerba eſſe uideo. Ex
his aũt uerbis, nemo eſt qui non uideat Philoctetẽ eſſe legen
dum, non Philotheorum, quando & ueteres quoq; codices
huic ſentẽtiæ aſtipulãtur. Quod ego cũ Politiano retuliſſem,
ingenuè quidẽ & amicè profeſſus eſt, nõ fineis modò ſe hac
in re, ſed ipſam quoq; poſſeſſionem concedere.

CAPVT XIII.

Veterum conſuetudo relata de Bactrianis populis & Atrijs in furtis mulctandis ex authore Bardeſane: ac de Ægyptijs etiam & Lacedæmonibus, qui impunè furta committerent.

COmplura paſſim apud ueteres de furtis legun
tur, quibus legibus, atq; ſupplicijs mulctari o-
porteat. Sed illud ex libris Bardeſanis de fato ap
ponendũ putaui. Apud Bactrianos (inquit) po
pulos qui pauca furãtur, ſputis dehoneſtari ſo-
lent, taliq; ignominia dedecorantur. Apud Atrios item, qui
minima furantur, lapidibus obruũtur. Quod & Pamphilus
Euſebius recenſet, quo loco de fato contra Caldæos, & ma
thematicos diſſerit. Lacedæmones autem uiri, & acres impri
mis, & ſobrij, patrio iure ac legibus, furãdi uſum permiſerũt,
neq; id ipſum ob turpiorem quæſtum, aut ad ſumptũ libidi-
ni ſuppeditandum, uel oppulentiam congerendam, ſed pro
ipſa (ut inquit Gellius) diſciplina & exercitio rei bellicæ, quo
niam ſedulitas illa, & ſolertia furãdi, ingenia & animos iuue
num acueret, atq; ad inſidiarum aſtus excitaret, & uigilandi
tolerantiã obfirmaret. Apud Aegyptios item uetuſtiſſimos
illos furta omnia fuiſſe permiſſa & impunita traditũ eſt, qua

in re illud M. Catonis ueluti ex delphico ſeruatũ eſt, in ori-
ginibus de furtis, Fures (ait) priuatorũ furtorũ in neruo atq;
cõpedibus ætatẽ agũt, fures publici in auro ac purpura.

CAPVT XIIII.

Triginta millia deorũ à poëta Heſiodo celebrati, & à M. Varrone ccc. Ioues, & quàm ridicula fo ret ueterũ de dijs opinio.

SCripſit Aenomaus librũ de fallitate oraculorũ, in quo flagitia oĩa Apollinis, & uatũ deceptiões detexit. Quo aũt loco refert imperatum fuiſſe ab Apolline Mithymneuſibus, ut ligneũ Dionyſij caput colerẽt, xxx. inquit millia deorũ in orbe terrarũ habe ri, idq; ipſum à uate Heſiodo fuiſſe aſſertũ. Septimius uerò Tertullianus in apologetico cõtra gẽtileis, trecẽtos inquit Ioues, ſeu mauis Iupitros à M. Varrone dinumeratos, eosq; ſine capitibus introductos. Quo circa nõ ineptè dictũ uidetũ à quibuſdã philoſophis, fuiſſe eos maximè demẽteis atq; inſanos, q rebus omnibus, & adeſſe deos putauerint. Et uaria flagitia, quæq; obſcœniſſima dictu ſunt, pro numinibus coluerint, quod ab Auguſtino etiã & Firmiano, lõgis uolu minibus, atq; magnis cõuitijs inceſſitũ, deridetũ atq; exploditur. Itaq; ocioſũ eſt (inqt Tertullianus) per oĩa deorũ nomĩa uelle decurrere, qui colerent à ueteribus, cũ tot, tanq; uarij, noui, ueteres, ſerui, barbari, Græci, Romani, peregrini, captiui, adoptiui, proprij, cõmunes, maſculi, fœminæ, ruſtici, urbani, nauti, militares, enumerentur.

CAPVT XV.

Qui ſint apud Aegyptios Sarabaytæ ſacerdotes, ac deorũ moribus, atq; improbiſſima ſimulatione ex Auguſtino, & Hieronymo authoribus.

SErmo habitus eſt in Marciana bibliotheca, à Pico Mirãdula & Politiano de quibuſdã hereticis, eorũq; diſciplinis, atq; opinionibus. Tum de Au-

guſtini egregia & ſingulari doctrina, in examinandis, refel lendis, atq; eijciẽdis illorũ erroribus, qui Chriſtianorũ men teis, ueluti proſerpens hedera, facilè implicant. Inter alia uerò complura quæſitum eſt, quinam forent Sarabaytæ ſacerdotes, quoniam in Auguſtini epiſtola mentio de his obiter facta ſit. Qua in re, cum nihil reſponſum fuerit: putaui hoc loco ea ſubijcienda, quæ de his relata ſunt, ab eodem Auguſtino ex Hieronymi traditione. Tales ſunt (inquit) Sarabaytæ ſacerdotes, ut eorum genus omni affectu, atq; ſtudio ſit deuitandũ. Ipſi denicq; in Aegypto poſiti ſunt, in foraminibus petrarum habitantes, induti porcorum & boum pellibus, cincti funibus, palmarum ſpinas ad calcanea portãtes, ad cingulum ligatas, diſcalciati, & ſanguine cruentati. Cauernis exeuntes, ad feſtum Scenophegiæ pergunt Hieroſolymam. Et ſancta ſanctorum intrantes, paupertatem & abſtinentiã prædicant à ſe ſeruari. Tum barbam, ſpectante populo, ibidem acriter peruellunt. Itaq; nummis, tali aſtu, & commento adeptis, in ſuam regionem remeant, & in lætitia & dapibus epulãtur. Hos (inquit) Sarabaytas Auguſtinus, nolite obſecro imitari: quia non beatos illos, ſed in magnis ſupplicijs damnatos meritò eſſe prædicamus. Videntur eñ pro his ab Auguſtino & Hieronymo accepti, qui cum uultum ſeueritatis uendicent, atq; ſeueritatem egregiam præ ſe ferant, in receſſu ſcelera omnia & flagitia retinẽt. Cuiuſmodi homines & à Paulo & à cæteris magnopere exagitantur: ſiquidem Catones & Curios ſimulãt, (ut inquit ille) uiuũt autẽ bacchanalia.

Finis tertij libri, cõmentariorum
Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. QVARTVS.

CAPVT I.

Dignum memoria de rege Piſiſtrato, quo aſtu, atq; cõmento, contra aduerſarios ſit uſus, pro firmando imperio, tum de eius quoq; tyrannide non nihil ex uerbis Solonis.

Græci calui.

DIgnũ obſeruatione ac memoria eſt, quod in hiſtoria de rege Piſiſtrato, & eius diſſenſione cum filijs notatur, tum quàm callidè ac prudenter (ut homo Græcus) omnẽ prorſus odij ac ſimultatis ſuſpitionẽ apud populum Athenienſem ſuſtulerit. Nã cum fortè idem Piſiſtratus (qui Athenis imperauit) in dicenda ſententia minimè obtinuiſſet à liberis aſſenſum, ex ea re factũ eſt, ut inter eos orta ſimultas crederetũ, quòd æmulis atq; aduerſantibus (ut fit) maximè gratum pro uoto contigerat, ſperantibus ob eam fortè ſeditionẽ atq; diſcordiã, futurã in regno nouitatem. Verùm Piſiſtratus comperto æmulantium animo, ut eximia uir prudentia, ciueis omneis conuocauit, atq; ad eos in hunc modum uerba habuit. Succenſui equidem pro tempore (inquit) ô Athenienſes meis filijs, quòd ipſi paternæ uoluntati (ut par fuit) minus acquieſcerẽt, ſed uiſum mihi deinceps eſt, officium eſſe meum, ac pietatis paternæ munus, ut ego ipſe in liberorum ſententiam cõcederem. Debetis igitur ſcire, ſobolem quidem ac liberos regis cum patre conuenire, & in omnibus eſſe concordes. Quo cõmento atq; aſtutia effecit, ut omnibus planè Athenienſibus

bus ſpes tolleret, futuræ nouitatis. Idem quoq; Piſiſtratus mira quadam arte, & ingenio tyrannidẽ occupauit (ſicuti à Solone & alijs permultis ſcribit). Nam blandè primũ uocare populũ, atq; elicere cœpit: dein ſibi ipſi uulnera inflixit, & in publicũ ſimul progreſſus, atq; uociferãs, ea ſe ab hoſtibus accepiſſe. Quadringentos ſibi cuſtodes dari exorauit: iuueneis admodũ acreis & robuſtos, qbus armatis ſtipatus reipub. Atheniẽſiũ ſtatũ euertit, ac regiã poteſtatẽ arripuit.

CAPVT II.

Quo ſtudio ac diligentia factũ ſit à Romanis, ut libros Magonis de agro colendo in Latinum conuerterent: tum aliud exemplum de Cor. Taciti hiſtoria, quo honore à Tacito imper. habita, & in bibliothecis locata fuerit.

NOtandũ & illud eſt, quanta cura, & ſtudio factũ ſit à Romanis, ut ea omnia diligẽter obſeruarẽt, quæ ad ipſam uitã, cultumq; & mores hominũ ptinerent. Nec eñ leges tantũ, & ſacra quædam ab Athenienſibus per legatos acceperunt, ſed cõmentarios etiã de agricultura, & eius præceptis, ab ipſis Carhaginiẽſibus ſenatus authoritate, in uſum Romanũ tranſtulerũt. Nã cum Mago ille Penus, qui contra Romanos imperator excellẽs fuerit, libros de re ruſtica duo de triginta condidiſſet, decretũ eſt à Romano ſenatu, ut ea quidẽ uolumina ex Punica lingua, in Latinũ ſermonẽ cõuerterentur: quo maior etiã utilitas, atq; cõmoditas colendi agri, Romanis uiris traderetur. Quod ipſe C. Plinius ad Veſpaſianũ Auguſtũ ſcribit, qui inter alios quoq; Magoniani operis interpretes, Decium Syllanũ fuiſſe aſſerit, cui demandatũ fuerit, Magonẽ ipſum in Romanã orationẽ transferret, ſiquidẽ non modò nobili genere Syllanus hic fuit, ſed etiã ſapiẽtiæ (ut inquit Plinius) cõpoſitiſſimæ. Facit ad hoc & aliud exemplum de *Decius Syllanus.*

Tacito impe. Romano. Is enim Corn. Taciti uiri cõſularis hiſtoriam de Rom. imperatoribus, non modò in omnibus bibliothecis iuſſit collocari, ſed etiam edicto cauit, ut decies quotannis ad uſum publicum tranſſcriberetur, atq; in bibliothecis pariter poneretur. In quo apertè probatur, non illum modò ſui generis & familiæ, ſed etiã hiſtoriæ rationẽ habuiſſe, qua rerũ omniũ memoria, & utilitas, ad ipſos poſteros ꝓpagat̃, quod & Flauius Vopiſcus ad Baſſum retulit.

CAPVT III.

De cenſorum poteſtate, ac de triplici pœna in Romanos, & qui dicerentur in ærarios relati, ac ibidem ſubſcripta uerba ex antiquis legibus de ipſis cenſoribus.

PRudenter à Romanis factum eſt, in moderando imperio, & moribus corrigendis, ut ea in re magiſtratus eiuſmodi haberent, qui cõſilio, & diligentia ſingulari hoc officiũ præſtarẽt, quales in urbe cenſores fuerũt. Qui præter alia multa cũ agerent, ad regendos etiã ciuitatis mores creari mos fuit, ſed in erogandis pœnis, atq; mulctandis delictis, quod apud Aſconiũ Pedianũ reperio, notandũ mihi hoc loco uidet̃, cũ in quoq; ordine Rom. ciues pro ipſis meritis, cuiq; condignã pœnam ſtatuiſſent. Nã qui ſenatores eſſent, his quidẽ pœna fuit, ut ſenatu amoti, eijcerentur. Qui autẽ Romani equites delinquebant, eiſdem cenſores publicũ equũ adimebãt, ſicuti nimis interdum obeſis, corpulentiſq; equitibus, uel quibus malè curati equi, ſtrigoſioresq; fuiſſent. Qui uerò plebei forẽt, eorum nomen pro delicto in ceritũ tabulas cenſorũ authoritate referebatur, neq; amplius in centuriæ ſuæ albo ſcribebat̃, ſed ærarij fiebant, ac pro capite duntaxat tributi nomine æs præbebant. Ex quo permultos legimus, in ærarios fuiſſe relatos, ſicuti & apud Liuiũ & alios ueteres habemus, quod

ego ob id appoſui, ut eorũ facilius errores à ſtudioſis agnoſcantur, qui etiam doctiores haberi ſolent. Sed & uerba ipſa libet hoc loco adijcere ex antiquis legibus, quo apertius cenſorum dignitas atq; poteſtas intelligatur. Nam & Cicero hæc eadem refert:

Cenſores, populi, ciuitates, ſoboles, familias
Pecuniasq; cenſento, urbis, templa, uias,
Aquas, ærarium, uectigalia tuento:
Populiq; parteis in tribus diſtribuunto:
Exinde pecunias per ciuitatis ordines partiunto:
Equitum, peditumq; prolem diſtribuunto:
Cælibes eſſe prohibento, mores populi regunto:
Probrum in ſenatu non relinquunto:
Bini ſunto, magiſtratum quinquennio habento:
Reliqui magiſtratus annui ſunto:
Ollaq; poteſtas ſemper eſto.

Quod à me alibi copioſius ſcriptũ eſt, cũ cenſorũ poteſtatẽ, aliosq; magiſtratus Rom. ciuitatis diligẽter explicaremus.

CAPVT IIII.

Quantũ bonis præceptoribus diſcipuli debeãt, ac de Alexan. Macedone erga præceptorẽ Ariſtotelẽ, tum de eius quinquaginta libris de animalibus, digna prorſus memoria.

QVantũ debeant homines honeſtis ac eruditis præceptoribus, abundè quidam ueteres principes, & Romani, & Græci demonſtrarũt, qui ſuos quidẽ præceptores, non modò ſumma & egregia obſeruatione coluerunt, ſed honoribus etiã maximis, atq; dignitatibus proſecuti ſunt. Nam parẽtibus, & dijs, & præceptoribus (ut inquit Plato) uix hercle pro merito illud uetus ἀντιπελαργεῖν obſeruari poteſt, cũ tanto muneri nullæ ſatis gratiæ referantur. Alexander autem Macedo, Philippi filius, qui feliciſſimè imperauit, cum Ariſtoteli ſuo præceptori ac

philoſopho

philoſopho debere ſe ingenij eruditionē intelligeret, non ſe mel quidem ſuū animū, atq; obſeruantiā, præceptori aperuit, ratus ſuum eſſe officium, ex iure ipſo humanitatis, tanto præceptori uicem aliquam optimè de ſe merenti referre. Non enim tantum Ariſtotelis nomini patriam condidit, ac tantæ rerum claritati benignum (ut inquit Plinius) animi teſtimonium miſcuit, ſed etiā naturæ ſacra, & cauſas perquirenti, opē maximam tulit, ne tam diligenti ſtudio, & honeſtiſſimæ diſciplinæ, ſua deeſſent emolumenta. Sicuti cùm libros illos quinquaginta de animalibus cōpoſuit, quæ à Græ. πολυτάλαντα βιβλία ſunt appellata: quoniā octoginta quidem talenta (ut inquit Athenęus) impenſa in his ſunt. In quo rex maximus apertè demōſtrauit, nō eſſe minus poſteritatem cōmentarijs inſtruere, quàm uniuerſi orbis populos atq; prouincias deuincere. Sed hoc totum copioſè C. Plinius declarat ad cæſ. Veſpaſianum in hunc modum: Alexander (inquit) Magnus, cū eſſet inflammatus mira cupidine animaliū naturas noſcendi, commentationem hanc Ariſtoteli delegauit: ſummo in omni ſcientia uiro. Tum aliquod millia hominū in totius Aſiæ, Græciæq; tractu parêre illi iuſſa ſunt, eorum uidelicet, quos uenatus, aucupia, piſcatusq; alebant: quibusq; uiuaria, armenta, piſcinæ, auiaria in cura erant: nequid uſquàm gentium à tāto uiro poſſit ignorari. Hos em̄ omneis percōtando, quinquaginta fermè uolumina illa præclara de animalibus condidit. Hæc Plinius de Alexandri ſtudio, & affectu erga præceptorē Ariſtotelē: quod equidem uel ob eam præcipuè cauſam putaui obſeruandum, quoniam in quorundam commentarijs eundem inuenio Alexandrum, mutato animo fuiſſe contra præceptorem, eumq; deinde capitali odio fuiſſe inſectatum, quod eſſe uerum & illud admodum inſinuat, quoniam Alexandri mors, ex illo ueneno Stygiæ aquæ, non ſine infamia Ariſtotelis excogitata creditur.

CAP-

CAPVT V.

De præfectis ſyluarum apud Romanos & de Maioribus ac minoribus prouincijs, ac inibi illud Vergilij expoſitum: Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint conſule dignæ. contra aliorum ſententiam.

PVb. Vergilij uerſus notiſſimi ſunt in poëmate bucolico, quod inſcribitur Pollio:

Non omnes arbuſta iuuant, humilesq; miricæ:
Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint conſule dignæ.

Quo loco noſtri interpretes (ut alia multa) paulò indoctius atq; ieiunius hoc ipſum exponunt: dicẽtes ſyluas dignas cõſule, id eſt conſulari dignitate: ut ad Pollionẽ conſulẽ referri poſſit, idq; ipſum nullo prorſus authore ſcribunt. Sed enim maior ſubeſt eruditio, ac ſenſus remotior, qui ex ipſis Romanorũ legibus atq; decretis elicitur. Nã cautũ fuit apud Romanos, uti cõſ. quidem ipſi curã colliũ atq; ſyluarũ haberẽt, ut hac ratione, materies nõ deeſſet, qua uidelicet nauigia publica poſſent à præfectis fabrũ confici: ſicuti et ſeruatũ adhuc in Veneta repub. uti præfectos habeãt, quibus cura hæc ſyluarum ſit demandata, ut quotannis ſata illa et arbores ex decreto publico excindantur: ne materies nõ copioſa conſtruẽdis nauigijs ſuggeratẽ. Quin & illud in ueterũ libris notatũ, quod ipſe Ancus Martius: qui Numæ nepos ex filia fuit, primus apud Romanos, ſyluas ad uſum nauiũ publicauerit: & Salinarũ uectigal inſtituerit. Fuit aũt conſuetudo apud Romanos, ut poſtea quàm in urbe conſules creati eſſent, prouincias ſortirẽtur: quas inſtructis copijs, & parato exercitu deuincerẽt. Quod ſicubi hoc caſu aliquo defuiſſet, tũ minores obibant. Erant eñ aliæ maiores, & in quis Conſ. haud amplam laudẽ atq; dignitatẽ conſequi poſſent, ueluti cum ſyluarũ & colliũ negociũ agerent. Ex quo Tran. Suetonius de cæſ. conſolatu cũ Bibulo inquit, conſul creatus eſt & ob eã cauſam, opera

Ancus Martius.

Salinarum uectigal primùm inſtitutum.

optimatibus data eſt, ut prouinciæ futuris conſulibus minimi negocij, id eſt. ſyluæ, colleſq; decernentur. Qua maximè iniuria cæſar inſtructus, omnibus officijs, Cneū Pompeium affectatus eſt, offenſum patribus. Sed hoc idem ex noſtris etiam iureconſultis ediſcitur, qui prouincias minores nominant, & ſyluarum curam in illis reponunt: quibus facilè conſtat, quid ipſe poëta Vergilius, iuriſciuilis (ut ait Flauianus) doctiſſimus inſinuet. Quam ſentētiam & Niger noſter Lacetus non improbat, uir ingenio maximè candido, & elegantias ueterum probè doctus.

Vergilius iuriſ ciuilis ſtudioſus.

Stephanus Niger.

CAPVT VI.

Quòd in ſolſtitiali tempore frondes in quibuſdam arboribus conuertantur, & quæ bruma augeri, minuſq; ſit obſeruatum à Stoicis ex lunæ uiribus.

SEruatum eſt à ueteribus euenire in quibuſdam arboribus, ut in ſolſtitiali tempore frondes conuertātur, uel in brumali etiam reuireſcant. M. autem Varro in libro ad uxorem Fundaniam, diſcrimina hæc admiranda appellauit, quibus anni tempus diſcernatur, ex uerſura foliorum dies ſolſtitialis fuiſſe appareat, quod in olea, populo alba, & ſalice accidere teſtat̃. Quæ cum in alijs authoribus relata eſſent, putaui ea ſubijcienda, quæ M. Cicero ex ſtoicorum obſeruationibus recēſet, quo loco de extiſpicijs, & diuinationibus agit. Probatū eſt (inquit) à Stoicis in ipſa bruma, muſculorum iecuſcula augeri, pulegium aridum, floreſcere brumali die. Item inflatas rumpi ueſiculas, & ſemina malorum, quæ in his medijs incluſa ſunt, in contrarias parteis ſe uertere. Iam & neruos in fidibus, alijs pulſis reſonare alios. Oſtreis & conchilijs omnibus contingere, ut cum luna pariter creſcant, atq; decreſcant.

Pulegiū floreſcens.

ſcant. Arbores etiã hyemali tempore, ſimul cum luna con/ ſeneſcunt, & in marinis æſtibus, acceſſus, & receſſus lunæ motu gubernantur. Plutarchus autem Cheroneus in com mentario Heſiodeo, apud Peluſiotas populos rettulit, mini mè cepas eſitari, quoniam inter olera id ſolum contra lu/ næ aucta, ac damna minuendi uireis, & augendi contrarias habeat. Caius item Plinius & Aulus Gellius ſimilia quæ/ dam obſeruarunt, ſed hæc etiam in promiſcuis quæſtioni/ bus expoſuimus. *Peluſiotæ ceparũ abſtemij.*

CAPVT VII.

De Philemone poëta comico, eiuſq; mirando interitu, ex Luciani hiſtoria & aliorum commentarijs.

LEpida quidem hiſtoria eſt ac ſcitu digna, de Phi/ lemone comico, eiúſque mirando interitu, ſicuti in Græcorum commentarijs reperitur. Is enim Philemon in ſcribendis fabulis, elegãti ingenio, & peruenuſto habitus eſt: quando in ſcena ipſa, pleriſq; (ut ſcribitur) Menandro etiam prælatus eſt. Sed cum idem Phi lemon ætate iam ædita prouectior eſſet, eiq; ficus ad cibum paratæ, in conſpectu forent, aſello eas comedente, puerum aduocauit, ut aſinum abigeret. Sed is tardius cum ſuperue/ niſſet, comeſtas omneis uideret, urbaniſſimè inquit: Et nũc da merum aſello. Quo audito, cœpit adeò poëta Philemon riſu & cachinno diffluere, ut ex eo ibidẽ ſtatim perierit. Lu cianus autem Samoſatheus περὶ τῶν μακροβίων, ad hunc mo/ dum de Philemone: φιλήμων (inquit) ὁ κωμικὸς ὁμοίως τῷ κρατίνῳ ἑπτὰ καὶ ἐνενήκοντα ἔτη βίους, κατέκειτο μὲν ἐπὶ κλίνης ἠρεμῶν θεασάμενος δὲ ὄνον τὰ παρασκευασμένα αὐτῷ σῦκα κατεσθιόντα, ὥρμισε μὲν εἰς γέλωτα, καλέσας δὲ τοικέτην καὶ σὺν πόλλῳ καὶ ἀθρόῳ γέλωτι ἀπὼν προσδοῦναι τῷ ὄνῳ ἀκατουρόφειν ἀποπνιγεὶς ὑπὸ τοῦ γέλωτος ἀπέθανεν.

Hoc idem & in Sudæ collectaneis, & apud ueteres multos paſſim reperitur. Neq; autem me latet, alios quoq; nimio riſu periÿſſe, quod alibi commodius diximus. De ipſo autem Philemone & Maximi Valerÿ exemplis mentio habetur, et ſi poëtæ nomen temere à quibuſdam ſit deprauatum.

CAPVT VIII.

De mulſo apud ueteres in ſacris, ac Titij uerba poſita de hoc tum Romuli Pollionis dictum ad Octauium Auguſtum, & alia obiter non iniocunda.

DE mulſo & eius potione permulta in ueterum libris ſcripta ſunt, neq; apud eos modò qui de generibus potionũ diligenter quæſierunt, ſed apud illos etiam authores, qui ſacra deorum & libationes rettulerunt. Omnes autem in hoc ferè conueniũt, mulſum quidem pro uini genere accipiendum, quod eſſet melle cõmixtum. Vnde in ſacris Herculis & Cereris, mulſum hoc præcipuè celebrat̃, ſicuti Vectius Prætextatus in cœnis Macrobianis oſtẽdit. Nam Cereri ſacris haud uinum quidẽ libari fas erat, ex quo iocus ille Plautinus perq; lepidus in Aulularia de cerealibus nuptÿs. Quin & xÿ. Cal. Ianuarias ſacrũ hoc Herculi, & Cereri fiebat: quod in Romanis etiã faſtis apparet, in hunc uidelicet modum: ſue pregnante, panibus & mulſo. Hincq; eruditè ac prudenter excuſari uideo P. Vergiliũ, qui ſcienter dixerit:

Mulſum in ſacris Herculi & Cereri.

Cui tu lacte fauos, & miti dilue baccho.

Haud enim ignorabat, uir utriuſq; iuris optimè conſultus, uinum ipſum miteſcere, cum mulſum fieri occepiſſet. C. autem Titius uir doctus, & qui Romanos luxus acerrima oratione lacerauit, de hoc etiam mulſo mentionem fecit: ſicuti Furius Albinus ex oratione illius apud Macrobiũ recenſet. Vix (inquit) præ uino ſuſtinẽt palpebras, eunt in conſilium

Vergilius utriuſq; iur. ſcõſul.

ſilium, ibi hæc oratio: Quid mihi negocij eſt cũ iſtis nugatoribus potius quàm potamus mulſum mixtũ, uino Græco, edimus turdum pinguẽ, bonumq́ piſcem, lupũ germanũ? Quibus apparet Scipionũ ætate (nam tum is Titius uixit) ſolitos eſſe Romanos Græcũ uinũ & mulſum potitare. Sed & L. Scipio (ut eſt author Liuius) in bello contra Sannites, diſcrimine ipſo, quo templa dijs immortalibus uoueri mos erat, uouit Ioui uictori, ſi legiones hoſtiũ fudiſſet, pauxillũ mulſi, priuſq́ temetũ biberet, ſe facturũ: quod ipſis dijs cordi fuit. Illud autẽ mulſi genus pro optimo habitũ eſt, quod ex uetere uino conſtaret: nam & multi (ut inquit Plinius) longam ſenectam mulſi tantũ nutritu citra aliũ cibum tolerauère. Ex quo nobile illud exemplũ de Romulo Pollione, qui ſupra centũ annos uixit. Nam cũ fortè diuus Auguſtus illum rogaret, qua nã ratione uigorẽ illum & animi & corporis tam feliciter cuſtodiret: Intus mulſo reſpondit, foris oleo. Appellatur & aqua mulſa apud eundem Plinium, aliosq́ medicos, quæ melle addito diluitur, cuius potus maximè utilis alſioſis, & his qui exilisq́ animi ſunt: quos Græci τοὺς μικροψύχους uocant. Lenit etiam tranſitũ ſpiritus, & contra tuſſim ualet, aliaq́ permulta, ſicuti eorum tradunt commentaria, qui remedia morbis excogitarunt. *Aqua mulſa. μικρόψυχοι.*

CAPVT VIII.

Quid apud ueteres ſit, urbẽ Romã fuiſſe ad æquilibriũ poſitã, & quòd æquilibritas uertitur à M. Tullio, quod eſt Græcè ἰσονομία. Tum non nihil etiam de differentia inter urbem & Romam, ex doctrina iureconſultorum.

SCriptum eſt à Iulio Solino de urbe Roma, eam fuiſſe primò quadratam uocatam: quoniam ad æquilibrium eſſet poſita. In quo à uiris doctioribus quæſitũ eſt, quid eo loco Solinus intelligat, cũ uoce duriuſcula, ſitum ac poſitionẽ tam

auguſtæ urbis ad æquilibriũ factam rettulerint. Sed eñ, putamus non aliter hoc accipiendũ, quàm ut ipſam dicamus Romam ad æqualẽ regulã, & quaſi ἰσονομικῶς in quadratam ſpeciem conſtructam, quod & Sex. Pompeius ex Verrio teſtatur, ratione loci ac mœniũ habita. Vnde Plutarchus etiã uir in perquirendis Romanis antiquitatibus diligens, ῥώμην τετράγωνον uocat. Nam & in cæteris quoq; ædificijs, dicimus aliquid ad æquilibrium cõpoſitum, quod æqua ratione abſolutum, & undecunq; perfectum appareat: tametſi hãc uocem, quæ eſt æquilibrium, ex tabulis decemuiralibus, ſcimus profectam, quo loco lex talionis cõtineretur: quando & Sex. Cecilius pœnam talionis ad æquilibrium factam expoſuit, hoc eſt, πρὸς τὴν ἰσονομίαν, habita iniuriarum ratione, ut ipſam uidelicet talionem quaſi adamuſſim, & libellã æquiparent atq; expendant. Hæc eñ uerba ſunt legis. Si membrum rupit meum, è pacto talio eſto. Quod & Gellius uir Romanus ex Phauorini philoſophi diſputatione recẽſuit. Sed & M. Cicero ἰσονομίαν Latino uerbo exponens æquilibritatem appellat, in libro de natura deorũ, cum de atomis illis Democritis agit. Confugis (inquit) ad æquilibritatẽ, ſic enim ἰσονομίαν (ſi placet) appellemus: tametſi ſciã in uulgatis quidem codicibus æquabilitatẽ perperàm ſcriptũ. Noſtri uerò iureconſulti (ut id etiam referatur) inter urbem, & Romam differentiam haud inelegãtem ponunt, ut urbem uidelicet locum duntaxat intra mœnia intelligamus: Romam uerò & ipſa etiam ſuburbia, quæq; iuxta urbem circũuiſantur. Eoq; id aſſerũt, ut intelligi facilius poſſit, quæ aut Romæ, aut in urbe iure legationis comprehendantur, ne quid in Erciſcũda familia diſcriminis aut fraudis naſceretur. De Roma autem quadrata, eiuſq; ratione, cõmodius egimus: ne illud Q. Ennij carmen minus à noſtris intelligatur:

Et quis tum curat Romæ regnare quadratæ?

cum

cum primò hæc ſaxo appoſita foret, in ſpeciē quadratam conſtituto, ut Pompeius & Dionyſius teſtantur. Quod & noſter Ber. Oricellarius in ſuis commentarijs de urbe Roma diligenter exequitur.

CAPVT X.

De Pythagorica philoſophia, ac de Iani fronte quadruplici, ac de Manaſſe rege, eiusq; ſtatua cum facie quintuplici.

QVi de ueterum theologia cōmentarios ſcripſerunt, pleraq; uolunt de dijs, eorumq; ſimulacris allegoricè intelligi. Sicuti & Pythagorici philoſophi, qui arcana illa cæleſtis diſciplinæ, ac rerū myſteria, quodam quaſi uelamento obduxerunt, ne temerè prophanum uulgus ad ea accederet, quod apud nos Macrobius, & Fabius Planciades demonſtrant, ut Græcos mittamus, qui multò copioſius hanc partem abſoluerunt. Sed libitū mihi ea referre, de Iano, eiusq; ſimulacro, quæ ex Baſſianis commētarijs Vectius Prætextatus recenſet, qui eum ait appellatū fuiſſe bifrontē, quoniā & ſuperū & inferū ianitor habeat. Quod in faſtis etiam Ouidianis patet. Sed quadruplici facie eundē finxerūt, & quadriformē (ut ait Baſſus) uocarunt, quòd uniuerſa climata ſua maieſtate complexus eſt, & in quatuor orbeis parteis conſpicit: ſicuti hoc ipſum Iani ſimulacrū demonſtrat, ex quo Saliari carmine ut deorū deus celebrat. Auguſtinus cum de Romanorū dijs differit: Ianum (inquit) ipſum bifrontē, & quadrifrontē etiā, tanq; geminū fecerunt. Et quoniā plurimi dij ſelecti erubeſcēda perpetrando amiſerant frontē, quanto iſte innocētior eſſet, tanto frontoſior apparet. Manaſſes quoq; rex Hebræorum, cum ſtatuam ſibi poneret, quincuplici facie ornatā uoluit, quo maior in eo prudentia, & maieſtate (ut puto) ſignaret, quod

Ianus quadriformis.

quod Euſebius Pamphilus ex Manethi ānalibus tradit. Nā cum is prophetam Eſaiam interfeciſſet, ſtatuam ſibi poſuit, quinq; facies habentem, quod in ſacra etiā hiſtoria legitur.

CAPVT XI.

Quomodo accipiendum ſit apud Varronem limbus XII ſignorum, & unde cælum & mundus dicantur, ſimulq; uerſus additi ex Varronis Menippeis, quàm uenuſtiſsimi.

QVi de cælo & mundo ſcripſerūt, copioſè quidem exponunt, qua origine, quo motu, quibusq; partibus cenſeri debeāt: ut Plato & Ariſtot. M. quoq; Cicero, in libro de uniuerſitate, quē magna ex parte à Platone in Latinū ſermonem tranſtulit, abundè hoc totū diſſeruit. Quæ res cū ſæpe numero ſe ad conſiderandum offerat, putaui fore non indignū, ſi M. Varronis uerſiculos referrem, quos in Menippeis ſatyris ſeu Cynicis, nō minori elegātia, quàm doctrina inſeruit, cum cælum ipſum, ignemq;, & mundum pro eodem habendum tradat. Sic enim in Dolio ſatyra, ut Probus etiā Valerius teſtatur in Vergilij cōmentario:

Mundus (inquit) domus eſt maxima omnium,
Quam quinq; altitonæ fragmine zonæ cingunt:
Per quam limbus pictus bis ſex ſignis
Stellimicantibus, altus in obliquo æthere lunæ
Bigas acceptat poſthumi, cui Seplaſia fœtet.

Vocatur à cælatura cælum: Græce ab ornatu κόσμος, Latinè à puritia mundus. In his limbū ſcribit per orbem cū duodecim ſtellimicantibus ſignis deferri. Vocat aūt limbum hoc loco Terentius Varro, circulum illū, ſiue partem, quæ Græcè zodiacus dicitur: qua uoce & Plinius utitur. Quin apud eundē Varronem Coſſinius inquit, capellarum dentes, inimici ſationis, quas etiā aſtrologi ita receperūt in cælum, ut extra limbum XII. ſignorū excluſerint. Quod autem à cælatura cælum

& ab

& ab ornatu κόσμος Græcè dicatur, cũ multi referunt, tum C. Plinius, qui hunc ipſum Varronis locum, ut alia multa ſecutus, ad hunc modum ſcribit: Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellarunt, eũ & nos à perfecta abſolutaq; elegantia, mundũ, cælumq;, haud dubiè cælati argumẽto diximus, ut interpretatur M. Varro. Adiuuat & rerum ordo, deſcripto circulo, qui ſignifer uocatur in xii. animalium effigies, & per illas ſolis curſu congruens tot ſæculis ratio.

CAPVT XII.

De quibuſdã legibus, & eorũ præmio, qui hosteis multos interemiſſent, ex libris Ariſt. & quæ Firmianus contra Ennium, & Ciceronẽ protulerit.

Referuntur ab Ariſtotele & alijs permultæ leges, de illorum præmio & dignitate, qui certando, ac ſtrenuè dimicando, ex hoſtibus aliquot occidiſſent: ſicuti de Sparthanis populis, Perſis, Thracẽſibusq; & alijs. Sed ea libitũ eſt in præſens annotare, quæ ipſe Ariſtoteles in Politicis proſequitur, de his ſcilicet ciuitatibus ac nationibus, quæ ſuas leges, atq; inſtituta, ad militarem diſciplinam augendam, & confirmandam ſtatuerunt, ſic, ut ex cruore hoſtium ac cædibus, maior animi uirtus atq; dignitas haberetur, ceu apud Perſas (inquit) Thraces, Scythas, Macedones & Gallos, complura ſunt inſtituta. Sed ẽm lex aliquãdo apud Macedones fuit, qua cautũ eos homines capiſtro cingi, qui nullum hoſtem interemiſſent. Apud Scythas autẽ & illud decretum eſt, ut hi tantũ in celebri conuiuio circũlatam paterã accepturi eſſent, qui ex hoſtibus aliquot occidiſſent. Iberi autem (gens admodum bellicoſa) tot erigere obeliſcos circa ſepulchrum conſueuerunt, quot ex numero hoſtiũ necaſſent. Sed & Carthaginienſes pro expeditionum numero, in quibus meruiſſent, anulorũ ornatũ retinebant. Quo factũ eſt, ut complures, tũ maximè inſignes ſint habiti, qui animo

acres, atq; feroces, multos in prælijs, cum magna ſtrage obtruncaſſent. Apud noſtros aũt Romanos Scipio ille Aphricanus magnopere apud poëtam Ennium gloriaĩ, quòd per ſanguinem hoſtium, & cædes, uiam ſibi ad cælum aperuit: quod ipſe quidem Cœlius Firmianus, uelut impium ac ſcelestum facinus uehementer exagitat, Enniumq; & Ciceronem, ea in re uanitatis & impudentiæ arguit, cũ in hunc modum de ſe idem Scipio apud Ennium loquatur:

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquàm,
Mihi ſoli cæli maxima porta patet.

O quantis in tenebris Aphricane (inquit) Firmianus uerſatus es, uel potius, ó poëta, qui per cædes & ſanguinẽ, patere in cælum aſcenſum putaueris. Cui uanitati & Cicero aſſentit. Eſt uerò (inquit) Aphricane, nam & Herculi eadẽ iſta uia patuit.

CAPVT XIII.

Petronij Arbitri carmen appoſitum, in quo ciconiam pietaticultricem & gracilipedem dixit, tum inibi de alitis eiuſdem pietate non indigna relatio.

Legebamus nuper Venetijs ego & Ioannes Venetus, Petronij Arbitri Satyricôn opus contra declamatores, in quo cum alia multa nos magnopere affecerũt, tum illud præcipuè carmẽ, in quo de pauone & ciconia ludẽs, illũ babylonico aureo amictum, & ciconiã pietaticultricẽ, gracilipedẽ, choraliſtriã, & exul hyemẽ appellauit. Sed aſſcribemus eiuſdẽ uerſus, eoq; libentius id agendũ eſt, quòd in uulgatis ferè codicibus, nõ pauca deprauata, atq; interliſa diligens lector comperiet.

Tuo palato (inquit) clauſus pauo naſcitur.
Plumato amictus aureo babylonico.
Ciconia etiam grata peregrino hoſpiti

Pietaticultrix, gracilipes, choraliſtria:
Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis:
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Neq; deſunt apud ueteres, qui referãt, ipſam quidẽ ciconiæ imaginem exculpi olim ſolitam ſuper ſceptris regum, quo eorum pietas, atq; iuſtitia indicaretur. Illud enim uetus ἀντιπελαργεῖν peruulgatum eſt, de ingenio atq; pietate ciconiæ erga parenteis, quod etiam diuus Ambroſius cõfirmat. Qui Romanorum (inquit) uſu alitem hanc pietatis nomine honeſtatam. *Ciconia ſculpta regis ſceptris.*

CAPVT XIIII.

De legatione Gallorum ad regem Alexandrum: ac de illorum congrua, & opportuna reſponſione, contra ambitioſam regis inſolentiam.

QVanta celebritate nominis, atq; magnitudine imperauit Alexander, Philippi filius, uniuerſa antiquitas memorat, quando nemini par felicitas, & animus in obeundis bellicis rebus, atq; ſuperandis periculis contigerit. Quo factum eſt, ut pleræq; nationes atq; populi, muneribus ſummis atq; honoribus, illum decorare, atq; auguſtiorem reddere conarentur. Sed quæ de Gallorum legatis ſcripta ſunt ab authore Strabone, uiſum mihi eſt, ut hoc loco adnotarem, ad hanc enim propè ſententiam de Gallis, Alexander (inquit) ille Macedo Philippi filius, in eà nobili expeditione, quam contra populum Thracenſem ſuſcepit, cum Triballorum prætereà gentem inuaſiſſet, Gethas ipſos acceſſit, eorumq; urbem in ſuam poteſtatem redegit. Itaq; paulò mox à Syrmo Triballorum rege, & alijs permultis munera capiens, ad ſuos remeauit. Sed interim ad Alexandrum mittuntur, amicitiæ eius conſequendæ nomine Gallorum legati, qui eam regionem prope Adriam incolebant. Eos uerò Alexander pro re-

gis dignitate cum comiter, atq; amicè accepiſſet, in celebri (ut fit) cõuiuio, legatos rogauit, quid illud præcipuè foret, quòd illi præceteris ext.meſcerent (putauit enim de ſeipſo
Gallorũ reſpõ reſponſuros) Qua in re Galli (ut homines ſunt ingenio ſim
ſio ad Alex. plici atq; barbaro) Nil aliud (reſponderunt) ô rex, quàm ne cœlum ſupra nos corruat In quo deluſa eſt inſoleſcentis regis ambitio, & importuna interrogatio,

CAPVT V.

Poëtæ Vergilij uerſus appoſiti de Numa rege, quòd canus in adoleſcẽtia fuerit, & quòd Strabo id ipſum de L. Tranquino rege rettulerit.

PVb. Vergilij uerſus ſunt in libro æneidos ſexto.

Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ
Sacra ferens? noſco crineis, incanaq; menta
Regis, Romanis primus qui legibus urbem
Fundabit, curibus paruis, & pauperе terra
Miſſus in imperium.

Quo loco de Pompilio Numa intelligendũ eſt, quoniã ſic ipſe author Vergilius uidet ſenſiſſe. Itaq; Honoratus Seruius canũ fuiſſe Numam à prima ætate aſſerit, eoq; nomine dictũ à poëta Vergi. *Incanaq; menta.* quod equidẽ nõ recolo me unq; legiſſe apud alium quenq; ex ueteribus. Strabo autẽ author grauiſſimus, & in priſcis monumẽtis diligẽs, Tarquinũ refert fuiſſe à pueritia caneſcentẽ. Vrbes (inquit) XII. conditæ ſunt à rege Tarquino, in quo tam egregia floruit ſapiẽtia, ut ab ineunte pueritia, ca-
Cani in homi- num fuiſſe referãt. Neq; aũt me latet periphraſticôs poſſe ac
ne. cipi canos in homine, pro ſenili prudẽtia, & in iuuene cani-
Canities in iu- ciem pro ſapientia. Sed utcunq; ſit, minimè hoc prætereun-
uene. dum exiſtimaui, quod in hac re obſeruatum eſt à Strabone de rege Tarquino, cũ præſertim Verg. idẽ Numæ tribuerit.

Finis quarti libri commentariorum Petri Criniti.

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONE-STA DISCIPLINA, LIB. QVINTVS.

CAPVT I.

Quàm multiplici doctrina præſtet Io. Picus Mirandula, & iudicium ab eo egregiè factum de Hebræis, Græcis, atq; Latinis doctrinis, earumq; differentia.

AGimus nuper ego & Laurentianus cũ Io. Pico Mirandula, qui ut homo in optimis quibuſq; diſciplinis maximè occupatus, cõplura doctè & copioſè rettulit, de principijs ac uarietate ſcientiarum, tum de multiplici philoſophiæ cognitione & authoribus, apud diuerſos populos atq; regiones. Sed inter alia multa de Hebræis, Græcis, ac Romanis quãtum equidẽ memoria poſſum repetere, in hunc modum diſſeruit. In Hebræorum (inquit) philoſophia omnia ſunt uelut quodam numine ſacra, & in maieſtate ueritatis abdita, ceu prodigia quædã & arcana myſteria. In Græcorum uerò diſciplinis, ingeniũ, acumen, & omnigena eruditio apparet, ut nulla unquam gens fuerit, quæ dicendi copia, & ingenij elegãtia, cum illis poſſit cõferri. In Romana uerò academia, ea ferè om̃ia, quæ ad ciuitatem & uitæ mores pertinent, grauiter, & copioſè ſunt explicata, ac magnificè dicta: ſic, ut grauitas maximè Romanis, & imperij maieſtas: Græcis ingenium & acumẽ, Hebræis doctrina ſecretior & quaſi diuinitas (ut Picus dicebat) aſcribi poſſit: quod ipſa Moſis uolumina, & uaticinia illa prophetarum magnopere probant. Ad hanc igitur ſententiam noſter Picus de ueterũ diſciplinis atq; ingenijs diſſe-

rebat. Sed enim M. quoq; Cicero de Græcis ipſis eleganter quidem hæc protulit, in oratione pro L. Flacco. Hoc ego di cam de toto Græcorum genere, tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis lepôrem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: deniq; etiam ſi qua ſi bi alia ſumunt, non repugno, teſtimoniorum religionem

Iamblicus. & fidem nunquàm iſta natio coluit. Quin & Iamblicus, inter Platonicos nobilis, Græcos ipſos leuitatis atq; incōſtantiæ accuſat, cum Aegyptios uel Hebræos (quos appellat Barbaros) in deorum cultu atq; obſeruantia, cōſtanteis atq; egregios afferat: ſed eius uerba ſubſcribam, cum grauiter & copioſè hoc totum in ſuis myſterijs expreſſerit. Par eſt (inquit) in deorum cultu ritus ueteres, tanquàm ſacros & optimos ſemper cuſtodire, eosq; intactos, & inuiolatos ſeruare, ne quid omnino addatur, aut etiam adimatur. Hinc enim factum eſt (inquit) ut numina ipſa & uota, comminuta ac debilitata appareant, quod ex ipſa quidem præuaricatione, ac nouandæ religionis ſtudio, pmulta immutata ſint, & in dies magis immutentur. Nam & Græci ipſi ſuopte ingenio, rerum nouarū ſtudioſi, in quamlibet partem facilè ad quæq; momenta uertuntur: ut qui leues ſint, & inſtar nauis, in qua nihil ſabuli inſederit: nihil omnino ſeruant, quod à maioribus acceperint, ſed immutantes ſubinde, omnia uetera eijciunt, & ex ingenita leuitate, alia atq; alia commutant, in re nulla conſtantes. Barbari autem (inquit) ut moribus firmi atq; integri ſunt: ſic etiam in hiſdem ſermonibus atq; ſententijs maxima conſtantia perſeuerant. Quo fit, quæ ut ipſi dijs meritò ſupra alios inſederint, & orationes offerāt illis maximè acceptas, quæ nulla ratione ab alijs poſſunt immutari.

CAPVT

CAPVT.

Creditum eſſe ad gratiam & formam cōferre, cibum ex lepore, tum lepida hiſtoria de Alexandro Seuero impera. additis uerſiculis non inuenuſtis.

DActum prudenter eſt à Conſtantio Auguſto imperatore, qui principum Romanorum mores ac uitā deſcribi curauerit, eoq; ſtudio & affectu res eorum geſtas legebat, ut nihil ad imperium Romanum, eiusq; maieſtatem ſeruandam, magis pertinere iudicaret: ſi quidem non geſta modò principum in his debēt explicari, ſed etiam mores ac dicta copioſè referri, nequid à poſteris deſideretur, quod ipſam humanitatē, eiusq; cultū inſtruere, atq; communire poſſit. Illud autem de Alexādro nuper Seuero imperatore libenter legi, qui Leptitanus fuit, elegantijsq; poëticis & omni eruditione plurimùm delectatus, quod in urbe olim de forma eius ac decore dicterio nō illepido circūlatum eſt. Sed enim ex ueterum iocis, cum hi homines formoſi ac uenuſti per ſeptem dies credantur, qui leporem comedant, ac idem Seuerus Alexander quotidie lepuſculos eſitaret, iocus emerſit in uulgus, imperatorē ex cibo leporum, formam ſibi & gratiam aucupari. Sed apponemus ipſos uerſiculos, quo facilius rei feſtiuitas, atq; imperatoris reſponſum appareat: in quibus non carminis ꝓbitatē, ſed urbanitatē potius uir mediocriter doctus agnoſcet:

Pulchrum quod uides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago:
Venatus facit & lepus comeſus
Ex quo continuum capit leporem.

Quibus Alexander eleganti reſponſo talionem rettulit, & quidem Græcis uerſiculis, ſed Latini tantum reperiuntur (quod equidem ſciam) in hunc modum:

Pulchrum

Pulchrum quod putas eſſe ueſtrum regem,
Vulgari miſerande de fabella:
Si uerum putas eſſe non iraſcor,
Tantum tu comedas uelim lepuſculos:
Vt fias animi malis repulſis
Pulcherrime inuideas liuore mentis.

Valerius autem Martialis, ut homo Hiſpanus, eleganti hoc epigrammate Gelliæ deformitati illuſit, cũ formam de leporis cibo uendicaret:

Cum leporem mittis, ſemper mihi Gellia mandas
Septem formoſus Marce diebus eris.
Si uerum dicis: ſi uerum Gellia mandas
Ediſti nunquam Gellia tu leporem.

C. quoq; Plinius, quo loco de remedijs morborũ agit, ex diuerſis animantibus, de lepore (inquit) ex Catonis ſententia, eiusq; aſſumpto cibo, fieri ſomnioſos, tũ uulgò etiã perſuaſum, conciliari ex eo corpori gratiam, & ſi perquàm friuolo (ut inquit) ioco receptum id eſſe putauerit.

CAPVT III.

Quod optimi oratores in dicendo exciderint: tum de Franciſco Barbaro, & Sothino Senenſi iureconſulto, qui & apud pontificem maximum, & apud Venetum principem dicturus obticuerit.

NOtum eſt omnibus, quantum & Demoſthenes & Theophraſtus ingenio & eloquẽtia apud Græcos præſtiterint, ut in tota penè Græcia uix unus aut alter pari iure cum illis conferri poſſit: ſed hi tamen (ut ueteres memorant) dum uerba aliquando facturi eſſent, ſubito pauore affecti, à ſermone defecerunt. Nam Theophraſtus apud populum Athenienſem dicturus, præ pudore (ut creditur) obticuit.

Idem

Idem quoq; Demoſthenes apud Philippum regem, Amyntæ filium fecit. Quod & ætate noſtra aliquando accidit: nam uiri aliquot, & doctrina, & rebus gerẽdis prudẽtia non uulgari, inter orandũ exciderunt, ſicuti ex populo Senenſi, Bartholomęus nuper Sothinus, iuris, cum ciuilis, tum pontificij conſultiſſimus, qui Alexandro pontifici maximo, ſuæ ciuitatis nomine gratulaturus, in media propè oratione excidit, quam illi Angelus Politianus dictauerat. Quin idem pòſt Sothinus anno ſuperiore (cum Venetijs agerem) apud Auguſtinum Barbadicum Venetæ reipublicæ principem dicturus, conari cœpit orationem, ſed nihil tamen exprimere potuit. Franciſcus autem Barbarus, uir & conſilio, & eloquentia maximus, apud Philippum Mediolani ducem uerba facturus, cum in hunc modum cœpiſſet: Magnum eſt nomen tuum princeps maximè in uniuerſa terra. Ac paulò mox orationis oblitus, quam didicerat, cœpit à capite repetere. Et cũ deturbatus ægrè conſiſteret, interim dux Philippus, ut homo ſapiens & modeſtia ſingulari, quaſi eũ interpellaret, apprehenſa Barbari manu, familiarius aliud atq; aliud ab eo cœpit percõtari, quouſq; illum animo labantem firmauit, & ad capita orationis deduxit. Qua in re, non minus apparuit ducis maximi modeſtia, quã Veneti oratoris uerecundia. *Bartholomeus Sothinus.*

CAPVT IIII.

Quòd Romani homines initio imperij contempſerint meliores diſciplinas, & quando ipſa poëtices in urbem acceßit, tum fuiſſe graßatores dictos à Romanis poëtas, & Horatij uerſus expoſiti.

RElata ſunt in Romanis annalibus ſenatus conſulta, contra rhetores, tum edicta etiam contra philoſophos, quibus cautum, ne in urbe eiuſmodi homines agerent, quoniã putabant, ſurgente imperio, corũ animos molleſcere, & quaſi corrumpi, qui ad otiũ

magis,& animi quietem diuerterent,quàm qui armis & in bello aſſiduos ac ſtrenuos ſe demõſtrarẽt,Nam Romanus tum populus eum uirum præcipuè laudabat, cum bonũ co lonum,& ſtrenuũ militem uocabat. Sed eos quoq; homines improbatos primò à Romanis comperio, qui carmen ſcriberent,ac poëticæ facultati incumberent. Quod ob eam maximè cauſam putaui obſeruandũ,quòd in quorundã libris legitur:Romanos quidem ipſos maximum honorem ſemper habuiſſe profeſſioni poeticæ,procq; ſumma dignitate accepiſſe,ſi ſua geſta à poëtis deſcriberentur. Quam rem & M.Cicero alicubi aſſerit,ſed exempla quædam ac meliorum authoritas tradit contrà accidiſſe: ſiquidẽ anno urbis cõditæ circiter XX.& C.D,in urbẽ eſt inuectũ hoc ipſum poëtices ſtudiũ,quo uidelicet tempore,ſecundũ bellũ contra Penos à Romanis incœptum eſt, quod idem M.Cicero,atq; alij complures referunt. Ex quo Licinij Portij carmen hoc eſt,quod à Gellio quoq; affertur:

Punico bello ſecundo muſa pennato gradu
Intulit ſeſe,bellicoſam in Romuli gentem feram.

Quo loco Licinius poëticã ipſam inuaſiſſe urbẽ ſignificat, quòd eiuſmodi tum poëtæ audacius atq; improbius mores Romanos notarẽt, cuiuſmodi Neuius fuit atq; Lucilius, quod ab Horatio Flac.pelegãter aſſertũ eſt in his uerſibus:

Libertasq; recurrentets accepta per annos
Luſit amabiliter: donec iam ſæuus apertam
In rabiem uerti cœpit iocus: & per honeſtas
Ire domos impunè minax, doluêre cruento
Dente laceßiti. &c.

Sed & M.Cicero ſcribit,datum fuiſſe uitio M. Nobiliori à Catone,quòd is Q. Enniũ poëtam (cum conſul foret) in Etholiã prouinciã ſecum duxiſſet.Nam & idem Cato (qui Cenſorius dictus eſt) in libro quẽ de moribus fecit, multò explicatius

explicatius atq; apertius docet, nullum fuiſſe honorē poëtis cuius uerba ſubijciā: ſicuti à Gellio etiam in Atticis honos non erat, ſiquis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad cōuiuia applicabat, graſſator uocabatur. Ex quibus apertè conſtat, nō modò poëtas ipſos, primò in urbe pro ineptis reiectos, ſed etiā graſſatores uocatos, unde illud Horatianum: *Graſſator.*

Græcia capta ferum uictorem cepit, & acreis
Intulit agreſti Latio, ſic honoribus ille
Defluxit numerus Saturnius.

CAPVT V.

Qui maximè dij extra urbē Romanam templa habuerunt, & qua ratione, tum quòd hidem Romani ex Solonis legibus ſepulchra extra urbem haberi uoluerunt.

IN eorū libris, qui de dijs ac religionibus ſcripſerunt, compertum eſt Aegyptios quidem populos Saturni, ac Serapis templa extra urbē habuiſſe, cum aliorū tamē deorū permulta in urbibus & oppidis uiſerent, cuius rei cauſam hanc referūt, quòd his uidelicet tantum duobus dijs, ſanguine & uictimis litarēt, cæteris uerò oībus thure & precibus, qđ Horus Agyptus apud Macrobiū etiā teſtat̄. Neq; eñ ptinere ad urbis fortunas, & dignitatē uiſum eſt, eius numinis templū intra mœnia cōſpici, cui ſanguine litarēt. Rom. aūt popu. ratione ꝓpè cōſimili quoſdā deos cēſuit extra urbē ſtatuēdos, illiſq; tēpla extra pomeriū facta ſunt, ſicuti Aeſculapio, Vulcano & alijs: ne uidelicet peſtis uel incēdia urbē ingrederent̄, eamq; malè afficerēt. Ex quo deos quidē ipſos coluerunt, ſed extra urbē tñ excluſerūt, quod à Plu. in Romanis quæſtionibus explicat̄: nā Romulus primò Vulcani templū ꝓcul ab urbe cōſtituit. Ariſtoteles uerò in omni doctrina excellens, tēpla quædam deorū intra mœnia habenda exiſtimat: alia porrò extra mœnia, ſicuti & in media (inqt) urbe tēplū Gratiarū, *Ariſtoteles.* *Gratiarū templū.*

quo omnes intelligeret, quantũ ad officia humanitatis pertineat, gratiam benemerenti aliquã referre. Sed & ſepulchra item, quæ ſacra ferè habita ſunt, ſenatus, populusq; Romanus extra urbem diu habuit, quod ipſæ xij. tabulæ demonſtrant, quibus cautum eſt, ne intra pomerium cuiuſq; ſepulchra forent. In quo ſecuti uidentur Athenienſium leges & inſtituta, qui pari credo ratione, nullum prorſus ſepulchrũ in urbem admiſerunt, quod ipſum ex lege Solonis decretũ eſt, quæ in hũc modũ præcipit: Ne ſepulchra in urbe ſunto. In tabulis autẽ noſtris decemuiralibus ita ſcriptũ: In urbe ne ſepelito, néue urito. Quod & M. Cicero in ſuis legibus copioſè proſequitur, ut in epiſtolicis etiam ſcripſimus.

CAPVT VI.

De Traiano Aug. cum præfecto militum, eiusq; ſermone ad eum, ac de eiuſdem imperatoris geſtis ac uictorijs maximis.

DE Traiano imperatore, eiusq; rebus geſtis, permulta quidem memoria digna ab antiquis ſcribuntur. Nam & hic ipſe Plutarchũ philoſophũ præceptorem habuit, cuius diſciplinis ingenij cultum, moresq; honeſtiſſimos ædeptus, ut à ſenatu, populoq; Romano tanto imperio digniſſimus haberẽ. Sed illud interim de Traiano libitũ referre, quod in Sudæ collectaneis obſeruatum eſt. Cum is igitur coram Romanis magiſtratibus aliquando adeſſet, gladiũ quem geſtabat, è uagina eduxit, nudumq; τῷ ὑπάρχῳ exhibuit dicens: En accipe gladium, quod ſi hic quidem principe dignus eſt, utere pro me. Sed ipſa Græca neſcio quo pacto cultius, atq; grauius rem exprimunt: δέξαι τὸ ξίφος τοῦτο, καὶ εἰ μὲν καλῶς ὑπάρχω ὑπὲρ ἐμοῦ, εἰ δὲ μὴ κατὰ ἐμοῦ χρῆσαι. Tam acceptũ uerò eius imperium militibus fuit, ac tanto amore & affectu ſemper habitum, ut fineis Romani imperij longè, lateq; diffuderit, quod apud Græcos

multi

mulci,& Eutropius apud nos in Romanis annalibus ad Valentem Aug. refert. Nec enim Daciam modò prouinciam (Decibalo uicto) ſubegit, quæ decies centena millia paſſuũ in circuitu cõtinebat, ſed Armeniam quoq; recepit, & Aſſyriam, Meſopotamiam, & Arabiam in prouinciæ formã redegit, ut Indiam deinde inuaderet, cum Seleuciam, Cteſiphonem, ac Babylonem clariſſimas urbeis occupaſſet, regibus partim interemptis. Vnde Traiano imperante, uetus dignitas, ac illa quaſi maieſtas Romani faſtidij ad Auguſtũ decus aucta eſt. Nã & illud paſſim ab omnibus probatũ eſt, ipſum quidem Traianũ, militarem gloriam ciuilitate animi ac ſingulari modeſtia ſuperauiſſe. Ex quo illud celebre dictum: Ne ſis Traiano melior, Auguſto felicior. *Dacia.*

CAPVT VII.

Cautum ex XII. tabulis contra eos, qui alienas ſegetes excantare, & pellicere tentaſſent. Et Plinij uerba notata, & expoſita, inibiq; prodigiũ maximũ aſſcriptũ de agris Vectianis.

IN decemuiralibus tabulis notatum fuit apud ueteres, eos quidem capiti obnoxios iudicari, qui alienas ſegetes excantaſſent, aut ullis ueneficijs & carminibus pellicere auſi eſſent. In quo & ſi uideo reprehendi Saſernas atq; alios authores, quod in eorum libris incantationes quaſdam rettulerint, uidetur tamẽ haud quaquàm fuiſſe indignum obſeruatione, cum Romana illa ſeueritas de re hac in duodecim cauiſſet: ita enim in his relatum, ſicuti & C. Plinij teſtimonio probatum:

Ne pelliciunto alienas ſegetes excantando,
Ne incantanto, ne agrum defrudanto,
Ne frugem aratro quæſitam, nox furtim depaſcunto:
Puberes ſi ſecanto, Cereri eos ſuſpendunto.

Impubeis arbitratu prætoris uerberanto:
Ac noxam duplionem decernunto.

Quod ego uel ob id afferendũ putaui,ut eiuſdem Plinij uerba facilius intelligant.Qui cũ de incantamentis agat,& uerborũ uiribus, in xii.(inquit) tabulis etiã ſcitptũ, qui fruges excantaſſent,& qui malũ carmen incantaſſent. Ex his enim apertè cognoſcimus,excantare ſegetes,atq; pellicere, ſacra eſſe uocabula,& eiuſmodi incãtationibus ꝓpria,ſicuti porricere exta,ꝓcurare fulmina, legere oſſa, & alia eius generis ꝑmulta,de quibus ſuo loco diximus. Putamus eñ maximè ad honeſtã eruditionem ꝑtinere,non modò uireis ac poteſtatem,rerũ,uerborumq; cognoſſe,ſed etymon, & ꝓprietatem:quod & Fabius imprimis Quintilianus præcipit.Nã & poëtæ interdũ ueteres,ſic ea carminibus inſerunt,quæ ad ſacra,ritusq; ꝑtinent,ut neq; ſenſus alicubi,nec eruditio admodum deprehendat. Sed libet etiam (quoniã de incantamentis & ueneficijs egimus) portentũ adijcere,quod ã Plinio ipſo notatũ eſt de agris Vectianis, ætate impe. Neronis permutatis. Prodigiũ (inquit) ſup omnia quæ unquàm audita ſunt,uideri hoc debet, cum in agro Marrucino, Vectij Marcelli,qui eques Romanus fuit,& Neronis procurator, uniuerſum oliuetũ,uiam publicã tranſgreſſum ſit, atq; ipſa prædia ex loco in cõtrarias ſedes profecta ſunt. Quod in geſtis etiam Neronis idem ſe Plinius expoſuiſſe ꝓfitetur, etſi uerecundia ipſa minus ad fidem pro tam prodigioſi ac inauditi portenti inclinauerit.

Vectius Marcellus.

CAPVT VIII.

Quantum pro ueritate inuigilandum,ac de Indorũ philoſophis,eorũq; ſtudio pro ueritate ac pœna perpetui ſilentij cõtra mendaces.

Philoſophi officium.

Latonis ſententia eſt,nihil magis ſpectare ad officium philoſophi, quàm cæteris omiſſis, ueritati aſſiduè incumbere. Quoniã hæc tam altè poſita

ſita eſt, tanquam in tenebris obuoluta, atque recondita, ut nihil ſit æquè, quàm eam indagando perueſtigare, ac perueſtigatã cognoſſe. Ex quo (ut in alijs permultis) in hoc etiam cum ueteribus philoſophis, placita Chriſtianorum conſentiunt, aſſerentium nihil in tota uita aut eſſe amplius, aut melius, quàm diuinæ ueritatis patrocinium ſubire, & in eius maieſtate conquieſcere. Sed in Caldæorum doctrinis atque gymnoſophiſtarum diſciplinis, tam celebre atque excultum eius ſtudium fuit, ut eorum dogmata, & leges, eiuſmodi homines maximè obnoxios facerent, qui in aliquo eſſent mendacio deprehẽſi. Nam in republica ipſa Indorum, primus quidem ordo, ac dignitas eorum cenſebatur (ſicuti à Diodòro, & alijs traditur) qui Philoſophiæ ſacris occupati, optimis quidem diſciplinis incumberent. Hi autem ab omni prorſus ſeruitio ac imperio alieni erant, & quaſi dijs accepti, defunctorum iuſta curabant. Tum rerum cauſas perquirẽtes, ſingulis anni principijs conueniebãt, pluuiasque, & uentos, calores, & frigora, morboſque futuri anni prædicentes, uniuerſo populo in communem uſum conſulebant. Quod ſi quis falſa prænunciaſſet, haud id quidem impunè faciebat, ſed perpetui ſilentij pœna mulctabatur, ſic, ut per totam uitam nihil omnino proloqui liceret. Nam & Socrates apertè dicebat: Verũ quidem hominẽ, præter cætera omnia mendacij oſorem eſſe. Quin in Symandij regis monumento, iudicum quoque imagines ſculptæ fuerũt, quibus ab ipſo collo ueritatis effigies pendebat, oculiſque penè clauſis, ac libris circumpoſitis cõſpicuè. De qua re cõmode aliàs ſcripſimus, cũ de hieroglyphis Aegyptiorum ageremus.

CAPUT

CAPVT IX.

Quàm eruditè Pythagoras hominum ætatem in quatuor parteis diuiſit: atq; inibi etiam de Seruio Tullio, qui Rom. ciuium tris ætates notauerit, ex Tuberone & Gellio.

EGregiè, pfectò & eruditè factũ eſt à philoſopho Pythagora, in diſtinguẽda, annotãdaq; hominũ ætate. In quatuor em̃ parteis uitã ipſam diſtribuit hoc modo παῖς δὶς εἴκοσιν, νεάνισκος εἴκο. νέος εἴκο. γέροντες εἴκοσ. Has autem ætates idem Pythagoras quatuor anni tempori bus cõdigna ſimilitudine cõparabat: uidelicet uerno tempori pueros, æſtati adoleſcentes, autũno iuuenes, hyemi ſenes. Accipit aũt adoleſcẽteis puberes, ſicuti etiam iuuenes uiros: quã rẽ & Diogenes Laërtius, in libris de uitis philoſophorũ recenſet. Seruius autem Tullius, qui Romani populi rex prudentiſſimus eſt habitus, cum cenſum urbis conſtitueret, ac illas claſſeis pro ætate ordinaret, in tris quidẽ parteis ciueis ſuos diuiſit, ut eſſent ad annũ uſq; xvii. pueri: & inde ad annos xlvi. iuniores, ſupra illam uerò ætatẽ ſeniores. Quod ipſum à Tuberone in Romana hiſtoria notatum eſt, ſicuti & Gellius quoq; in Atticis rettulit. Var. aũt Teren. qui eſt habitus togatorum doctiſſimus, quinq; parteis hominũ uitæ attribuit. Itaq; omnem gradum, præter extremũ, in annos xv. diuidit. Primò enim ad annum xv. pueros appellat, quòd impubeis & puri ſunt. Secundò ad xxx. annum adoleſcenteis tradit, ab adoleſcendo nominatos. Tertiò iuuenes dictos ad annũ uſq; xlv, eò quòd rempub. quidem domi & foris egregiè poſſent iuuare. Quartò ſeniores, quòd ea maximè ætate ſeneſcere corpus hominũ incipiat, indeq; in exitũ uſq; uitæ ſenectus dicitur, q̃d eò maxime tẽpore hominũ corpus ſenio laboret. De quo Cenſorinus uir Ro. copioſè ad Q. Cerelliũ ſcribit, quo loco Hip. etiã medici Solõis & Staſeæ opinionẽ rettulit, in hominũ ætate ſignãda atq; definiẽda, quæ apud authores facile diligentiores comperient.

CAPVT X.

Quo cōmento atq; ſæuitia Iulianus imperator cōtra Chriſtianos deſæuiret, ac de eius libris contra Chriſtum, & qui maximè illis reſponderunt.

EVſebius Pamphilus, Auguſtinus, & alij copioſè memorant, qui potiſſimum Romani principes, et qua ſæuitia Chriſtianos, eorumq; religionē ſunt inſectati. Non em̄ ferebat ſenatus, populusq; Romanus aduſq; Conſtantinos imperatores, Chriſtianū nomē ſurgere, aut amplius euagari. Verum de Iuliano imper. qui Bizantius fuit, mirificum prorſus commentum, atq; adeò callidū traditur, quo Chriſtianos populos ab inſtituto, atq; incepto ſuæ religionis depelleret. Non enim ui, non cædibus, nō tormentis (ſicuti permulti fecerūt imperatores ſæuiſſimi quidem atq; ſanguinarij) ſed alia ratione aggreſſus eſt, ut eos ad ueterem, Romanamq; religionem conuerteret. Nam prolatis præmijs, ac dignitatibus, tum blandimentis etiā atq; perſuaſionibus ſic effecit, ut is multò plureis occupauerit, quàm qui crudeliter eos, atq; immaniter perſequendo attriuerit. Quod & Ruffinus etiā ad Chromatiū ſcribit. Ideòq; tamē Iulianus Auguſt. edicto cauit, ne Chriſtiani homines, puinciarū pcurationes haberēt, neq; ius dicerēt, quòd ipſa (ut dicebat) Chriſtianorum lex, uti gladio prohiberet. Quin & cingulū militiæ nemini prorſus conceſſit, qui Romanis dijs ac numinibus non immolaſſet. Nam ſacra illa Romana, tam reuerenter, ac religioſè coluit, ut uulgò etiam Victimarius diceretur Sed & pari edicto conſtituit, ne Chriſtiani ipſi gentiliū ſcholas, atq; gymnaſia adire poſſent, quo minus in bonis ſtudijs atq; diſciplinis proficerēt: quod ab ipſo etiā Marcellino Ammiano refertur, ut Auguſtinū, Hieronymū, ac Ruffinū mittamus. Ammianus em̄ etſi ſub ipſo imper. Iuliano meruit, atq; in acie uerſatus eſt, neſcio tamen quo pacto de Chriſtia-

nis ipſis modeſtius multò, quàm aut Zoſinus, aut Cor. Tacitus loquitur. Illud quoq; notãdum eſt de eodem Iuliano, fuiſſe illum Græcè, ac Latinè apprimè doctum, tum inter alia multa, libros ſeptem, uerbis petulantiſſimis cõtra Chriſtum effudiſſe, cum Parthicam expeditionem uergeret: quibus (ut eſt author Hieronymus) fortiſſimè reſponderunt: Methodius, Euſebius, atq; Apollinaris. Sed hæc alibi copioſè diſſerui.

CAPVT XI.

Quàm egregiè doctus in omni philoſophia Vergilius fuerit, & quomodo ea quæ de inferis & campis Elyſijs ſcribat, ex Gobria mago tranſtulerit, apud academicum Xenocratem.

PRo comperto apud omneis eſt P. Vergilium omnium propè philoſophorũ decreta atq; opiniones egregiè calluiſſe, quod ipſum, cũ locis multis probauit, tũ in libro maximè Aeneidos ſexto, in quo ſatis, abundeq; uidetur aſſeruiſſe, quantum uidelicet humanas omnis atq; diuinas diſciplinas didicerit. Sed quæ de Cocyto, & Acheronte fluuijs rettulerit, tum de Minoẽ ac Rhadamãto, qui (ut appellat) quæſitores apud inferos ſint, ac de campis Elyſijs, ubi beatorum animæ ſempiterno æuo fruantur, ea quidem omnia, ex ipſis philoſophiæ penetralibus eruta ſunt, atq; è media academia aſſumpta. Et ſi grammatici noſtri ex Græcorum fabulis, atq; poëticis commentis accepta dicũt, nil prætereà aliud quærẽtes, niſi quod obuium, decantatum, atq; expoſitum ſit. Nos autem apud Xenocratem academicum, qui Platonem audiuit, relata hæc à Socrate legimus. Is enim ex Gobria mago de animæ pœnis atq; beatitudine, hoc idem ſe accepiſſe tradit. Sed apponamus Vergilij carmen, ut facilius intelligatur, quàm Gobriæ relationi accedat:

Hic locus eſt, parteis ubi ſe uia findit in ambas
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit.
Hac iter Elyſium nobis: at leua malorum
Exercet pœnas: & ad impia tartara mittit.

Et paulò mox.

Reſpicit Aeneas ſubitò, & ſub rupe ſiniſtra
Mœnia lata uidet, triplici circundata muro.
Quæ rapidis flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton: torquetq́; ſonantia ſaxa.
Porta aduerſa, ingens: ſolidoq́; adamante columnæ:
Vis ut nulla uirûm, non ipſi excindere ferro
Cælicolæ ualeant, ſtat ferrea turris ad auras:
Teſiphoneq́; ſedens, palla ſuccincta cruenta
Veſtibulum † exomnis ſeruat, noctesq́; dies q́;. † *inſomnis*
Hinc exauditi gemitus, & ſæua ſonare
Verbera: tum ſtridor ferri, tractæq́; cathenæ.

Sed ea nunc apponamus, quæ ſapiēs Gobrias apud Xenocratem referat ex æneis tabulis, cum Xerſis ætate inſulā Delon cuſtodiret. Didici (inquit Gobrias) ex tabulis æneis, mortaliū animas (ubi corpus exuantq́) in occultiorē locum ſub terrā demigrare, in quo Iunonis regia eſt, quā poëta noſter Vergilius infernam uocat. Siquidem (inquit Gobrias) cum terræ ipſius elementū mediā orbis partem teneat, cælū uerò in ſpecie orbis ſit, eius quidem mediā partem dij cælites nacti ſunt: alteram uerò inferiores, partim fratres cælicolarū, partim nepotes. Veſtibula autē ipſa eius regionis quæ Plutonis eſt, clauſtris, æneisq́ cathenis undiq; uinciunt. Eos uerò qui prætermeant, fluuius Acheron primò, & mox Cocytus excipit. Deinde autem ad Minoën & Rhadamantum ducuntur, in eam uidelicet regionem, quæ ueritatis titulum præfert. Ibi enim aſſident iudices, cuiusq́ uitam examinantes, ubi neutiquàm locus eſt mendacio relictus.

Sed enim, quibuſcũq; boni dæmones, in uita ipſa aſpirauerint, ad Elyſios campos, id eſt, pioru͂ locu͂ ſe oẽs recipiu͂t, ubi uer quidẽ aſſiduu͂, uarijs, omnigeniſq; fructibus uiget. Ibidemq; læti fontes, prænitẽtibus undis, blanditer obmurmurant, & prata uirentibus herbis, uarijsq; depicta coloribus. Neq; deſunt philoſophantiu͂ cœtus, poëtaru͂q; & muſarum chori ſuauiſſimè cõcinentes, iocunda & grata cõuiuia, tum potantiu͂ uenuſti ac hilares cœtus: lætitia uerò inuiolabilis, & uitæ ſuauitas maxima. Nec em̃ frigoris illic aut æſtus nimiu͂, ſed cæli pfectio, ſalubritate aëris, & calore ſolis, omnia æquè amœna, atq; temperata. Et hæc eſt beatoru͂ ſedes, ubi expiatis animis, diuina ſemp myſteria celebrantur. Ac deinceps eoru͂ præterea (inquit) animos luſtrari cõuenit, q circa Herculẽ & Dionyſiu͂ accedu͂t: tum ex Cereris cultu atq; ſtudio, ſpem qdẽ felicis itineris cõcipere. Qui uerò in flagitijs atq; ſceleribus fœde uixerint, ſtatim à Furijs per ipſum Tartaru͂ raptant̃ in Erebu͂ & Chaos, ubi impioru͂ regio eſt, Danaidu͂q; puellaru͂ irritus labor, ad explenda aquis cribra nequicq; nitentiu͂. Ibidemq; Tantali ſitis, Titij uiſcera, Siſyphi ſaxu͂ ppetim quidẽ reuolubile. Iam & feræ truces, ſæuientesq;, ſe ultrò corporibus circu͂plicant. Accenſæ ibidem faces, quæ igne perpeti carnes oburunt, hominesq; impij & ſceleſti, omnigenis pœnis ac ſupplicijs aſſiduè diſcruciati uexantur. Atq; hæc hactenus Platonicus Xenocrates, ex Gobria rettulit, ut manifeſtò ex his cõſtet, ueram eſſe Macrobij ſententiã, qui P. quidem Vergiliu͂ dixerit omnis prorſus philoſophiæ fuiſſe conſultiſſimum.

CAPVT. XII.

Qui ſint apud M. Ciceronem Pentelici Hermæ, ac de Pentelicis columnis atq; lapidicinis diligẽter multa expoſita.

VIdeo & illud eſſe in quæſtione apud doctiores, quo modo accipienda atq; intelligenda ſunt uerba hæc

ba hæc M. Tullij in epiſtola ad Pōponiū & Atticū, Hermæ illi tui Pentelici cū capitibus æneis me maximè delectāt. In quibus exponēdis, non pauci admodū imperitiſſimè incurrunt: ego autē Pentelicos Hermas ita exiſtimo accipiendos hoc loco, uti Mercuriolos lapideos intelligamus ex marmore uidelicet Pētelico: quoniā eiuſmodi ſigilla Cicero in gymnaſio (ut inquit) ac xiſtis collocare cupiebat, ut qui talibus monumentis atq; antiquitatū lauticijs, miro ſtudio teneretur. Lapis uerò Pentelicus ex lapidicinis Pentelicorū eruebat̄, de quibus nō Plinius modò & Strabo, ſed etiā Theophraſtus in libro de lapidibus diſſerit, quo loco celebreis tradit lapidicinas illas, quæ Thebaicæ, Chiæ, Pariæ, ac Pentelicæ nominent̄. Sed & Pauſanias Pētelicas lapidicinas in Attide cōſtituit, quæ forent magno precio. Plut. aūt Cheroneus, cū Capitolij magnitudinē, atq; ingenteis illas extructiones deſcribit: Columnas (inquit) illuc ex urbe Athenarum deuectas, quæ Pētelico lapide cōſtarent. Quas ipſe columnas (ut inquit) Athenis cōſpexerat; ſed imperante Cæſ. Domitiano, ad uſum atq; ornamentū Iouis Capitolini in urbem delatæ ſunt. Is em̄ Domitianus incredibili ſumptu, atq; magnificētia Capitoliū inſtaurauit, cum memorabili illo incendio magna ex parte fuiſſet concrematū. De Mercurijs uerò qui Hermæ à Græcis dicant̄, q̄ frequentiſſimè apud Græcos authores mentionē cōperias, ut Plutarchum, Thucydydē, & Pauſaniā, q ab Athenięſibus referret primū fuiſſe inſtitutū Mercurios ipſos inter ornamēta exculpere.

CAPUT XIII.

Quàm docile animal, ac placidum ſit elephas, & quòd per funeis incedere diſcat, tum de funambulis ac funerepis hominibus.

DE elephantis, eorūq; uiribus, ingenio, & docilitate, cū multa à ueteribus prodita ſint, nōnulla (ut fit) quibuſdā audientibus rettulimus, quod ea ui

delicet animantia, inter cætera bruta ferè obſequio & doci-
litate præſtent ſic, ut ad magiſtri imperiũ ſcribere, & per fu-
neis ambulare traditum ſit. Quam rem uelut incredibilẽ, &
penitus fabuloſam, non ſine riſu quidam exceperunt, ma-
ioribusq́ ſibilis contempſerunt, quod ego apud ignaros ho
mines, ſordidisq́ & uiliſſimis officijs occupatos, pro tem-
pore diſſimulandum exiſtimaui. Sed in tanta rerũ, animan-
tiumq́ uarietate, nihil tam ſummũ, aut tam mirum uideri de
bet, quin & eſſe id poſſit, & credi iure optimo oporteat (ut
eſt author Ariſtoteles) pro mirifica, & ſingulari naturæ ma
ieſtate, quod in his præſertim accidere par eſt, quæ optimis
quidem authoribus, ac honeſtiſſimis teſtimonijs nituntur:
Nam quòd elephantes ipſi per funeis incedere, atq́ ambu-
lare diſcant, non alijs quidem uerbis probari à nobis debet,
quàm Annei Senecæ, qui ad hunc modum in epiſtolis, Leo
nibus (inquit) manus magiſter inſerit, oſculatur tigrim ſuus
cuſtos: Elephãtem mimus Aethiops iubet ſubſidere in ge-
nua, & ambulare per funem. C. uerò Plinius, & aduerſis fu-
nibus eos ſubire teſtatᷓ, & regredi magis pronis. Sed & Mu-
tianus author ſummus, affirmauit, elephantem fuiſſe, qui
ductus Græcarum litterarũ didicerit, ſolitumq́ perſcribere
αὐτὸς ἐγὼ τάδ᾽ ἔγραψα λάφυρα τὰ κελτ᾽ ἀνέθηκα. Græcis uerbis: Ipſe Ego hæc ſcripſi, & ſpolia Celtica dica-
ui. M. item Cicero nullum eſſe animal refert, quod & ma-
gnitudine ſua, & docilitate præſtet elephantis. Eos uerò ho
mines, qui per funeis ambulare ſoliti ſunt, Græci σχοινοβάτας
σχοινοβάται. uocarunt, à noſtris autem funabuli, ſeu funerepi dicuntur,
qua uoce apud Latinos Terentius poëta, & Meſſala
uſi traduntur, ut Apuleium mittamus, qui fu-
nerepos homines appellat: in oratione ad
Seuerianum proconſulem
Carthaginis.

CAPVT

CAPVT XIIII.

De Mythra deo, qui pro ſole apud Perſas colitur, deq; illius ſimulacro, ac de Mythriacis ſacris copioſè explicatum.

LEgebat̃ nuper in hortis Oricellarijs hiſtoria de Cõmodo Antonino impe. qui inter alia ſcelera, atq; flagitia (ut tradit̃) etiã Mythriaca ſacra homicidio polluit. Quo loco dubitatũ eſt à quibuſdã nõ indoctis uiris, q aderãt, quæ nam ſacra hæc forẽt, aut cui potiſſimũ numini dicata. Quod à nobis exponendũ eſt paulò copioſius pro noſtro ſtudio, atq; diligẽtia in ueterũ diſciplinis, & primò quidẽ referemus de ipſo Apolline, qui Mythra dictus eſt apud Perſas, ac paulopòſt de ſacris Mythriacis. Perſæ igit̃ (ut à multis refert̃) ſummo cultu atq; honore ſolẽ habuerũt, quẽ Mythram uocarũt, quò & Strabo in Perſis, & Herodotus, alijq; cõplures teſtantur. Simulacrũ uerò eius in hunc propè modũ finxerunt, ut effigies foret leonis uultũ præferẽs, tiarũq; priſco habitu geſtãs, quæ utriſq; manibus cornua bubula cõprimeret. Cuius rei ſenſus atq; interpretatio ab his ferè explicat̃, qui mythologica ꝓſequuntur. Neq; illud ab re uideri poteſt, quod à Papinio poëta in Thebaide ſcribit̃, cũ ſolis poteſtatem atq; nomina refert:

Adſis ô memor hoſpitij, Iunoniaq; arua
Dexter ames, ſeu te roſeum titana uocari
Gentis Achamæniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim
Frugiferum, ſeu Perſci ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mythram.

Sed & Capella Mineus in Philologiæ nuptijs, Mythræ nomen repetit his uerſibus:

Te phœbum perhibent prodentem occulta futuri:
Vel quia diſſoluis nocturna admiſſa Iſacum:
Te Serapim, Nilus, Memphis ueneratur Oſyrim,
Diſſona ſacra Mythram.

Mythriaca

augere, uacuasq́ ornamentis implere: quod ipſum ad eum maximè ſpectat, qui probo, ciuiliq́ animo, agere conſueuit. Siqua uerò ſit urbs, quæ ſummo ornatu, eximiaq́ pulchritudine polleat, ſicuti Roma nunc eſt, nónne id ingenij perditiſſimi, atq; obnoxij dixeris, ſicubi diruere illã conetur. Sed enĩ Roma ipſa, omnium quidẽ urbium, quæ ſub cælo ſunt, maxima, & memoratu digniſſima, non uiri unius opere, nõ breui momẽto ad id magnitudinis atq; pulchritudinis excreuit, ſed regum plurimorũ, uirorumq́ clariſſimorum uirtutibus, longo tempore, ſumma diuitiarum copia, artificioq́ incredibili. Nec enim breui huiuſmodi urbem, quã nunc uides, Romani extruxerunt, monumentũ ſanè cunctis poſteris eximię uirtutis. Cæterũ cum ita ſe res habeat, illud ſcire debes, quod alterum neceſſariò ſequitur, aut enim hoc in bello uictus ſuccumbes, aut annuente fortuna ſuperabis. Quod ſi ad te uictoria ipſa declinarit, Romamq́ deleueris, haud rem alienã ſed tuam, propriamq́ ò Totyla perditum ibis. Sin autem eã ſeruaris, regiam certè omnium pulcherrimam atq; ditiſſimã poſſederis. Si uerò à nobis deuictus fueris, ſeruata urbe atq; incolumi, gratias immortaleis à uictore debes expectare. Sed ea diruta, nulla prorſus humanitate contra te ageret. Vtcũq; aũt hac in re te geſſeris, ſtatim fama ſubſequetur: quam ſcias quidem eiuſmodi futurã, qualem tu ipſe, uel opera tua probabunt. Vale. Hactenus Belliſarius. Qua in re illud notandum, quod ipſe quidem Totylas (ut inquit Procopius) cum epiſtolam hanc ſæpius perlegiſſet, ac æquo animo eiuſmodi admonitionem accepiſſet, ab incepto opere diruendæ urbis deſtitit, neq; mox quicquam cõtra urbem molitus eſt, quod abundè in hiſtoria ipſa Procopij ſcriptum eſt.

CAPVT. V.

Quàm ſit cautum loquendum apud principes, tum de rege Perſarum Cambyſe, & Traxaſpe nobile exemplum, & quomodo præſtant apud Perſas qui amplius bibunt.

NVper habitus ſermo eſt inter doctiores, quantũ in uitæ officijs proloqui, & quo tempore deceat: quoniã nihil ferè magis in uita noxium, atq; perniciosum eſt, quàm intẽpeſtiuè aliquid proferre, præſertim apud principes, à quibus id totũ facilè poteſt effici, quod libitum illis ſit. Ad hoc autem exempla aliquot in mediũ pro re ſunt allata ex Græcis atq; Romanis hiſtorijs, ut de Calliſthene philoſopho, & poëta Philoxeno, alijsq; compluribus. Sed exemplũ de rege Perſarum Cambyſe, ac Traxaſpe, uiſum profectò eſt dignũ ingenio barbaro atq; truculẽto, cuiuſmodi Cambyſes fuerit: regum quidem Perſarum ſæuiſſimus. Nam cum is Traxaſpes, qui regi cariſſimus erat, nimiũ uini auidum regem, & uſq; ad ebrietatem perfundi uideret, eum liberius ſummonuit, ut parcius mero indulgeret, parum dignũ referens in rege accuſari ebrietatẽ, quem uidelicet oculi hominũ atq; aures ſequerent. Quibus uerbis iratus Cambyſes: Et oſtendam (inquit) tibi ex ipſo uino regem haud ſibi excidere, neq; mente labi, aut oculis caligare, ſed & manu, & oculis, probè officiũ ſuum præſtare. Et ſimul cœpit liberius bibere, atq; capacioribus poculis ſeipſum uino proluere. Ac iam factus uinolentus, huc inquit ô Traxaſpes filius tuus pcedat. Tum iubet adoleſcentem ſublata ſupra caput ſiniſtra manu, procul conſiſtere, & interim capit arcum rex, intendensq; illum: Probabo nunc (inquit) falſum eſſe quod obiurgas. Et in cor ipſum adoleſcẽtis, ac em ſimul ac ſpiculũ direxit. Cumq; illud pro libidine fixiſſet, propè acceſſit, ac diſciſſo adoleſcẽtis pectore, ſpiculum inquit (ut dixeram) in cor ipſum aſpicis? Nunquid ô pater

pater mihi excido, aut in ictu aberro? Pater autem Traxaſpes factus iam ſuo malo in loquendo prudētior, fortunæq; regiæ & ſæuitiæ obſequēs: Nec ipſe (inquit) Apollo certius atq; aptius arcum intendiſſet. Quam rem non Herodotus modò Halicarnaſſeus in Perſica hiſtoria, ſed Anneus etiam Seneca rettulit. Conſuetudo autem apud Perſarum populos fuit, ut hi nobiliores crederentur, atq; in agendis officijs aptiores, qui cum ſe uino admodum proluerent, mēte ipſa conſtiterint, neq; ratione decederent. Ex quo Cyrus regis Darij filius,, cum ad Lacones epiſtolam de ſe ſcriberet, non modò ſeipſum in magica diſciplina præſtare fratri Artaxerxi aſſeruit, ſed in potando mero adeò excelluiſſe, ut cum cæteris foret bibacior, mente tamen conſiſteret, quod à Plutarcho etiam Cheroneo traditur.

CAPVT III.

Non eſſe populo inuulganda, quæ arcana in ſacris ſunt, ac Vergilij carmen expoſitum ex Eleuſinis ſacris, Procul ô procul eſte prophani: & item de Numenij ſomno digna obſeruatione hiſtoria.

EGregiè Plato & prudenter alicubi docet, nō eſſe illa populo aperienda & inuulganda, quæ ſacra & arcana in myſterijs ſunt: quoniam indignum prorſus ac fœdum ſit, ab eiuſmodi hominibus, ea illotis manibus tractari, quæ initiatis duntaxat animis, ac expiatis patere debent. Ex quo meritò laudati ſunt Pythagorici philoſophi, qui propria dogmata, & præcepta inter ſuos tantum ſeruantes, nemini alteri indicabant: quod Hebræi etiam in ſacris legibus diligentiſſimè obſeruarunt. P. autē Vergilius, qui mores uarios, ritusq; ac religiones optimè tenuit, non temerè illud ad Sibyllæ nomen rettulit:

Aduentante dea, procul ô procul eſte prophani,
Conclamat uates, totoq; abſiſtite luco.

Id enim ex Eleuſinæ Cereris initijs aſſumptum à poëta eſt, in quibus (ut ueterum probat authoritas) eos duntaxat admittebāt, qui forent initiati, quod ab ipſo præcone agebatur, procul eſſe prophanū uulgus acclamāte. Vnde illud Flacci perelegans: *Odi prophanum uulgus & arceo.* Quando & Valerius Soranus, non aliam ob cauſam dicitur obijſſe, quàm quòd patrios deos, eorumq; nomen contra ius Romanæ religionis inuulgauerit. Qua in re libet etiam Numenij Pythagorici ſomnium apponere, quo facilius intelligatur, nihil fœdius, aut ſceleſtius habendum: quàm myſteria & occulta religionis in uulgus prodere. Sed enim Numenius ipſe (quanquam in philoſophia uir excellens) in eo tamen offenſam numinum ſubiuit, quod Eleuſina uidelicet ſacra interpretari, ac uulgò promere auſus. Quo factum eſt, ut in ſomnio deas quidem Eleuſinas uiderit, forma, & habitu meretricio, ante apertum lupanar proſtantes. Cumq; huius rei cauſam diligenter Numenius quæreret, cum bile admodum, & irata fronte, illi reſponderunt, ab adyto ſe ueteris pudicitiæ, ab eo abſtractas ſeq; omnibus paſſim proſtitutas. Itaq; facilè mox Numenius culpam agnouit, cū nihil eſſe petulantius diceret, quàm de rebus diuinis, ac religionis arcanis, citra uerecundiam agere. Habes hoc & in primo Macrobij commentario ad Euſtathium filium, in quo de republica M. Tullij diſputat.

Valerij Sorani interitus.

CAPVT.

CAPVT IIII.

De Gallonij ſumptu, & dapibus uerba in oratione Ciceronis expoſita, atq; ibidem Luciliani uerſus appoſiti, cum Horatiana imita= tione de Gallonij acipenſere.

LEgebatur nuper oratio M. Tullij pro P. Quintio, & cum quidam bene literati, atq; eruditi adeſſent, orta eſt addubitatio de hiſtoria Gallonij, & eius luxu in his uerſibus, non ut dominentur, illis, qui relicta uirorum bonorũ diſciplina, & quæſtum, & ſumptũ Gallonij ſequi maluerũt. Quis igitur hic Gallonius apud M. Ciceronẽ ſit, facilius dubitatᷓ ab eruditis, ꝙ explicatur. Nos autẽ in Lucilianis uerſibus pridẽ legimus, Publium hunc Galloniũ, fuiſſe poſtremæ gulæ hominẽ, & in cupedijs, & lautioribus cibis aſſiduè uerſatũ. Vnde ob eam rem à Lælio uiro ſapienti, gurges eſt appellatus. Nã & Flaccus Horatius eundem Galloniũ fuiſſe præconẽ aliquando teſtatur, atq; eius menſam acipenſere magno infamem, quod ex Lucilij poëtæ ſatyra mutuatus eſt. Verſus autẽ Lucilianos (quoniam lepidiſſimi ſunt) libitum eſt adijcere, ſicuti & M. Cicero in li. de Fin. refert ex Satyra ad Lapathũ;

Lælius præclare & recte Sophos, illeq; uerè
O publi ô gurges Galloni, es homo miſer inquit:
Cœnaſti in uita nunquàm bene, cum omnia in iſto
Conſumis ſquilla atq; acipenſere cum decumano.

Sed & Florens Tertullianus, Curij aleam, Apicij gulam, & Gallonij ſumptũ, & Anthonij ebrietatem inceſſit: & ex his omnibus facilè quiſq; intelligat, quid in oratione M. Tullij Gollonij ſumptus ſignificet. Quin Romæ etiã inſpeximus hanc de C. Gallonio & uxore inſcriptionem in marmoreo

D. M. GALLONIAE. C. F. QVAE EPICHARSIS. C. GALLONIVS. C. F. VLP. MARITIMOS ET PATER FECIT.

CAPVT V.

Quibus uerbis Caracalla imper. cum Iulia nouerca pudore uendito ſit congreſſus, quantumq; flagitij & malorum ex nimia imperandi licentia oriatur.

NOtum carmẽ eſt & apud ueteres olim in urbe celebratum:

Cui plus licet, quàm par eſt, plus uult, quàm licet.

Hoc enim in uita mortaliũ ferè accidit, ut cum imperio ipſo, licentia maior in dies fiat. Vnde oĩa propè ſcelera ac flagitia, reiectis legibus oriunt̃, quod ipſum infinita quidẽ exempla teſtant̃, quæ in Græcis ac Romanis annalibus paſſim legunt̃. Sed illud uiſum mihi eſt dignũ relatu, de Antonino Augu. Caracalla, eiusq; coniugio. Nam cũ Iuliam nouercã haberet, eaq; egregia forma, & eleganti præſtaret, fortè accidit, ut corporis partẽ, præſente Antonino imper. paulò incautius nudaret. Qua cõſpecta, cũ in eam procliuius exarſiſſet Antoninus: Velim (inquit) ſi liceret. Iulia uerò (ut ingenia mulierũ ſunt) arrepta ſtatim occaſiõe, ſi libet, licet reſpõdit: leges dat imp̃ator, nõ accipit. Quibus auditis Antoninus idem Caracalla ad obeundũ ſcelus audacior factus eſt, ac nuptias cũ nouerca Iulia celebrauit, & ad parricidiũ (ut inquit Spartianus) adiunxit inceſtũ: ſiquidem Iuliã duxit uxorẽ, cuius filiũ paulò ante occiderat. Ex quo perlepido ſcomate Helij p̃tinacis illuſus eſt, cũ eundẽ non Parthicũ modò Alamanicũ & Arabicũ imperatorẽ, ſed Geticũ etiam appellauerit. Neq; autẽ adhuc Mario maximo aſſentimus, qui eam meliorem eſſe rempub. atq; tutiorem dicit, in qua princeps ipſe malus eſt, q̃ in qua ſint amici principis mali. Nã facilius eſt (ut apparet) à principe bono malos corrigi, q̃ malũ principẽ, à bonis ſuperari, & ſi huic ſententiæ Iulius quoq; Capit. parũ accedat ſumpto de impio Domitiani Augu. exẽplo, qd' alibi etiã latius explicauimus.

CAPVT.

CAPVT VI.

De ſtudio philoſophi Euclidis in bonis diſciplinis, ac de Hieronymo etiam quàm uehementer & aſsiduè inuigilaret, tum quibus præceptoribus atq; urbibus doctrinam acceperit.

PRobè factum eſt à ueteribus, qui Euclidis philoſophi ſtudium atq; eruditionem ſummis laudibus ſunt proſecuti. Præter enim aſsiduam eius diligentiam atq; labores maximos in percipiendis diſciplinis, in audiendo etiam Socrate promptum, & alacrem animum probauit, ſicuti philoſophus Taurus rettulit, *Taurus.* uir inter Academicos Hadriani ætate excellens. Nã cũ ipſe Euclides propter Athenienſium decretum cõtra Megarenſeis, nõ poſſet Athenas ſe conferre ad audiendũ Socratem, (quoniam capitale foret, ſi quisquàm Megarenſiũ ab Athenienſibus eſſet comprehenſus) non tamẽ putauit magis periculi rationem habẽdam, quàm ſtudiorũ, ſed muliebri ueſte indutus, & Pallio (inquit Gellius) uerſicolore amictus, capiteq; obtectus, ſub ipſam noctem à Megaris Athenas itabat, ut per noctem ſaltem audire Socratem, atq; aliquid diſcere liceret. Tum etiam ſub lucem eadem ueſte intectus, in patriam Megaram remeabat. Hieronymus autem noſter *Hieronymus.* in omnibus propè diſciplinis uir ſummus, non minore ſtudio ac diligentia honeſtis artibus incubuit. Nam & Romæ priusq; & in Bizãtio mox, atq; Anthiochia, demũq; apud Solynos plureis ac uarios præceptores audiuit. Sed cum Iudæi ipſi ex ueteri lege neminẽ poſſint Chriſtianũ edocere, impetratum eſt tãdem ab Hieronymo, ut Hebræam eruditionẽ, horis ſaltem nocturnis liceret adire, eoq; nomine Barbanũ quendam audiuit, qui ſi quando à cæteris Iudæis deprehendi metueret, Nicodemum alium, & ipſum Iudæum in præceptoris officio ſubſtituebat. Tantúmque adeò & uigilando,

do, aſſiduecꝫ componendo conſecutus eſt Hieronymus, ut plura quidem idiomata egregiè didicerit. Quod ipſe etiã Auguſtinus in libro ad Cyrillum de Hieronymo teſtatur, qui eũ ſcribit non Hebraicam modò, Græcamcꝫ, & Caldaicam, ſed Latinam, Perſicam, Arabam, ac Medam percepiſſe. Etſi plericꝫ affirmant, hunc ipſum librum minimè Auguſtino aſcribendũ, illud certè notiſſimũ, quod idẽ quidẽ Hieronymus, in humanioribus literis Aelium Donatum, atcꝫ Victorinũ audiuit. In ſacris uerò Gregorium Nazianzenum, Apollinarem Antiochenum, & Didymum Alexandrinum, ſicuti ex Iudæis Barbanũ, quem diximus, hunc enim Hieronymus, nocturnum præceptorem appellat. Sed hoc totũ copioſè Hieronymus refert in epiſtola ad Pammachium & Oceanũ, modeſtè tamen (ut hominẽ decuit) poſteritatis cauſam atcꝫ religionis agentem.

CAPVT VII.

De XVI. cœli regionibus, & quæ numina cuicꝫ ſint aſcripta: ex Mineo Capella relatum, & alia obiter addita.

DE ueterum dijs atcꝫ numinibus complura quidẽ & Latinè, & Græcè ſcripta leguntur. Nec enim defuerunt, qui libros integros huic operi dicauerint. Nos autem ea nunc obſeruanda putauimus, quæ cæli regiones deſignarũt: quibuscꝫ locis propria numina ſunt attributa, ſicuti priſca illa theologia exiſtimauit. Vniuerſum igitur cælum in regiones XVI. ſignarunt, ut quaternario numero quamlibet partem abſoluerent. Primo enim ipſe Iupiter optimus, maximus collocatur, quẽ à iuuando, patrem, genitoremcꝫ omnium dixerunt, cui collegas XI. faciunt, ut à Q. Ennio ſcriptũ eſt. Qui uerò ſubſequuntur dij, à Capella Mineo, Iouis milites appellantur. Nam poſt ipſum Iouẽ dij Cõſentes, Penates, qui & Patrij & Genethlij, Salus, ac Lares. Ia-

nus

nus etiam & Nocturnus, & Opertanei. Tertio loco Prædiatus, Quirinus, Mars, Lares militares, Iuno, Fons et Lymphę dijq́; Nouenſiles. Sequũtur deinde Iupiter Secũdanus, Opulentia & Minerua, quibus Diſcordiam, Seditionem, ac Plutonem addunt. Mox autem Lympha ſylueſtris, Lar cæleſtis, Mulciber & militaris fauor. Sexto loco Ceres, Tellus Terræq́; pater, Vulcanus, Genius, & Iouis filij Pales, Fauor: & ſolis filia Celerita. Septimo Fraus ipſa quæ Mercurio ſolet in rebus omnibus obſecũdare. In Octauo Ver & Venuleia ut apud Verriũ notatũ. Nono uerò Iuno hoſpita & Genius. In decimo Neptunus, Neurita, & Lis. In undecima Conſus: unde Conſualia Romæ celebrata, & Conſi àra nobilis. In duodecima Fortuna, Valetudo, Pauor & Manes. In XIII. Sancus deus: unde quidã ſancire & ſagmina deduxerũt. In XIIII. Fata ſeu Parcæ, hoc eſt Decima, Nona, & Morta, ut Cecellius tradit: ſiue ut alij uolunt Clotho Lacheſis & Atropos: quæ Iouis maximi ſententias excipiunt. In XV aũt ſede Saturnus, Iuno cæleſtis, Veiouis, ac dij publici. Et in ultima Nocturnus & Ianitores terreſtres. Quod ipſum cũ ab alijs, tum à Mineo Capella ſeruatũ eſt, in Mercurij atq; Philologiæ nuptijs. Neq; de multiplici, uarioq́; Iouis nomine differendũ eſt, cũ uel trecẽtos quidẽ Ioues M. Varro enarrauerit: ut author eſt Florens Septimius. M. autem Cicero in XVI. parteis cœlũ ipſum ſcribit diuiſum: quod ex Etruſcis commentarijs ſumptum eſt, quorum uidelicet diſciplinã diligenti cura examinabat, qua maximè cæli parte fulmina ipſa & tonitura mitterentur: quod Anneus item Seneca & C. Plinius teſtantur, ſicuti copioſè in epiſtolicis expoſui.

CAPVT VIII.

De literarum notis in ueterum cauſis, tum de ſilentio in iudicijs, & Plautinus iocus expoſitus.

MOris fuit apud ueteres, ut in quęſtionibus & cauſis peragendis, iudices ipſi, quibuſdā litteris rem denotarent: ſi qui enim abſoluebantur, aut condemnabantur, notas ad id proprias apponebant, ueluti etiam in cauſæ ampliatione, quod à Pediano Aſconio diligenter obſeruatum eſt. Nam ſiquis fortè à iucidibus
K. damnatus erat, id ipſum .K. littera notabatur. Sin erat abſo-
KA. lutus, A. apponebatur. Signum uerò ampliationis, cum res
KANL. ipſa in tempus diffinderetur, N. L. adijciebant, quod ex eo nō liquere ſignabatur, eoq; modo cauſæ ampliationem naſci aſſerebant. Quid autem interſit inter comperendinationem & ampliationem, egregiè idem Pedianus explicat, qui legem quoq; Glauciam ob id latam ſcribit de ipſa cōperendinatione, ut ſententia diceretur: ſi eſſet abſoluendus reus, uel amplius pronunciaretur, ſi uideretur damnandus: cum cauſæ obſcuritas foret. Quod & M. Cicero locis pluribus inſinuat. De ſilentio autem in cauſis, pauci ex ueteribus meminerunt: etſi apud comicos facilius id comperias: unde iocus ille maximè Plautinus à Blepharone prolatus de gemino Amphitryone:

Dextro eodem in loco, ſigno eodem, apparet probè
Vt primùm tonuit, cicatrix ruffula, ſubluridа:
Iacent rationes, ſilet iudicium, quid dicam neſcio.

Hinc etiam (ut dixi) ſilentia in iudicijs, cum nihil utiq; appareat, quod ex re, uel coniectura aliqua iudicari poſſit. De his uerò litterarum notis, agitur etiam in Probi Valerij commentario, quem de notis, earumq; ratione cōpoſuit

CAPVT IX.

De mollitie, Hortenſi oratoris ac Demoſthenis, tum per lepida hiſtoria de Hortenſij munditia, qui diem collegæ dixit, quòd illi togæ ſtructuram deturbauit.

SCriptum eſt ab his qui oratorum mores & uitã explicarunt, fuiſſe Demoſthenem in ueſtitu, cultuq; corporis nimium affectatæ uenuſtatis atq; elegantiæ, quod illi etiam probro, & quaſi dedecori ab inimicis eſt obiectum. Verùm de Q. Hortenſio paria admodum referuntur, quòd is quidem, uel apud Romanos ipſos tam accurato, & molli habitu, & ueſtibus uteretur, ut riſu dignum ſit, ne ſtomacho dicam, tanta illum mollicie, luxuq; penè fœmineo uixiſſe. In ea præſertim ciuitate, quæ uitæ grauitatem ac modeſtiam egregiè ſupra cæteras coluit. Mitto enim quòd idem Hortenſius frequens ad ſpeculum accederet, faciemq; ex eo quæritaret, ne toga ulla in parte nõ bellè poſita uiſeret. Et fluenteis ſinus molliter agens, qui lateris modum elegantius quàm Romanum uirum deceret, ambirẽt. Sed illud certè dignũ obſeruatione, eundem quidem Hortẽſium ſic ex profeſſo uenuſtatem coluiſſe, ut cum ad ſpeciem, mundiciemq; cultior & ornatior aliquãdo incederet, diem collegæ dixerit de acceptis iniurijs, quòd is in locum anguſtiorem illi obuius, togæ ſtructuram offenſu fortuito deſtruxerat, eamq; de loco deturbauerat, quod in ſuo quidem collega (ut ait Macrobius) uelut capitale eſt inſectatus. Adeò ſe Hortenſius ad omnem uenuſtatis molliciem de induſtria componebat, ne dicam effœminabat. Ex quo L. etiam Torquatus in quadam cauſa apud iudices, Dionyſiam illum ſaltatriculam, & hiſtrionem appellauit, quòd inter agendum argutijs & manuũ geſticulationibus pernimis uterentur, quam rem copiosè alibi enarrauimus.

CAPVT X.

De ſæuitia L. Syllæ, & Vedij Pollionis, qui ſeruos in piſcinas con ijceret ad murenas, & de Octauij Augusti animo contra eam feritatem.

SCriptum eſt in ueterum commentarijs de ſæuitia & crudelitate L. Syllæ, ac Vedij Pollionis, quòd is quidem L. Sylla tanta animi crudelitate æſtuauit, tanquam auidè humanũ ſanguinẽ (ut ait Seneca bibit, ut ſeptem millia Romanorũ ciuium interimi, atque con trucidari iuſſerit, ſicuti Appianus, alijque permulti referunt. Sed illud de Pollione Vedio nimiũ quàm inuſitatæ ac prodigioſæ feritatis iudicari poteſt. Is enim Vedius cũ piſcinas magno ſtudio ac diligentia haberet, ſolitus eſt ſeruos ſuos occidere, eosque piſcibus uorandos præbere, ut hominũ cruore paſtos, comeſſet. Quod hercle in Romana quidem ciuitate, nõ ſceleſtum modò, ſed in primis nefarium haberi debet: Octauio præſertim imperante. De qua re Septimius Tertullianus copioſè ſcribit, in libro quem de pallio fecit. Anneus uerò Seneca cum cæſ. Neronem ad clementiam inſtrueret, ſic inclamat: ó Vedium mille mortibus dignũ, qui deuorandos ſeruos murenis obijciat, quas erat eſurus. Qua in re illud etiam accidit dignum Octauij Auguſti prudẽtia & manſuetudine. Nam cum is apud eundem fortè Vedium cœnaret, ac puer qui miniſtrabat criſtallinum fregiſſet, ſtatim Vedius interimi illum, murenisque obijci iuſſerat. Sed cũ ad Auguſti pedes cõfugiſſet, auxilium, & opem implorãs, abſolutus eſt. Quam rem libitum eſt Annei uerbis repetere ex libro quem de ira ſcripſit ad Nouatum. Cum diuus (inquit) Auguſtus, apud Vedium Pollionem cœnaret, fregit unus è ſeruis criſtallinum, ex quo rapi eum ad mortem Vedius iuſſit. Nec uulgarem quidem: nam murenis obijci iubebatur, quas ingens piſcina continebat. Quis non putaret

hoc

hoc illum cauſa luxuriæ facere? Sæuitia erat, ſed euaſit è manibus puer, & ad cæſaris pedes confugit, nihil aliud petiturus, quàm ut aliter periret, ne eſca piſciū fieret. In quo adeò motus eſt nouitate crudelitatis cæſar, ut illum quidē dimitti & criſtallina potius omnia pfringi iuberet, piſcinamq́ꝫ com pleri. Hinc etiam C. Plinius tradit, fuiſſe à Vedio Pollione in murenis ſæuitiæ documenta excogitata, qui eques Romanus fuit, cum in earum uiuarijs damnata mancipia immergeret.

CAPVT XI.

De lecanomantia ueterum quomodo & quibus ſacris fieri conſueuit, ac de uoce & natura dæmonum, & alia. itidem ex Ioanne Zeze repetita.

INter genera & poteſtates diuinationū, quas ueteres coluerunt: pars etiam illa reponitur, quæ fieri per peluim ſolebat, aut per ſolium (ut quidam dixerunt) Græci eam frequenti uocabulo lecanomantiam appellant: de qua & C. Plinius alicubi diſſerit, ſed paulò tamen preſſius, ut eam reprehēdere potius, quàm explicare uoluerit. In Græcis uerò cōmentarijs permulta com peries, in quibus hanc ipſam lecanomantiam illi præcipuè exponunt, qui academiæ dogmata ſectati ſunt: quoniam de genijs ferè, dæmonibusq́ꝫ, & diuinandi ratione, ſupra cæteros philoſophos diligenter, & accuratè diſputant: cuiuſmodi ſunt illa, quæ à Michaële Pſello, de natura & uiribus dæmonum, ex Marci diſciplinis referuntur. Fit etiam (inquit) uaticinatio per peluim, quæ lecanomantia dicitur, qua & ruſtici ſæpe utuntur. Quemadmodum per aërem quoq́ꝫ, & per frondeis rerum prædictiones fieri ſolent: ſic ipſa quidē diuinatio per peluim cenſetur. Maximéque apud Aſſyrios populos in precio eſt: ſiquidē magna ex parte cum dæmo-

nibus conuenit, qui à tali materia haud prorſus abhorrent. Vaticinantes igitur peluim aqua plenam accipiunt. Quam cum dæmones irrepſerint, leniter primò illapſi reſident, ſic, ut ſubſilire quidã ſpiritus uideat. Nam & ſi aqua ipſa in peluim fuſæ, ſecundum eius ſubſtantiam à cæteris aquis minimè differat, adhibitis tamen quibuſdam carminibus, ex eorum poteſtate maximè præcellit, ut aptior multò ſit ad illũ fatidicum ſpiritum excipiendum. Id autem eſt dæmonum proprium, ut cum attracti, aut illecti in peluim ſunt, ex eo quidem lapſu perexiguus ſonus, ac ſignificationis expers audiatur. Deinde in ipſa unda oberrans, & quaſi luſitãs, exilem ſibilum inſuſurrat, quo futura prænoſci poſſint. Is eñ ſpiritus, uocem prætenuem emittit: quo ipſi dæmones minus intelligantur, & obſcuritate rei, facilius hominum uotis imponant. Et reuera perexilis uocula dæmonum & exigua eſt, quod olim noſter quoq; Venetus Hermolaus dicebat: uocem ſe dæmonis prætenuem, & penè ſubſibilantem audiſſe. Qua ille de Ariſtotelis fortè Entelechia interrogatus ſibi ipſi, & Georgio Placentino reſponſitauit. Ioannes autẽ Zezes, uir doctrina multiplici, totiuſq; antiquitatis curioſus, de ipſa uaticinãdi parte, in Homericæ Iliadis comentario ſcribit, ea referens, quæ ad iſtiuſmodi uaticinationes conueniant. Nam & ueterem, & nouam lecanomantiam tradit, & in quibus potiſſimum differant. Vetus enim qualis illa Vlyſſis, noua autem, quæ ex aqua ἐν λεκάνῃ & qua aurum, argentum, electrum, æra, & lapides, aliaq; id genus ueniebant. Nullæ uerò adeſſe mulieres, aut aliqui cum mulieribus coinquinati poterant. Sed & ueſtes, & cætera ad id inſtrumenta ab eodẽ Zeze referuntur, ſicuti alibi dictũ eſt.

CAPVT.

CAPVT XII.

Quibus elementis, atq; initijs animantia dicantur conſtare, ac de quinta eſſentia, ad uniuerſum orbem diſponendũ, atq; abſoluendum, ibidemq́; Mercurij uerba relata, & Vergilij carmen expoſitum.

QVide elementis animalium atq; principijs diligenter ſcripſerunt, omnia quidem animantia tradunt, ex quatuor elementis conſtare: hominem uerò ex hiſdem, ac diuino etiam ſpiritu, quem alij quintam eſſentiam, ſeu perfectionem, uel harmoniam dixerũt; quæ per uniuerſum decurrere, atque trãſmeare facillimè poſſet. Dicunt igitur ab ipſa terra carnem haberi, ab aqua humorem, ab aëre anhelitũ, ab igne feruorem, à diuino ſpiritu ingenium, ſeu mauis rationem, quod ipſum & philologi aliquot aſſerunt. Romani autem theologi, ut Val. Soranus, Var. Terẽtius & Figulus, ſub nominibus deorum hoc totum intellexerunt, quos genialeis, uel patrios uocarunt: quoniam ſunt hæc omniũ quidem rerum ſemina, atq; principia, quæ Græci τὰ στοιχεῖα appellant, tametſi lunam quoq; & ſolem (ut eſt author Feſtus) cum reliquis ſignis inter genialeis deos conſcripſerunt. Poëta autem Vergilius, ut in omni philoſophia egregiè doctus, ad hũc modum id exequitur ſub Anchiſæ perſona:

Principiò cœlum, ac terras, camposq́; liquenteis
Lucentemq́; globum lunæ, titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumq́; genus, uitæq́; uolantum:
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus:
Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

Quã rem noſter Vergilius ex adytis uidetur academiæ (ut alia

permulta)

permulta) tranſtuliſſe: ſiquidem à Platone philoſopho aſſertũ eſt, deũ ipſum, cum molem hanc totius orbis conſtruere, atq; diſponere decreuiſſet, animam quandam, ſeu ſpiritum, uel rationẽ excogitaſſe, cuius ſapientia, uniuerſus ferè orbis aptiſſime cõponi, atq; adornari poſſet: & ad rerũ ordinẽ, & ad ſingularẽ decorẽ. In qua ſententia & Mercurius Aegyptius fuit, qui diu ante Platonis ætatẽ floruit, cuius uerba hoc loco ſubijciemus, quo cumulatius hoc totũ percipiatur. Animantiũ (inquit) corpus ex quatuor elementis cõſtitutũ eſt à deo. Habet eñ aliquid in ſe ignis, aliquid aëris, aliquid aquę aliquid terræ. Neq; tñ ignis eſt, neq; aër, neq; terra: quæ facilè ꝓbari poſſunt. Nã terræ ratio in carne eſt, humoris in ſanguine, aëris in ſpiritu, ignis in calore uitali. Sed neq; ſanguis à corpore ſecerni poteſt, ſicut humor à terra: neq; calor uitalis à ſpiritu, ſicut ignis ab aëre. Adeò rerum omnium, duo ſola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in noſtri corporis fictione concluſa eſt. Itaq; ex rebus diuerſis, ac rẽpugnãtibus, homo factus eſt: ſicuti & mundus ipſe ex luce & tenebris, ex uita & morte, quæ duo inter ſe, & in homine pugnãt, ut ſi anima ſuperior euaſerit, quæ ex deo trahit originem, ſit immortalis, & in clara, perpetuaq; luce uerſetur. Sin corpus euicerit animam, ſuoq; imperio ſubiecerit, in tenebris ſempiternis, atq; in obitu deliteſcat. Id ipſum & Brachmanæ aſſerunt, ut copioſè probatur eorum decretis. Sed hæc de altioribus diſciplinis theoremata, maiorem ſibi curam atq; otium requirunt, quæ ſecreto operi explicanda reſeruamus.

CAPVT XIII.

Relatum de Carmanis populis, quàm mirifica ſit eorum conſuetudo in ſuſpendendis occiſorum capitibus, & eorum linguis eſitandis.

INter alia quæ de Carmanis populis memorantur illud etiam uiſum mihi eſt admodum mirificum, neq; indignum, quod à nobis repetatur, qui ex eorum numero ſumus (ut inquit eleganter Auguſtinus) qui ſcribendo proficimus, & proficiendo ſcribimus. Relatum eſt igitur, neminem apud Carmaniæ populos uxorē poſſe ducere, niſi caput occiſi hoſtis ad ipſum regem detulerit. Rex autem craneum, ſeu caluarias (ut Celſus appellat) occiſorum in regia ſtatuit, linguam uerò è faucibus auulſam, minutatim concidit, paneq; permixtam, illi deguſtandam porrigit, qui ad regem caput amputatum pertulit, tum ſuis familiaribus atq; aulicis ceu ſapidiſſimum cibum edendam præbet. Quin apud eoſdem ille rex haberi ſolet celebratior atq; præclarior, ad quem plura occiſorum capita deuehātur. Quod cum alij, tum Strabo in Geographia teſtatur, uir in omni antiquitate perueſtiganda ſollertiæ ſingularis.

P PETRI

PETRI CRINITI
COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. SEPTIMVS.
CAPVT I.

De ingenio & eruditione Gregorij Nazianzeni & Baſilij, & quo affectu ac ſtudio ſimul ab humanis litteris ad ſacras & diuinas conceſſerint.

QVantũ naturæ ſimilitudo, & ſtudiorum ratio, in conciliandis hominũ animis atq; coniungẽdis poſſit, ſatis teſtantur philoſophorum libri, in quibus exempla etiam nõ pauca referũtur, tum Græcorum hominũ, tum Latinorum. Sed cum fortè eorũ mores atq; uitam conſiderarem, qui in academia Chriſtiana maximè præſtiterint, dignũ memoria putaui, quod à Ruffino Aquilegiẽſi (qui Didymum Alexandrinum habuit præceptorẽ) ſcribitur, de Baſilio, & Gregorio Nazianzeno, eorumq; ſingulari inter ſe affectu & diligentia. Sed ẽm Gregorius idem (qui ex Nazianzo oppido fuit) cum præclara eloquẽtia foret, atq; Baſilium egregio affectu coleret, tantum cõfiſus eſt eius animo atq; amicitia (nam ſimul rhetoricam docebant) ut ſedentem illum ac rhetorica præcepta exhibentem, de officio (ut inquit Ruffinus) differẽdi deponeret, atq; iniecta manu, ad academiam Chriſti perduceret, in qua, altioribus diſciplinis, ac diuinis myſterijs ſtudio indefeſſo, & ſollertia ſingulari, per annos XIII. incubuerunt: quo ueritatis arcana generi humano uberius atq; cumulatius explicarent. Sic enim de utroq; idem Ruffinus ad Chromatium ſcribit: Gregorius & Baſilius epiſcopi, ambo nobiles, ambo Athenis

eruditi

eruditi, ambo collegæ, ambo de auditorio egreſſi, ad rhetoricam profitendam, imperante Theodoſio Auguſto rogabantur. Nam & Hieronymus hunc ipſum Gregorium, nõ modò ut optimum præceptorẽ, in optimis diſciplinis agnoſcit, ſed & eloquentiſſimum uirum meritò appellat. Sequutus autem in ipſo dicendi ſtilo Polemonem Laodiceum traditur, ac inter alia permulta, contra Iulianum imperatorẽ librum pro re Chriſtiana egregiè ſcripſiſſe, quod ille contra Chriſtum impudentiſſimè libros aliquot in expeditione illa Parthica effuderit, quod ab eodem Hieronymo locis pluribus relatum eſt.

CAPVT II.

De hieroglyphicis Aegyptiorũ litteris, ac de uulture & & ape, eorumq; ſymbolo, tum de cruce etiam ipſa nobilis conſideratio.

DE litteris Aegyptiorum, quæ hieroglyphicæ appellantur, cum apud ueteres authores mẽtio eſt, tum in obeliſcis, etiamnũ conſiderari hoc poteſt, in quibus figuræ illæ, & effigies animantũ diuerſorum, herbarumq;, fluuiorum, & arborum ſculptæ, eius gentis philoſophiã deſignãt: ſicuti Strabo & C. Plinius grauiſſimi authores teſtant. Nam in obeliſcis regum, Seſotidis atq; Sennoſornei, qui ex Aegypto in urbẽ deuecti ſunt, per eiuſmodi ſymbola & hieroglyphicas notas, rerũ naturæ interpretatio adnotata eſt. Ita em Aegyptiorũ philoſophia creditur primò illuſtrata, quod ab eodem Plinio & aliis tradit. Inter alias uerò effigies, ſcarabeos, apes, fluuios, boues, uultures, aliaq; id genus notare conſueuerunt. Porò ex ipſa effigie apis, ſymbolũ regis ſignabatur, quòd is in obeundis uitæ officiis, non minus iuſtitiæ aculeum, quàm dulcẽ mellis clementiã habere debeat. In uulture autẽ naturæ genium

ac maieſtatem indicabant, quod inter has uolucres fœminę duntaxat inueniantur: de quo & Marcellinus Ammianus, in Roma. hiſtoria ſcribit, & Plutarchus item Cheroneus. Quin illud etiam multò magis cõſiderandum eſt, de ſigno ipſius crucis. Volebant enim Aegypti ſacerdotes ac philoſophi, per eius effigiem ſpem uenturæ ſalutis intelligi, quod & Ruffinus author diligens in ſacra hiſtoria refert, inter ſacerdotaleis litteras dicens relatam crucem, quæ uitam uenturam allegoricè deſignabat. Sed hanc partem περὶ τῶν ἱερογλυφικῶν τῶν αἰγύπτου copioſè explicauimus in epiſtolicis, ea ferè omnia referẽtes, quæ arcana iſta Aegyptiorũ ſacra denotarẽt.

CAPVT III.

Factum memorabile Octauij Rom. oratoris cum rege Anthiocho, & de ſagminibus legatorum, quæ in clarigatione geſtabant, ex iureconſultis & alijs.

NOtatum eſt in Romanis exemplis de C. Octauio, & eius ingẽti animo, quem in legatione ad regem Antiochum egregiè probauit, ut hominẽ decuit Rom. & in omnibus uitæ officijs maximè præſtantem. Nam cum fortè rex Antiochus dilaturũ ſe reſponſum diceret, neq; tum aliquid Romano oratori reſpondendum putaret, Octauius ibi uirga (quam manu tenebat) locum circumſcripſit. Et prius (inquit) ô rex, q̃ hoc ipſo circulo egrediare, reſponſum dabis. Qua in re miratus hunc animũ rex Antiochus in Rom. ciue, pro tempore dedit reſponſum. Sed in ea mox legatione idem C. Octauius interfectus fuit, quo factum eſt, ut ſenatus, populusq; Romanus ſtatuam illi (ut inquit Plinius) in roſtris, loco quidẽ oculatiſſimo, poni iuſſerit. Neq; illud ignorandũ eſt, quod ipſi legati uirgam geſtare apud ueteres conſueuerunt, ſicuti etiam ſagmina & uerbenas, ſic, uti clarigatum accederẽt, id

Ire clarigatũ.

eſt,

eſt ad ea clara uoce repetenda, quæ ad ius Rom. populi pertinerent. Vnde Marcianus etiam iureconſultus (qui à Didio Iuliano iuſſus eſt occidi) ſanctum refert à ſagminibus dictum, ſicuti in pandectis habetur. Sanctum eſt (inquit) quod ab iniuria hominum defenſum atque munitũ eſt. Sanctum autem dictum à ſagminibus. Sunt enim ſagmina (inquit) herbæ quædam, quas legati popu. Rom. ferre ſolent, ne quis eos uiolaret, ſicuti & Græcorũ legatis accidit. Quin & Sex. Pompeius de uerborũ ſignificationibus, libro xxii. pro uerbenis inquit ſagmina accipi, quod ex loco ſancto, à cõſule, prætore ue legatis proficiſcentibus ad fœdus, bellũque indicendum, traderentur. Vnde illud Neuianum: Marcianus. Sanctum. Sagmina.

Ius ſacratum Iouis iurandum ſagmine.

Mittimus autem quæ Liuius & cæteri de hoc ſcripſerint, ne ſtudio magis ambitionis, quam ueritatis indultũ uideri poſſit.

CAPVT IIII.

Qui de ingenio dæmonum ſcripſerint, ac de gnoſticis & euchetis, quibusque ſacris dæmonem ſe concipere putarent digna memoria obſeruatio.

INter philoſophos ueteres, qui & ingenio clari & doctrina præſtiterũt, maximè quidem academici numerãtur. Hi autem de Genijs multa, ac dæmonibus ſcribẽtes, diligenter obſeruarunt, quo habitu ſint, quaque poteſtate polleant. Nam habere illos uireis maximas, & in quaque re, mira quædã efficere pro comperto affirmant, quod & Chriſtiani philoſophi pari cõſenſu aſſerunt, ut Pſellus, Origines Adamantius. Et Auguſtinus, in eo præſertim libro, quem de poteſtate dæmonũ compoſuit. Sed quo pacto, quibusque ſacris euchetæ & gnoſtici dæmonem ſe olim concipere dicerent, dignũ profectò memoria eſt, cum inter alia quoque portẽta ac prodigia magicæ

uanitatis,id ipſum meritò referri poſſit:nam diuinationis genus,quæ necromantia dicitur,in hũc modum fieri ſolitum ab ipſis quidem gnoſticis inuenio, qui alio uerbo εὐχῖται uocantur.Decimo calendas aprilis, quo die Ieſus Chriſtus à Iudæo populo cruci affixus eſt,conuenire hi ſolent, cum puellis ſibi notis,qui gnoſtici dicuntur. Tum peractis quibuſdam ſacris, atq; luminibus extinctis, ſimul coitum ineunt,uel cum ſorore,uel cum filia, nec ullam prorſus rationem habent affinitatis. Dein autem nono menſe, in eundẽ locum redeunt,puellasq; aduocant,& natos infanteis ab illis accipiunt,eorumq; corpus circumcidunt. Tum effluẽte undiq; cruore,phialas implent,& puerorum ſimul corpora cremantes,cinerem accipientes,cruori commiſcent,atq; eo condimento epulas & pocula,clàm ubicunq; incedant,condiunt:tum his quidem ſacris,& alimẽtis,diuinos quaſi characteres in illis imprimi atq; infundi exiſtimant,ac ipſa etiã dæmonia,liberius cõcipi,& felicius retineri. Sed iidem præterea gnoſtici dogma proprium ab inſano quodam (ut inquit Pſellus)acceperunt,quorum opinio ſit,ut unus omnino pater credatur, cui filios duos aſcribunt, antiquiorem primum,alterum uerò iuniorem. Principia autem tria:nam patri ſupercæleſtia tantum, iuniori autem filio cæleſtia, ſeniori ſubcæleſtia gubernari referunt,quo ipſum dogma,nihil uerè (ut inquit Pſellus) à poëticis fabulis,anilibusq; ineptijs abhorret,quæ res, non ab Auguſtino ac Euſebio tantum ridetur, ſed à cæteris quoq; ſacris authoribus, qui pro ueritate ipſa & religione,ſummis quidem laboribus atq; diligentia excubãtes euigilarunt.

CAPVT.

CAPVT V.

De Maximiani imperatoris ſæuitia in Chriſtianos, & quòd affectus morbo, animum commutarit, tum eiuſdem edictum poſitum pro religione ipſa Chriſtianorum.

INter alios pluris, qui Chriſtianã religionẽ crudeliter perſecuti ſunt, Galerius Maximianus numeratur, qui uarijs tormentorum ac pœnarum generibus, Chriſtianos ipſos peſſimè affecit, quod ab Auguſtino, Euſebio, alijsq́ꝫ copioſè exponitur. Sed is tamẽ Maximianus, cum in tabificum morbum atq; peſtilentem incidiſſet, ac illi à medicis relatum foret, non aliter poſſe illũ morbum curari, niſi à Chriſtianorum ſanguine & cædibus abſtineret. Quibus auditis, imperator Maximianus edicto cauit, ut quicũq; eſſent Chriſtiani, ſuũ numen ac deos extra omnem iniuriam colerent, ac ritè in religione perſtarent. Sed libitũ mihi eſt, hoc ipſum edictum Maximiani impe. & Co nſtantini Auguſti referre, in quo apertè cõſtabit, quantum Chriſtianæ religioni Maximianus conceſſerit: homo alioqui ſæuiſſimus, & imperator orbis terrarũ, & qui annos plureis Chriſtianos ipſos crudeliſſimè fuiſſet inſectatus. Nam idem Maximianus natura quidẽ atrox, atq; ſanguinarius fuit, quo etiã (ut à quibuſdã tradit̃) nullũ propè animal in tota uita crudelius habitũ eſt. Edictum hoc eſt, quod per omnis ferè urbeis pro decreto imperatoris dicitur, publicatum. Impera. cæſ. Maximianus inuictiſſimus, Auguſtus, pontifex. max. Germanicus, Aegyptiacus, Thebaicus, Sarmathicus quintus, Perſicus ſecundus, Carpicus VI. Armenicus, Medorũ & Adiabenorũ uictor: Trib. Põtifex XX. Impera XIX. cos. VIII. pat. pat. proc. & impera. cæſ. Flauius Val. Conſtantinus, Pius felix, inuictus Auguſtus ponti. imperator V. conſ. IIII. pat. pat. proc. Inter cætera, quæ ad uſum rei pub. decernimus, primò qdẽ uolueramus ſecundũ antiquas

leges.

CAPVT VI.

De municipibus Romani populi & quid apud Horatium ſit digni cærite cæra: expoſitum eius carmen: tum quibus cauſis, atq; rationibus municipes Romani eſſent copioſè explicatum.

IN iure ciuili Romano permultæ quidẽ rationes afferuntur, quibus ſenatus populusq; Romanus quoſdam populos atq; municipes non tantum iure quiritũ donauerit, ſed multis etiam oneribus atq; damnis exemerit, cuiuſmodi nominantur: Attelani, Cærites, Præneſtini & eiuſmodi alij. Primi autem omnium facti ſunt populi Romani municipes Cærites, & hi quidem (ut author eſt diligens Gellius) ſine ullo iuris ſuffragio, quoniã bello Gallico ſacra Romana recepiſſent, eaq; diligẽtia ſingulari cuſtodiſſent. Vnde etiã tabulæ cærites appellatæ ſunt, in quibus cenſorum poteſtas, eorum nomen referebat, qui nota aliqua, uel ignominia forẽt inſignes. Ex quo eruditè Flaccus in epiſtola ad Numicum, dignos cærite cæra appellat Romanos, quoniã luxu atq; uoluptatibus turpiſſimis tenerentur. Quem tamen locum Horatiani interpretes ineptiſſimè (ut alia permulta) expoſuerunt. Hirpiorũ uerò familiæ, qui Phaliſcorum agro eſſent, ob mirificam quidem cauſam, ab omni militia, & munerum cura uacationẽ habuerunt: quòd hæ quidẽ nudatis pedibus, impunè ſuper ignẽ, ſacris quibuſdã incederent. Quod ut facilius probari poſſit: C. Plinij uerba ſubſcribemus. Haud procul urbe Roma (inquit) in Phaliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ uocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduruntur: & ob id, perpetuo ſenatuſconſulto, militiæ, omniumq; aliorũ mumerum uacationem habent. Præneſtini aũt populi, cum in ius coloniæ relati eſſent, ob eam cauſam à Tiberio impera

Q tore

tore municipes facti ſunt, quòd in Prænestinis finibus iuxta oppidũ, ex capitali, ac ſontico morbo cæſ. Tiberius conualuiſſet, eoq́ nomine municipij gratia illos donauit: quod Hadrianus imperator in oratione de Italicẽſibus rettulit. In hoc tamen municipes à Romanis ciuibus differebãt, quód neq́ magiſtratus capere, neq́ ius ſuffragandi habere poterant, ſed munerum tantum ciuilium atq́ militarium erant participes, ſicut à Verrio Flacco, & Feſto ſcriptum eſt. Nã & Gellius (inquit) municipes ipſos honorarij quidem muneris cũ popu. Romano fuiſſe participes. Feſtus uerò Pompeius eruditè ac prudenter refert, triplici modo municipia intelligi: ſicut cum pars aliqua ciuitatis in urbem iure municipali cõmigraret, quales Fundani, Formiani, Cumani, Acerani, Lanuuini, Thuſculani, q paucos poſt annos iure quiritum donati ſunt. Secundo modo, cum uniuerſa ciuitas in urbem confluceret, ut Aricini, Cærites, Anagnini. Tertio eorum dicitur, qui ea lege ad urbem accederẽt, ut ſuæ, cuiuſq́ ciuitatis municipia & coloniæ forent: ueluti Tiburtes, Prænestini, Piſani. Vrbinates, Nolani, Bobutinenſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini,, & Lucenſes. De qua re non modò iure conſulti diligenter ſcribunt, ſed & A. Gellius, & ex Verrio Flacco Pompeius.

CAPVT VII.

Quo animo Cæſar Anticatones libros ſcripſerit, & quantum Catoni inuitus conceſſerit, cum eius ebrietatem reprehenderet, aliaq́; non contemnenda de Ciceronis inconſtantia aſcripta.

DIgnum memoria eſt, quod à Iulio Cæſare ſcriptũ fuit de M. Catone uiro prætorio, qui ex obitu dictus eſt Vticenſis. Nam cum M. Cicero eius uitam, egregioſq́; mores, pluribus laudibus extuliſſet,

liſſet, parum æquo animo tulit cæſar, cum ipſum Catonem tantopere à Tullio imprimis commendatum, ex quo duos libros contra eum ſcripſit (qui ex re Anticatones dicerent, in quibus omnia propè M. Catonis uitia (ſiqua erant) collegit. Sed inter alia, ebrietatem illi ueluti maximum probrum obiecit, quod à cæſare tamen ita relatum eſt, ut laudaſſe magis hoc, in tanto uiro, quàm reprehēdiſſe uiſus fuerit. Nam cum ipſe Cato plurimo uino incaluiſſet, & antelucanis officijs eſſet occupatus, fortè quoſdam habuit obuios, qui (ut inquit cæſar) cum eius uiri caput retexiſſent, admodum erubuit. Sed ita factum adiecit, ut non Catonē putares ab illis, ſed eos maximè à Catone deprehenſos. Qua in re (ut apparet) Catonē etiam ebrium adeò ueritus eſt, ut uel in ipſa ebrietate uideatur illam ueræ uirtutis imaginem retinuiſſe, quod & Plinius Nepos teſtatus eſt, qui, Haud plus (inquit) honoris à cæſare, uel authoritatis tribui Catoni potuit, quàm ſi ebrius quoque tam uenerabilis erat. Quòd autem mox idem Cicero Anticatones cæſaris laudarit, plurimumque extulerit, hoc totum, uel ex eius inconſtantia, uel adulationis uitio accidit, ut qui fortunæ obſequi ac tēpori inuitus mallet, quàm conſtanter ſuccumbere. Ex quo ea (inquit) laudatio tota κολακεία fuit. Sicuti ad Pomponium Atticum ſcribit. Et diu ſanè inimicitiæ inter cæſarem & Catonem uiguerunt, quod & Plutarchus alicubi, & Atteius Capito indicant. Nam in libro, quem ſcripſit de officio ſenatoris, apertè explicat quo tempore cæſ. conſulatum obijt, nihil eum dubitaſſe uiatorem uocare, ut Cato ipſe adhuc loquens in carcerem duceretur. In quo tamen non modò excuſatum Catonem conſtat, ſed etiam ſenatu approbante abſolutum.

CAPVT VIII.

De impoſitione nominum apud comicos poëtas, & quid inter ſe differant cylones, chilones, ac ibidem Cic. uerbũ explicatũ contra quorundam ſententiam.

QVi de origine nominum atq; uiribus ſcripſerunt, permulta quidem afferũt de his nominibus, quæ ex forma ipſa, & habitu corporis deducta ſunt, quod in ſcenicis maximè fabulis apparet. Nam poëtæ comici, habitum, figuramq; hominũ diligenter conſiderantes, ex re, plerunq; perſonas denominant, cuiuſmodi ſunt qui Græca uoce appellantur, cephali, chilones, phalacri, blepharones, & alia generis eiuſdẽ. Sicuti à noſtris etiã tuditani, frontones, longuri, capitones, coſſi, labiones, uenulei: de quibus diligenter alibi ſcripſimus. Qui autẽ dicantẽ chilones uel cylones, & quo pacto inter ſe differant, libitũ mihi eſt paucis hoc etiam loco adnotare: ſicuti & Sex. Pompeius ex Verrianis cõmentarijs refert: Chilones em̃ (inquit) eiuſmodi homines appellari, qui maioribus labris ſunt, hoc eſt, qui labeones, aut labieni à noſtris dici poſſunt. T. autẽ Lucretius labroſos nominat: unde illud:

Simula, Sylena, ſatyraſt labroſa philema.

Cylones uerò ſine ulla quidem aſpiratione, idẽ Pompeius eos appellat, qui fronte prominẽtiori ſunt, & quaſi extante. Nam cillones duplici ll, aliud omnino ſignificat, & ſi ridiculè quidam in hoc aberrant. Cum enim Criſpum Salluſtium Cicero in gregem cillonũ, ſacrilegorum, atq; impudicorum cõnumeret, nihil aliud intellexit, quàm cinædum hominem, ac turpiter ceuentem: quoniam cillere apud ueteres motitare, atq; agitare eſt, quod & Seruius, atq; Higinius teſtantur. Vnde cillones dicti, qui pudore uendito, ceuentes ſe effœminant. Nam & Leneus Pompei libertus, cum ſatyras contra eundem Salluſtiũ ſcriberet, non modò illum po‑

Cillere. *Cillones.* *Leneus.*

pininionem ac lurconem ſatyricè appellauit, ſed etiã λάσταυρον quaſi meretriculam, & ſcortum, ut in Sudæ collectaneis exponitur. Quod à me uel ob id obſeruãdum fuit, ne tam impudenter quidam deprauare, atq; peruertere bonos codices audeant.

CAPVT IX.

De ſpacio humanæ uitæ, & adnotanda obſeruatio de pondere humani cordis, quo modo creſcat & decreſcat, ex anatomica Aegyptiorum obſeruatione.

DE uita hominis, & qua fine, annorumq; ſpacio cenſeri debeat, permulti quidẽ apud ueteres tradiderũt. Nec illi tantum, qui naturæ uireis ac decreta obſeruarunt. Qua in re, cum inter ſe diſſentiant authores, pleriq; tamen centum annorum ſpacium uitæ hominum concedunt, idq; ipſum uulgato magis, quàm intellecto nomine, ſæculum appellarunt: quod apud nos cũ alij permulti, tum ipſe Cenſorius ad Q. Cerellum copioſè explicat. Sed à Terentio Varrone traditum eſt, ex Dioſcoridis authoritate, qui ſiderum ſcientiam calluit, Aegyptios quidem ipſos (quibus ſeruandi medicata cadauera cura fuit) ſubtili admodum, & arguta ratione deprehendiſſe, quo maximè uitæ ſpacio ætas hominis extimari debeat: ſumpta ex pondere humani cordis cõiectura. Itaq; affirmarũt idem Aegyptij centum omnino annis hominum uitam definiri, quòd eorum cor, qui ſine ulla corporis tabe perierint, hoc ipſum declaret: quoniam cum ætate (ſi expendatur) aucta atq; damna referat. Anniculi enim pondere duarum drachmarũ, bini quattuor, & ſic in ſingulis annis uſq; ad quinquageſimum binas accedere, ut centum drachmis exiſtat, quinquagenarij hominis cor. Ex eo deinde numero unoquoq; *Sæculum.*

quoq; anno,binas detrahi ac minui. Quo perſpicuum eſt, ab anno centeſimo,ad primam ſui ponderis redire,neq; longius poſſe proferri.Quod ego tamen acutius quidem exiſtimo,quàm uerius,quanquàm in his libris,qui τὰ ἀνατομικὰ proſecuti ſunt,mira profuſa,atq; incredenda explicētur, quod alicubi & Claudius Galenus affirmat.Sed & C. Plinius id ipſum de hominis corde ad Veſpaſianũ Auguſtum recenſuit,& ſi breuiter quidem,cum dixerit creditũ ferè ab Aegyptijs,ex defectu humani cordis,nõ ultra centeſimũ annum poſſe homines uiuere.

CAPVT XI.

Quomodo à mathematicis uitæ hominum finis aſſeratur,ac de ætate Moſis,ex Trebellio Pollione,ac de Xenophilo muſico non nihil.

QVod in capite ſuperiore diximus de humanæ uitæ ſpacio,ac hominum legitimo obitu, monuit me ueterum authoritas,qui ab iſta Aegyptiorum ſententia prolatis quidem exemplis,longè diſſentiant, ſed ea tantummodo referemus, quæ Trebellius Pollio ad Conſtantium imperatorẽ ſcribit in hunc modũ: Doctiſſimi (inquit) mathematicorũ centum uiginti annos homini ad uiuendum datos iudicant, neq; amplius cuiquàm cõceſſum dicũt. Illud etiã adijcientes, Moſem ipſum (ut Iudæorũ libri teſtantur) dei familiarem xxv.ac centum annos uixiſſe. Qui cum interitum hunc,ut immaturũ fortè quereretur,ferunt illi ab incerto numine reſponſum, neminẽ deinceps amplius eſſe uicturum. Sed in ſacris etiam hiſtorijs, finem homini ueteres tribuunt xx.annos ſupra centeſimũ, quod & Ioſephus ipſe,Firmianusq; & alij referunt. Quanquàm Romani quidem authores de annis Aegyptiorũ, eorumq; ſpacio aliter ſentiãt,in quo temerè ab indoctis Varro inceſſitur,ut ſuo loco à nobis expoſitũ. Inter alios uerò cõ-

pluris,

pluris, qui annos aliquot ſupra centum uixerint, unus quidem Xenophilus muſicæ diſciplinæ peritus, in tota mortalium uita repertus eſt, qui centum & quinq; annos ſine ullo corporis incommodo uixerit, quod ipſe C. Plinius tradit, uir unus apud Latinos (quantum equidem iudicio poſſum conſequi) in obſeruandis, inueſtigandiſq; naturæ arcanis diligens & accuratus.

CAPVT XII.

Quãtum Publius Vergilius & à M. Tullio laudatus fuerit, & quo honore ab uniuerſo Rom. populo habitus, cum carmen in theatro recitaret.

ET in epiſtolis M. Tullij ad T. Pomponiũ, & in Seruianis cõmentarijs abũdè relatũ eſt, quantũ M. Cicero, P. Vergilij ingenio ac uerſibus detulerit, cum ſe ipſum continere nequierit, quo minus audiente Rom. popu. ſpem Latinæ doctrinæ illũ appellarit. Nam cum fortè Vergilij carmẽ ex Bucolico poëmate Cic. audiſſet, miratus eruditionem & elegantiam, iterũ (ut ſcribit Seruius) recitari illud uoluit. Adeoq; tradit̃ in eo audiendo affectus atq; oblectatus, ut apertè de authore Vergilio dixerit:

Magnæ ſpes altera Romæ.

Quod hemiſtichion, poëta mox in ſuum Aeneam detorſit his uerſibus:

Hinc pater Aeneas Romanæ ſtirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & cæleſtibus armis.
Et iuxta Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ.

Quin & illud notandum maximè eſt, quod à Materno refertur, de eodem Vergilio, ut à Corn. Tacito ſcriptum eſt. Tantum enim laudis, tantum honoris, nomini Vergiliano habitũ Romæ eſt, à ſenatu, popu. Rom. ut recitãti ſuũ carmẽ in theatro, pinde uniuerſus populus aſſurrexerit, atq; Octa.

Auguſto

Auguſto imper. Sic enim Tacitus ex Materni perſona,in li bro ad Fabiũ Iuſtum,teſtis(inquit) Romanus populus qui auditis in theatro Vergilij uerſibus,ſurrexit uniuerſus:ac prę ſentem,ſpectantemq; Vergiliũ ueneratus eſt,ſic quaſi Auguſtum. Ex quibus minimè mirum eſt,ſi epiſtolis & carmine Auguſtus etiã Octauius,totius orbis terrarũ imperator Pub. Vergilio poëtarum principi tantum conceſſerit.

CAPVT XI.

De hiſtoria T. Liuij, quòd in libros ab authore diuiſa fuerit,nõ in decades cõtra aliorũ opinionẽ,tũ quibus id authoribus cõprobetur.

FAlſo receptum eſt ac doctioribus etiã perſuaſum fuiſſe in decades diuiſum à T. Liuio ſuũ opus de Romano. geſtis,quæ ſingulæ decẽ uoluminibus explicantur:quod ipſum de authore Liuio neutiquam apud ueteres cõperias. Nam & Priſcianus uir diligẽs alijq; grãmatici,ſicubi Liuiũ citant,librorũ numerum aſcribunt,neq; decades nominãt. Itaq; XVI. librũ & XXXIII. & cẽteſimũ decimũ ſextũ uidemus aduocari ab ãtiquis authoribus cui ſententiæ & Franc. Petrarcha aſtipulatur: ut qui aſſerat in epiſtola ad Ioannẽ Bocatiũ,ignauia legentium cõtigiſſe, uti Liuiana hiſtoria ſit in decades diſtributa. In parteis (inquit) quas decades uocãt,non ipſe qui ſcripſit, ſed faſtidioſa legentiũ deſidia diuiſit. Sed & L. Florus libros centũ quadraginta eiuſdem authoris recẽſet,ſublato penitus nomine decadũ,cũ uniuerſam hiſtoriã in epitomen,uel(ut Latinè loquar)in breuiarium cõtraxit. Id & Politianus olim ita liberè nobis concedebat,ut noſtrã quoq; diligentiã magnopere commẽdaret in perquirẽdis atq; examinãdis ueterũ monimẽtis.

CAPVT

CAPVT XIII.

De Bonifacio Pontifice Rom. eiusq́; inſolentia & ambitione, tum eiuſdem ſceleſtum facinus relatum contra Prochetum archiepiſcopum ac de improbitate & impudentia Chriſtianorum pontificum.

NEque illud à nobis prætermitendum eſt, q̃uo minus in his etiam commentarijs legatur de Bonifacio Pontif. Rom. qui Cœleſtino ſucceſſit in põtificatu. Is enim tanto ambitu, atq; libidine Gebellinorum parteis traditur fuiſſe inſectatus, ut minimè uertius ſit, permulta efficere iniquiſſimis artibus, atq; incredibili inſolentia: neq; in principes tantum Romanos, ſed in ipſos etiam ſacerdotes, ceu illud contra Prochetum Genuenſem põtificem, quem archiepiſcopum uocant. Nam quo die ſacra cinericia celebrantur, mos eſt apud Chriſtianos, ut pontifex maximus prodeuntes ſacerdotes ad eius pedes excipiat, atq; eorum capiti cineres apponat, ſingulos ſubinde cõmonens, & cineres eſſe illos, & in cinerem reuerſuros. Cum aũt Prochetus ſacerdos, qui habebatur inter Gebellinos, conſtitiſſet ad pedes pontificis, inibi põtifex Bonifatius uerbis permutatis, quæ pro relligione effantur, Memento (inquit) quod Gebellinus es, & cum Gebellinis morieris. Et ſimul cineres ſacros in eius frontẽ atq; oculos proiecit. Quo intelligi poteſt ab omnibus, quanta ſit eorum hominum iniquitas atq; impudentia, qui ſub nomine relligionis, nihil non licere ſibi opinantur. Nam cum ad inſtruendos mortalium animos, pacemq́; humano generi conciliandam creati atq; inſtituti ſint nihil amplius exiſtimant, aut magis conantur, quàm pro libidine ſeditiones princip ũ excitare, nefariasq́; uoluptates flagitioſiſſimè expellere, quod & Thomas Aquinas, & Aegidius magnis commentarijs differunt.

CAPVT XIIII.

Scitum reſponſum Ariſtippi philoſophi, cum rogaretur cur homines doctiores diuitum domos, atq; principũ frequenter adeant, minimè autem ad eos diuites.

PRudenter ac ſcitè reſpõſum eſt à Cyrenacio Ariſtippo interroganti Dionyſio, quid in cauſa foret, ut philoſophi, ac eruditi homines, diuitum ædes accederent, eorumq́ʒ fores ac limina contererent: diuites autem minimè id agant. Quoniam philoſophi (inquit) probè intelligunt, quæ deſint diuitibus, & quibus maximè egeant: diuites autem hoc neſciunt. Quo circa per eleganter Picus noſter Mirandula dicebat: nullũ ſe animal uidere in omni uita mortalium ſtultius, atq; inſolẽtius, quàm diuitem hominem, qui bonarum diſciplinarũ ſit imperitus, à ſtudijsq́ʒ liberalibus abhorreat: quoniam diuitiæ illæ impudicis uoluptatibus atq; deſidiæ paratæ ſunt, neq; in uſum hominum, aut aliquam uitæ utilitatẽ erogantur. Itaq; minimè mirum eſt, ſi Alexãdrini reges, atq; cæteri principes, tam ſummis ſtudijs, tanq; accurata diligẽtia doctiorum hominũ familiaritates atq; ſermones conquiſierunt, quam rem epiſtolæ Græcorũ principum, ac Romanorũ abundè indicant; unde illud peruulgatum

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. OCTAVVS.

CAPVT I.

De Simone Samarite (qui magus dicitur) & quomodo in urbe pro deo habitus ſit, & quo cultu atq; honore fuerit, ex Tertulliani Apologetico, & alijs authoribus.

NOn dixerim, qua uoluptate ac ſtudio, ſacris authoribus incubamus, eorũq́ lectionibus delectemur, ſicuti celebres ſunt q Græcè ſcripſerũt: Origenes Adamãtius, Clemens, Euſebius Pamphilus, Iuſtinus martyr, Baſilius. Ioã. Chryſoſtomus, Gregorius Naziãzenus, Epiphanius, qui cognomẽto πεντάγλωττος eſt nũcupatus alijq́ cõplures. Ac ex noſtris etiã Tertullianus, Hilarius, Ciprianus, Auguſtinus, Hieronymus, Ruffinus, Ambroſius, Gaudẽtius, nam horũ quidẽ commentarij perinde mihi atq; theſauri uideri ſolẽt, in quibus tam uaria, tam multiplex doctrinæ, rerumq́; omniũ cognitio eſt, ut uniuerſam propè antiquitatẽ, legesq́; omnis & philoſophiæ placita cõtineant. Quod ego nuper ſum expertus, in Euſebij ac Tertulliani cõmentarijs legendis, qui ambo, & ingenio, & doctrina ſumma præſtiterũt. Sed quod in apologetico de hiſtoria Simonis magi inſinuat, apponendũ putaui quo loco de ueterum dijs agit. Cum Laurentiam (inquit) publicum ſcortum colitis, uelim ſaltem Laidem, aut Phrynen inter Iunones, & Cereres, ac Dianas adoretis, cum Simonem etiam magum ſtatua & inſcriptione ſancti dei inauguratis. Quòd autem ſtatuam Tertullianus Simonis dei nominet:

ſcribenda hic ſunt, quæ Iuſtinus martyr ad Auguſtũ Antonium ſcribit: nam & hoc Pamphilus Euſebius recẽſet. Poſt dominũ (inquit) Ieſum Simon quidã Samareus ex uico, qui dicitur Gyttho, Claudio cæſ. imperante, magicis artibus, & ope dæmonũ ſuffultus, in urbe noſtra (quæ omniũ tenet imperium) q̃ plurimis deceptis, deus eſt decretus, & apud nos ſimulacri honore donatus, quod in ipſo Tyberis flumine, inter duos ponteis collocatũ eſt, addito etiã hoc titulo, Latinis litteris perſcripto: SIMONI DEO SANCTO. Nã & eundem omnes propè Samaritæ, ac nõnulli ex cæteris populis, perinde, ac ſummũ deum & adorant, & confitent̃. Mitto autẽ quæ Hieronymus de eodem ſcribit, ne plura cõſectari curioſius uidear, cũ fugiſſe illũ ex urbe aſſerat, aliaq́ feciſſe prodigiorũ inſignia. Origines uerò Adamantius ab his uidetur diſſentire, qui Simonẽ ipſum dicit, eiusq́ diſciplinam minus celebrem fuiſſe: ita enim refert contra Celſi Philalethem. Voluit & Simon Samareus magus, ſua arte & commentis, nõ paucos è medio tollere: multos enim ſuis (ut puto) præſtigijs fallebat. Nũc uerò ex omnibus, qui ubiq́ gentium agunt, ne ad xxx. quidem cõperias, qui illũ ſectentur, & hi prorſus circa Paleſtinã ſunt, in reliquis uerò orbis terrarum prouincijs, nec Simonis nomẽ auditum eſt, cum ipſe laudis & gloriæ auidus hoc maximè pcuperet. Quoniã ſi qua eius nominis fama extitit, ea quidẽ ex apoſtolorũ hiſtoria innotuit. Hæc Adamantius. Sed enim quæ in Egeſippi hiſtoria, de hoc ipſo Simone deſcribuntur, minus adhuc recepta ſunt, ſed confiсta omnia, & à uero aliena prudẽtiores extimarunt, quod aſpiciente uidelicet imper. Nerone deuolauerit. Non enim Lucas hoc Anthiochenus omiſiſſet, præſertim cum referatur à noſtris, eundẽ quidem precibus apoſtolorum decidiſſe, ac iuxta Ariciam crus alterũ infregiſſe.

CAPVT.

CAPVT II.

De Aegyptiorum antiquitate, eorumq́; urbibus ex Pomponij commentario, ac de alijs etiam non nihil obſeruatum.

TRaditum eſt in ueterum cōmentarijs Aegyptios quidem populos haberi omnium uetuſtiſſimos, tum rerum, diſciplinarumq́; complurium fuiſſe inuentores, ex quo terrarũ parens Aegyptus appellata eſt, quod & Strabo philoſophus, & Appion polyhiſtor, aliję́; fatentur. Sed illud inprimis memoria dignum ac mirificum putaui, quod à Mela Pomponio ſcriptũ eſt, de hiſdem Aegyptijs, in hunc modum: Aegyptij (inquit) homines uetuſtiſſimi ſunt, trecentos enim & xxx. reges ante Amaſim, ac ſupra xiii. millium annorum ætates, certis annalibus referunt, mandatumq́; litteris ſeruant, dum Aegyptij ſunt, quater ſuos curſus uertiſſe ſidera, ac ſolem bis iam occidiſſe, unde nunc oritur. Quin & xx. (inquit) millia urbiũ regnante Amaſi habitarunt, tum ſua ætate clariſſimas dicit, quæ procul à mari ſint, Sayn, Memphim, Syenen, Bubaſten Elephantim ac Thebas, quas uel ipſe Homerus poëtarum maximus, centum habere portas teſtatus eſt. Quod autẽ in Aegypto x. millia urbium Mela conſtituit, id ego legentiũ iudicio extimandum relinquo, ne probare illa nunc uidear, quæ portenta à pleriſq́; ac prodigia nuncupentur. Nam qui de urbibus ſcripſerũt, perſæpe inter ſe diſſentiũt, quod aliâs demonſtraui. Sed enim in Bactrianis mille urbes fuerũt, in Italia ſeptingentæ, in Creta xc. ut à probis authoribus tradiť. Sed hãc partem de urbibus ſecreto opere dijs uolentibus, epli cabimus.

Aegyptus terrarum parẽs.

CAPVT III.

De triplici dicendi genere apud ueteres, & quo maximè ſtilo uſi ſunt Romani, Hiſpani & Punici authores ex Mirandulæ ſententia.

VErſatus ſum nuper cum Pico Mirãdula, uiro & ingenio magno, & doctrina multiplici, cũ quo non dixerim, quanta animi uoluptate de litteris & honeſtis diſciplinis agamus, ueluti cum nup de antiquis ſcriptoribus iudicium faceret, adeò ut nihil dici uerius aut prudẽtius poſſet. Sunt (inquit) apud Latinos plura ſcribendi genera, ſunt qui delectent, ſunt qui doceãt, qui & afficiant, & qui moueant. Sunt etiam, qui plura ex his, & qui pauciora conſequantur. Sed enim fuerunt (inquit) non pauci, in quibus Romana, & elegans elocutio. Alij rurſus, ueluti municipes & agreſtes, quaſi ſub alio cælo ſermonem didicerint. Romani omnes in ſuo genere preſſi, elegantes, & proprij, ut Iulius cæſar, M. Cicero, Salluſtius, Q. Curtius, Liuius, Iunius Columella, & Cor. Tacitus. Hiſpani autem florentes, acuti. Et qui ad peregrinum inclinent, ſicuti Fab. Quintilianus: Hilarius, & Anneus Seneca. Suetoniũ, his & Pliniũ addebat, quòd eſſent in ſcribendo ſimileis, figuriſq; & Græcis uocibus cupidius ac inſolenter uterentur, quod & maximè Hiſpanis ingenijs propriũ. Punici & Carthaginienſes, duri, audaces, improbi, ut Florens Tertullianus, Apuleius, Ciprianus, & Capella. Priores (inquit) Romanum ius ſeruarunt, ac nulla prorſus uitia in ſermone admiſerunt, ſequentes ab his declinarunt, tertij palàm aberrantes, uirtuti uitium prætulerunt. De Gallicis (inquit Picus) ingenijs non loquendũ, ut de Caſſiodòro, Apollinare, Fulgentio, qui mythologica luſit. De Enodio item ac cæteris, quorum cõmentarij aſpiciendi ſunt, nõ probandi. Hæc mecum Mirandula in Marciana bibliotheca Florẽtiæ diſſeruit.

CAPVT IIII.

De falſitate oraculorum, quòd ad principum nutum ferebantur exemplo Philippi Macedonis, ut Demoſthenes & alij probarunt.

DActus eſt liber à Plutarcho philoſopho de falſitate oraculorum, quòd ea uidelicet non modò ficta ac falſa forent, ſed interdum etiã ridicula, hominumq́ commentis temerè comprobata. Demoſthenes autem uir ingenio acri & callido, prudenter dicebat, cum fraudes, ac deceptiones oraculorum uideret, Pythiam quidem ſuo tempore φιλιππίζειν. Quòd ea ſcilicet imperio, ac nutu Philippi regis à ſacerdotibus Delphicis promerentur, quæ cum eiuſdem animo, ac libidine congruerẽt, In quo facilè poſſumus cognoſſe, antiquiores illos, præſertimq́ doctrinis, & prudentia excultos, neutiquàm iſtis deceptionibus fidem habuiſſe. Nam & illud quoq́ reſpõſum ex Delphico (ut aiunt) de rege Pyrrho: φιλιππίζειν.

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

falſum omnino M. Cicero affirmauit, adhibitis etiam rationibus, cur ita demum referret. Primò (inquit) nunquàm eſt Apollo Latinè locutus. Deinde etiam ſors hæc Græcis quidem inaudita eſt, ſed & Pyrrhi tempore, Apollo ipſe uerſus facere deſiderat. Hactenus Cicero. Sed enĩ potius id poëta Ennius pro tempore cõfinxit, quoniam ſit poëtis ipſis conceſſum, nõ modò fingere aliquid, ſed mentiri etiam & falſa dicere. Itaq́ meritò ab eodem Cicerone dictum eſt, apertè quidem conuincitur, cætera omnia Delphica parum ſincera fuiſſe, quod itidem à pleriſq́ philoſophorum copioſè ſcimus aſſertum, ut diligenter Pamphilus Euſebius ad epiſcopum Theodórum demonſtrat.

CAPVT.

CAPVT V.

Annei Senecæ locus in epiſtolis expoſitus, de meta ſudante in urbe Roma: ac de Pub. Victore: qui de regionibus urbis ſcripſit.

IN epiſtolis Annei Senecæ ad Lucilium uerba hæc ſunt: Eſſedas tranſcurrenteis pono, & fabrum inquilinum: & ferrarium uicinum, aut hunc qui ad metam ſudantem tubas experitur & tibias: neq; cantat, ſed exclamat. Quo loco, quid intelligamus metam ſudantem, uiri olim doctiores quæſierũt. Sed nihil tum inuentum eſt, aut prolatum, quod hoc ipſum ſatis exponeret. Sciendum autem locum ipſum in Romana urbe fuiſſe: ita ex re appellatum, nam metæ quidem in urbe & metulæ (ut grammatici probant) lapides erant, quaſi coni extantes: ita enim Græcè poſſunt appellari, quoniam meta eſt, perinde ac turbo inuerſus, cuiuſmodi effigies adhuc in cõpitis ſpectantur, quæ ad inſtar cylindri propemodum ſunt. Erat autem locus hic, quem metam ſudantem Seneca uocat, in regione urbis quarta, in qua Templum pacis. Saburra itidem, Sandalariũ, & Horrea caſtanearia: ſicut à Pub. Victore traditum eſt, qui in nouendecim urbis regionibus, ea propè omnia refert, quę ſcitu digna & memoria uiſerẽtur, & ſi magis hæc ipſa Victor nominat, quàm explicat: ſic ut breuiariũ Rom. urbis, & qua locorum κεφάλαιον uideatur. Quod & Bernardus noſter Oricellarius putat, qui Pub. ipſum non modò aſſidua obſeruatiõe exponit, ſed urbis totius ambitum, ſitum, magnitudinem, ac parteis pari diligentia & ſtudio exequitur: collectis ferè his omnibus, quæ ad hoc abſoluendum pertinerent.

CAPVT VI.

De Milonis Crothonienſis robore ex Pauſania, ac de Maximino & Firmo Romanis imperatoribus, quo robore & qua forma fuerint.

COmplura paſſim leguntur in antiquorum monumentis de Milone Crothonienſi, & eius clariſſimis geſtis & robore, ſed apud unum tamen Pauſaniam ea referuntur in Heliacis, quæ mirificam ſanè penè& prodigioſam uiri fortitudinem arguant, quod ego ſubijciendum putaui. Is igitur Milo ex oppido Crothone fuit, & in athletica præſtitit, ita malum punicum tenebat, ut nemo illi è manu extorqueret, aut digitum corrigeret, cum is tamen nullibi malum læderet. Idem diſco uncto inſidens, à nullo diſtrahi poterat. Vnde & C. Plinius inquit, quòd is, cũ ſemel cõſtitiſſet, nemo eũ è ueſtigio educebat: ſed & chordam fronti ueluti coronam alligans, retento ſpiritu, uenis plenis firmabat. Itaq; Maximinum cæſarem Auguſtũ (qui Thrax fuit) Milonem Crothoniaten uulgò appellarunt, quòd is manibus hamaxas traheret, rhedam onuſtam propelleret, aliaq; ſupra fidem permulta efficeret, de quibus & Iunius Cordus, & Capitolinus ſcripſerunt. Firmus uerò (quem cæſar Aurelianus latronem Aegyptium uocabat) ut Vopiſcus tradit ad Baſſum, ſtatura fuit ingentĩ, oculis promicantibus, capillo criſpo, fronte uulnerata, uultu fuſco, reliquum corpus piloſus & hiſpidus, ita ut Cyclops uulgò diceretur. Robore ſic inſignis atq; egregius, ut triarium uinceret, nam & incudem pectori ſuperpoſitã, tundentibus alijs, conſtanter pertulit, cum ipſe reſupinus, & in manus curuatus, pendere potius, quàm iacere uideretur.

CAPVT VII.

De his, qui fœcundiores fuerint, ad prolem procreandam, ac Proculi Augu. uerba de ingenti eiuſdem libidine.

Mirum eſt quod ab antiquis traditur, de quorundam multiplici, & numeroſa ſobole, in quorum numero etiã reponit Artaxerxes ille Perſarum rex. Is enim cxv. filios habuit, ex quibus quinquaginta in eius necem cõſpirantes, eum occiderũt. Vt minus id ferendũ uideat̃, cum ex tanto numero, nullus (ut inquit Trogus) repertus ſit, quẽ à tam impio, ac nefando ſcelere patris maieſtas, aut pietas reuocarit. Quin & Eutyche xxx. quidẽ peperit filios, ſicuti à ueteribus ſcriptũ eſt. Nam Gneus Pompeius in theatri ornamentis, cũ mirabiles rerũ, hominumq́; effigies poneret, Eutyches ſimulacrũ cõſtituit. Hæc enĩ à xx. liberis in rogum eſt illata: ſicuti C. Plinius ad Veſpaſianũ Auguſtum refert. Proculus autẽ cæſ. centũ Sarmathas uirgines (quæ in bello captæ ſunt) intra dies xv. ut ipſe gloriabat̃, grauidas reddidit, adeò libidini ac nequitiæ deditus fuit, quod etiam Flauius Vopiſcus de eo teſtat̃. Sed apponã uerba eiuſdem Proculi impera. ad Metianum: Centum (inquit) ex Sarmathia uirgines cepi, ex his una nocte decem iniui, omneis tamen, quod in me erat, intra dies xv. mulieres reddidi.

Artaxerxes. *Eutyche.*

CAPVT VIII.

De xii. Romanis dijs, & eorum nominibus, qui ſingulis menſibus apud ueteres præponerentur ex antiquo marmore, ac Ennij carmen additum:

Incidi nuper in monimenta quædã Romanæ uetuſtatis, in quibus & ratio, & ordo Romani anni deprehẽdi, quibus uidelicet ferijs, aut etiam dijs ſacra eſſent peragenda. Sed quod imprimis me tenuit, repertum ibidem eſt, ſingulis quidem mẽſibus, ſuos quaſi

quaſi deos,ac numina aſſignari,in quorũ tutelam referrentur. Ex quo perſæpe etiam legitur xii.dijs aras fuiſſe in urbe cõſtructas,quod alibi copioſè diſſerui:nunc uerò eum ſubijciam ordinem,qualis in his faſtorũ monimentis repetitur, quæ uel Põponius Lætus,uir antiquitatis ſtudioſus ad Laurentiũ Medicẽ Florentiam miſit:Ianuarius, in tutela Iunonis,Februarius Neptuni,Martius Mineruæ,Aprilis Veneris,Maius Apollinis,Iunius Mercurij,Iulius,Iouis, Auguſtus Cereris, Septẽber Vulcani,October Martis, Nouember Dianæ, December Veſtæ. Quæ obſeruatio ad eorum quoq; commentarios pertinet, qui faſtorum & annaliũ hiſtoriam explicant. Q.uerò Ennius poëta diſticho etiam nobili xii. deos complexus eſt,quos alij patrios & penateis, Varro urbanos appellat,quorũ imagines ad forum (ut inquit) dicatæ uiſerent̃:vi. mares & fœminæ totidem,ut à Capella Martiano & L. Apuleio refertur.

Iuno,Veſta,Minerua,Cereſq;,Diana,Venus, Mars:
Mercurius,Iouis,Neptunus,Vulcanus,Apollo.

CAPVT IX.

Veterum poëtarum carmen relatum contra Caldæos,& ariolos, & qua ratione minimè ſit illis adhibenda fides,ex ſententia philoſophi Phauorini.

LIbitum mihi in ocio agenti, ueterum poëtarũ carmen referre,contra diuinaculos,& ariolos iſtos, qui & Caldæi à Romanis,& Planetarij uocant̃, ut intelligamus fuiſſe iſtiuſmodi homines ab antiquis maximè deriſos,atq; exploſos, ſubijciam uerò ſenarios aliquot ex Accij,Ennij,& Pacuuij fabulis, cũ quia uenuſti admodum, & elegantes ſunt,tum quòd in his alicubi deprauatæ uoces, ac perperàm collocatæ,ſenſum deturbant, ut non cuiúſque ſit eorum elegantias ac feſtiuitates

percipere, niſi paulò attentius perlegãtur. In libris igitur M. Ciceronis (qui de diuinatione inſcibuntur) Pacuuianum hoc ex tragœdia Chriſyppo inuenies:

Nam iſtos, qui linguam auium intelligunt,
Pluſq; ex alieno iecore ſapiunt quàm ſuo:
Magis audiendum, quàm auſcultandum cenſeo.

Quin & ipſe Q. Ennius, ut apud eundem Ciceronem, ſic eorum improbitatem detexit:

Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant uiam:
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam ipſi petunt:
De his diuitijs ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Neq; minus elegãter Accius poëta in ſcribendis tragœdijs ſummus, ut in Atticis legitur.

Nil (inquit) *credo auguribus, qui aureis uerbis diuitant*
Alienas, ſuas ut auro locupletent domos.

Etenim Phauorinus philoſophus, qui Pyrroniorũ libros pluris compoſuit, contra iſtos quidem Caldæos, in hunc modum lepidè concludebat. Aut aduerſa (inquit) euentura dicunt, aut proſpera. Si proſpera, & fallunt, miſer fias fruſtra expectandos. Si aduerſa dicant, & mentiantur, miſer fias fruſtra timendo. Si uera reſpondent, eaq; ſunt, non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, ante quàm è fato fias. Si felicia promittũt, eaq; uentura ſunt, tum planè duo erũt incõmoda, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto utendum eſſe dicebat iſtiuſmodi hominibus, qui uanis præſtigijs, ac ſycophantijs imponunt atq; decipiunt, quos etiam Gellius uir graui conſilio in rebus humanis eruſcatores improbos, & ſycophantas appellat: ex quo Lycus ille Plautinus in Pœnulo comœdia q lepidiſſimè inquit:

Heu heu quàm ego habui ariolos haruſpices:
Qui ſi quid boni promittunt, pro ſpiſſo euenit.

Id quod

Id quod mali promittunt, præſentarium eſt.

CAPVT XI.

De crimine Scopeliſmi in Arabia, & locus apud iureconſultos emendatus, ac leges item contra eos, qui limites ac terminos extrahunt.

IN libris digeſtorum, ſeu pandectarũ uerba hæc Vlpiani ſunt, in quibus mentio habetur criminis, quod in Arabia prouincia Scopeliſmus uocitat. Sed hoc ipſum uerbum ex codicibus iſtis uulgatioribus ſublatum eſt, ac pro eo etiam, quod eſt minus ferendum, adulterinam quoq; uocem ſuppoſuerunt: ita, ut ſpacium interdictum inſeruerint, ratione tam inepta, quàm impudenti. Sed libitum eſt locum hunc reſtituere, ne quantum in me ſit, noſtris iureconſultis non ſatisfaciam, quanq; ſunt adeò quidam à bonis litteris alieni, adeò litteratis omnibus malè affecti, ut ſi qui maiorem elegantiam profitentur in Romanis diſciplinis, ingenioq; nõ uulgari ſunt, inſectantur eos, atq; dictis contumacibus accuſent. Sed nos eorum (quod ait Plancus) orationes præterfluere ſinemus, neq; enim tales ſunt, ut in profeſſione hac meliorum litterarum admodum profecerint. Itaq; ſi quãdo in aciem ueniunt, aut tumultuantur quidem, aut relicto preſidio fugã capeſſunt. Verùm de his aliâs, in pandectis igitur illis archetypis (quæ Florẽtiæ aſſeruantur in Palatina curia) ſic legitur: Sunt quædam, quæ more prouinciarum coërcitationẽ ſolent admittere, ut puta in prouincia Arabia σκοπελισμὸν crimen appellant, cuius rei admiſſum tale eſt: plerìq; inimicorum ſolent prædium inimici σκοπελίζειν, id eſt, lapides ponere, indicio futuros, quòd is, qui eum agrum coluiſſet, malo letho periturus eſſet, inſidijs eorũ, qui ſcopulos poſuiſſent, quæ res tantum habet timoris, ut nemo ad eum agrũ accedere auderet, crudelitatem timens eorum, qui ſcopeliſmon fecerint: hanc

rem præſides exequi ſolent grauiter uſq; ad pœnam capitis, quia & ipſa res mortem comminatur. Sed enim Romani quoq; illi uetuſtiores (quos Ennius poëta Caſcos appellauit) acerrimis pœnis contra eos uindicabant, qui agrorum fineis ac terminos exemiſſent, aut loco mutaſſent, quod imprimis Numæ regis inſtituta, & leges probant, in quibus uir egregiè prudens ſtatuit, licere omnibus tanquàm ſacrilegum eũ occidere, qui uiolare ius termini auſus eſſet. Quod & Dionyſius Halicarnaſſeus in hiſtoria Rom. antiquitatis copioſè explicat, unde etiam uerſus ex antiquis legibus:

Qui ſecus ſaxis, & terminum exaraſſit.
Ipſus & boues ſacri ſunto.

CAPVT XI.

De authoritate maxima imperij Romani, & epiſtola Belſolis regis aſcripta de Valeriano caeſ. Auguſto capto.

HAud alienum mihi uiſum eſt, ſi ex Belſolis regis epiſtola exponamus, quàm ſancta olim, quanq; inuiolabilis Rom. imperij dignitas cenſeretur, apud externos etiam principes, cum uel capto cæſ. Valeriano, Romanũ tamen nomen, maximis regibus & uenerationi, æquè & terrori fuerit. Probant hoc ipſum, cũ alia cõplura, quæ in ueterum hiſtorijs continetur, tum illud quod eſt Belſolis regis epiſtola, de Valeriano imperatore quem Sapor Perſarum rex, tum fortè pro uictoriæ iure inter captiuos retinebat. Sed aſcribemus epiſtolam ipſam Belſolis, ut apud Trebellum Pollionem habetur, in libro ad imperatorem Conſtantinum. Belſolis rex regum Sapori regi, S. Si ſcirem poſſe Romanos aliquado penitus uinci, plurimùm tibi gratularer de uictoria quam ꝑferres. Sed

quia

quia uel fato, uel uirtute gens illa plurimùm poteſt, uide ne quod ſenem imperatorem cepiſti, & id quidem fraude, malè tibi cedat. Illud prætereà cogita: quantas genteis Romani & ex tuis hoſtibus, ſuas fecerint, à quibus ſæpe uicti ſunt. Audiuimus certè quòd Galli eos uicerunt, & ingentem illam urbem incenderūt. Certè Galli Romanis ſeruiūt, quòd Aphri, eos nónne uicerūt? certe ſeruiunt Romanis. De longioribus exemplis & fortaſſe remotioribus nihil dico. Mithridates Ponticus totam Aſiam tenuit, certè uictus eſt, certè Aſia Romanorum eſt, ſi meum conſiliū requiritis. Vtere occaſione pacis, & Valerianum ſuis redde. Ego gratulor felicitati tuæ, ſi tamen illa uti tu ſcias. Quin & Arthabeſdis lit
Arthabeſdis.
teræ extant regis Armeniorum, in quibus Rom. quoq; imperium, ſic uiſus eſt defendere, ut imperatorem Valerianū à Sapore captum liberius repeteret. Ita enim in extrema epiſtola ſcriptum eſt: Vnum cepiſti ſenem, & omneis genteis orbis terrarum infeſtiſſimas tibi feciſti. Ad hunc propè modum, & rex Caduſiorum, ad Saporem ſcripſit, ut apertiſſimè conſtare poſſit, quàm ſumma in ueneratione ubiq; gentiū haberetur Romana illa maieſtas, uel in maximis rerum atq; fortunæ periculis.

CAPVT XII.

De fulminitis, & fulguritis arboribus, ac de Ioue fulguratore, & tonitruali in libris aruſpicum, aliaq́; ibidem addita de fulminibus.

FVlminitæ, & fulguritæ arbores in aruſpicū libris appellatæ ſunt, qđ eſſent fulmine ictæ. Quocirca fulminitū (inquit Feſtus) eū locū dixerūt, q religiōe ſacer haberet̃: quoniā dicaſſe illū Iupiter
Fulminitum.
fulminator ſibi uideat̃. Ad hęc em̄ loca hi accedebāt, qbuſdā

ſacris

ſacris adhibitis, qui fulguratores, hoc eſt fulminum procuratores uocabantur. Hinc illud in Satyris Perſianis:

Triſte iaces lucis: euitandumq; bidental.

De his uerò ſacris, quæ ad arbores fulguritas fierent, non nihil comperias in Feſti commentarijs. Sed & citantur à noſtris grammaticis libri de fulguritis arboribus, qui cum Martijs atq; Sibyllinis ſeruarentur in templo Apollinis. De Ioue autem fulminatore & fulguratore (ut alia mittamus) ſic L. Apuleius in libro de mundo ad Fauſtinum. Cum ſit unus deus, idemq; numen, pluribus quidem nominibus propter ſpecierũ multitudinẽ, quarũ diuerſitate fit, multifc rmis, nã à iuuando Iupiter dicitur, quem ζηνα Græci (quod uitæ noſtræ author ſit) rectiſſimè appellant. Idem fulgurator & tonitrualis, & fulminator, ac ſerenator dicitur. Plures frugiferum uocant, multi, urbis cuſtodem, alij hoſpitalem, amicalemq;, ut apud aruſpices & Romanos ueteres inuenies. Ex his facilè intelligitur, fuiſſe in Ethruſcorum commentarijs, fulguratorem Iouem, ac tonitrualem celebratum, ut alibi diximus. C. quoq; Plinius uir in conſiderandis atq; cognoſcendis naturæ uiribus præcipuè accuratus, uulnera tradit fulminitorum frigidiora eſſe reliquo corpore. Et apud Romanos religione cautum fuiſſe, uti cadauera fulmine icta, humo iniecta conderentur, quòd ea cremari nefas haberetur.

CAPVT XIII.

Quæ ſit lex annaria in ueterum ſcriptis, & quid hoc uerbum æuitas ſignificet in XII tabulis.

LEgem annalem & annariam ueteres idcirco appellarunt, quòd ea cautum foret de æuitate, ac de annis, hoc eſt, qua ætate, quibusq́ temporibus, capiẽdi magiſtratus, atq́ habendi poteſtas foret, qualis illa traditur de ſenatoribus, ut ab omni ſenatus munere uacarent, qui annũ uitæ ſexageſimũ abſoluiſſent. Item de militibus, ne ſupra quinquageſimum annum militiæ ſacramento tenerentur. Sic enim apud iureconſultos habetur, de hac lege annaria & in collectaneis Sexti Pompeij mentio habetur. In capiendis uerò magiſtratibus decennium ex lege interpoſitum erat, ne cuiquam eadem dignitas traderetur, ſiquidem ad hunc modum in antiquiſſimis legibus ſertum eſt. *Acuitatem annali lege ſeruanto.*
Eundem magiſtratum ni interfuerint x anni, nequis capito. Vocabulum hoc quod eſt æuitas, pro ſenio exponendũ eſt, cum iam prouectiores homines ſunt, & quaſi capulares, ut uerbo utamur Plautino. Eſt autem ex duodecim tabulis acceptum, ut in ea lege continetur, qua de iumento, & arcera agebatur.

Si in ius uocat (inquit) *ſi morbus æuitásue uitium eſt:*
Qui in ius uocaſit, iumentum dato:
Si nolet arceram inſternito.

De qua lege plura diſſeruit Sextus Cecilius iuriſconſultus, qui Hadriani ætate uixit in ſumma nominis celebritate.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. NONVS.

CAPVT I.

De magia Dardani,eiusq́; libris è ſepulcro à Democrito erutis,ac de Græcis philoſophis,qui ad Aegyptios perrexerunt.

NOtum eſt regem Numam (qui leges Romanis condidit)libros xii ſcripſiſſe,partim Græcè (ut tradit̃) partim Latinè, in quibus Pythagorica ſacra,& pontificalia continerent̃, eosq́ uoluiſſe in monumẽto etiã ſuo recondi,ne in uulgus credo & propalã,quę arcana & ſacra erant,deuenirent. Qua in re Pythagoræ ſecutus eſt diſciplinã,quæ profanũ uulgus longè arceret. Sed exemplo ſimili relatũ de Dardano,qui cum egregiè in magicis artibus præſtaret, libros à ſe conſcriptos, in ſepulchro fertur conſtituiſſe, quos Abderites Democritus, uir ſagacis ingenij in perſcrutandis naturæ uiribus,diligentiſſimè requiſiuit, tum cõmentarijs æditis illuſtrauit, diſciplinãq́ ex illis reconditã,atq́ multiplicẽ accepit,quod & C.Plinius ad cæſ.Veſpaſianũ teſtatur. Nemo enim ignorat Græcos aliquot ipſos etiam Aegyptios adijſſe,ut tragicam ediſcerent, in quorũ numero eadem propè ætate fuerũt, Agrigentinus Empedocles, Democritus,& Pythagoras, quod & Pamphilus Euſebius,Philoſtratus,& Diodórus,alijq́ permulti referunt,ſuſceptis uerius (ut ait Plinius) ex illis quàm peregrinationibus.Sed hoc multò copioſius in epiſtolicis ſcripſimus.

CAPVT.

CAPVT II.

De Bonoſo imperatore, & eius uinolentia, ac ioculare dictum in eius obitu pendere amphoram, tum de lege ſympoſiaca in potationibus.

AVreliani impera. dictum de Bonoſo celebratur, natum fuiſſe illum, non ut uiuat, ſed ut bibat. Hic igitur Bonoſus, cum Romanorum digni-tas in dies magis amitteretur, imperatoris nomẽ occupauit. Sed cũ bello ſuperatus foret à Probo, ſe ipſum laqueo ſuſpendit. Erat autem Bonoſus ex eo genere homi-num, qui inter pocula, & potationes, uitam conſumunt: ſi-quidem potator fuit egregius, ex quo in eius obitu iocula-re dictum inualuit, Amphoram pendere non hominem, quòd inſtar amphoræ penſilis, præ uino uideretur, quod af-fatim ingurgitauerat. Oneſius tamen Græcus author, eun-dem tradit Bonoſum, uel in uino fuiſſe prudentiorem, tam-etſi bibendi modum longè excederet, quod & Flauius Vo-piſcus recenſet. Lex autem ſympoſiaca de hauriendis pocu lis hæc eſt (ut obiter hoc addatur) ſicuti à ueteribus defini-tum, ut prima uidelicet cratera faciat ad ſitim, ſecunda ad hi laritatem, tertia ad ebrietatem, quarta ad inſaniam: ne quis forte modum aut rationem in bibendo prætereat, cum ipſo quidem uino ſapientia (ueteri prouerbio) obumbretur. Nam & quaternario numero Democritus phyſicus Ab-derites abſtinendum cenſebat, condito uolumine de hoc, non eſſe quaternos cyathos uel ſextarios potandos. Vnde illud forte Auſonianum ex Flacci ſententia: *Ledoria.*

Ter bibe uel toties ternos, ſic myſtica lex eſt:
Vel tria potanti, nec ter tria multiplicanti.

T 2 CAPVT

CAPVT III.

De dijs regionum atq; urbium, quibusq; nominibus appellarentur, ex Tertulliano, Origine, & alijs authoribus.

NOn defuerunt apud Romanos, qui de dijs ac diuinitate permulta ſolerti animo conquiſierint, ac æditis etiam commentarijs explicarint, in quibus cũ primis celebres ſunt, Nigidius Figulus, Var. Terentius, & Val. Soranus, qui & in pontificio iure, ac philoſophiæ decretis, maximè incubuerunt, quod Auguſtinus & Hieronymus abundè affirmant. Nos uerò eam nunc partem de dijs duximus referendã, quæ in quaq; regione, atq; urbibus, & oppidis proprios lareis ac deos aſſignat. Putarũt enim ueteres (ut eſt author L. Apuleius) ſuis regionibus deos aſcribendos, quàm Fanis, & cerimonijs poſſent admitti, ut in Bœotia Amphiaraus, in Aphrica Mopſus, in Aegypto Oſiris. Et ubiq; Aeſculapius. Sed hæc multò copioſius à Diodoro, & Macrobio exponuntur. Origenes autẽ Adamantius, in cõmentarijs contra Celſum: Minimè (inquit) iniquũ eſt, ſuum quemq; numen legittimè colere, etſi pluribus inter ſe ritibus & cerimonijs differunt. Nam Aethiopũ populi (qui Meroēn habitant) Iouem duntaxat (inquit) & Bacchum colunt. Vraniam Arabes & Bacchum, Oſirim Aegyptij omnes & Iſidem, Mineruam Saytæ. Naucratitæ uerò ex ritu uetuſtiore, Serapin ſuum nomen cœperũt nuncupare, quod etiam pluribus à Tertulliano explicatur, uiro (ut apparet) in quaq; doctrina excellenti, eo maximè loco, quo de ueterum dijs atq; numinibus hiſtoriam refert. Vnicuiq; (inquit) prouinciæ & ciuitati ſuus deus eſt, ut Syriæ Aſtartes, ut Arabię Diaſares, ut Norici Tibilenus, ut Aphricæ Cæleſtus, ut Mauritaniæ ſui reguli. Dein uerò & in Italia (inquit) municipali conſecratione, alij cenſentur dij, Cru-

ſtuminenſium

ſtuminenſiũ Deluentinus, Narnienſium Viridianus, Aeſculanorum Ancharia, Voſinenſium Norcia, Orieulanorum Valentia, Sutrinorum Murcia, Phaliſcorum Curis in honore patris, unde accepit cognomen Iuno. Qua in re nõ minorem ſuperſtitionem arguunt, quàm falſam, ineptamq́ improbitatẽ. Sed hæc ſatis: nolo enim ea repetere, quæ alibi commodius explicaui.

CAPVT IIII.

Anacreontis carmen aſcriptum quàm uenuſtiſsimum de poculo, & in Latinos nnmeros conuerſum, quod apud Gellium deprauatum eſt.

Celebratur maximè inter Græcorum delitias Anacreontis poëtæ carmen, ut uenuſtum, elegans, & perlepidum, quo eroticós exprimit, cuiuſmodi poculum fieri ſibi expetat, ut in eo uidelicet non armatos duces, non cæli ſigna, Pleiades uel Bootem requirat, ſed Veneres, ſed amores, ſed racemos, & Bacchum, eſt auem hoc prorſus:

Οὔ μοι μέλει γύγεω
Τῶν σαρδίων ἄνακτος.
Οὐδ' αἱρέει με χρυσός.
Οὐδὲ φθόνῳ τυράννοις.
Ἐμοὶ μέλει μύροισι
Καταβρέχειν ὑπήνην.
Ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι
Καταστέφειν κάρηνα.
Τὸ σήμερον μέλει μοι·
Τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε.
Τὸν ἄργυρον τορνεύσας
Ἥφαιστέ μοι ποίησον.
Ποτήριον δὲ κοῖλον
Ὅσον δύνῃ βάθυνον.
Ποίει δέ μοι κατ' αὐτὸ
Μήδ' ἄστρα μήδ' ἄμαξαν
Μὴ στυγνὸν ὠρίωνα.
Ἀνὰ ἀμπέλους χλοώσας.
Καὶ βότρυας † γελῶντας
† Σὺν τῷ καλῷ λυαίῳ.

† κατ' αὐτὸ
† ὁμοῦ καλῶς.

Quod ego propterea putaui referendum, ut facilius emendari poſſit in Gellianis noctibus, quo loco Romanas ueneres, cum Græcorum delitijs commiſit. Ibi enim deprauatũ id carmen, atq́ improbè uiolatum eſt, nos olim Anacreonteum id pro arbitrio noſtro expreſſimus his numeris quales uulgò leguntur Laberiani.

T 5 Non

Non mi cupio aurum, non diuites diuitias:
Non ſceptra curo minitantium principum,
Nil ad me triumphantes cum decoris faſcibus.
Nil inſtructæ acies, armis præfulgentibus:
Mihi eſt uiuendum, teneris in amoribus:
Mi ſunt delitiæ, & ſuaue olentia ſuauia.
Viuamus hodie, uiuamus dum licet:
Lætiq; carpamus, quicquid id eſt boni.
Libet nunc crines liquidis perfundere odoribus:
Interq; iocos agere, & lepidas ueneres.
Quin tu age Vulcane potens, mulciber ignee
Excude mi amplum, inſigne argenteum cymbium.
Inq; eo non mi aſtra, non Bootem, non Pleiadas.
Non Martem ferreum, non cruenta prælia.
Quid cum ſideribus, cum Marte, cum bellis mihi?
Sed intus cude Bromium uino madidum:
Viteisq; molleis, & frondenteis palmites:
Racemosq;, & fluenteis uirideis hederas:
Amoremq; ſpirantem calores undiq;.

CAPVT V.

De magia Aegyptiorum, & qui in ea præſliterunt, ac de XXXVI dæmonibus, & qua poteſtate pollcant.

DE magica, quæ apud Aegyptios populos celebrata ſit, permulti apud ueteres ſcripſerũt. Nam & Græcorum quidam ad eam perdiſcendam, illuc enauigarunt, quo facilius, atq; copioſius de ea referrent. Nec enim latet eiuſmodi fuiſſe hanc diſciplinam, uti dæmonum uiribus, & quibuſdam uelut incantationibus miracula ferè ac prodigia efficerent, quod ex ueterũ commentarijs intelligitur. Eius autem originem C. Plinius ad Moſem & Latopelam rettulit, in qua (ut traditur) Salomon,

mon, Doſitheus, Simon Samareus, Theudas, Etham, Calgales, Dardanus, aliíq́ complures præſtiterunt. Ex Græcis, Hoſtanes, Damigeron, Pythagoras, Democritus, Apollonius. Ex his commentarios quidam fecerunt, quo hanc partem plenius excolerent, atq; humano corpori medelas deferrent, quod ipſi magices authores, certis genijs, ac dæmonibus aſſignant: ſicuti Celſus Aphricanus in his libris teſtatus eſt, quos infando titulo cōtra Chriſtum compoſui. Aegyptij (inquit) ipſi, qui magicen maximè coluerunt, tradunt humanum corpus per ſex & triginta dæmones curari, ex quibus alius dæmon, aliam ſibi partem & portionem ſuſcipit, eiusq́ tutelæ ſe dedicat. Quin & eorum nomina, patria uoce appellāt, quibus inuocationibus uiciatas corporis parteis, ad ſanitatē referre ſoleant. Sed hanc partem & Porphyrius copioſè explicauit, qui Aegyptios quoq; ſycophātas atq; præſtigiatores uocitat. De Salomone autē, ut idem credatur, facit imprimis Ioſephi authoritas, qui & Iudæorum uernaculus, & in omni antiquitate conſideranda diligenter accuratus fuit. Is enim eundem ſcribit Salomonem, non modò rerum omnium atq; animantium naturam, ac uireis calluiſſe, ſed eam prǽtereà ſcientiam, quæ ad poteſtatē dæmonum, atq; incantationes pertineat, quibus (inquit) hominum morbi, & ægritudines leniri atq; curari ſoleant. In hac uerò magica & anulum adhiberi & peluets, aliaq́; ſacra idem Ioſephus author eſt, in qua Iudæū quoq; Eleazarum dicit maximè celebrem fuiſſe Veſpaſianis Auguſtis imperantibus.

Aegyptij ſycophantæ.

Iudæus Eleazar.

CAPVT

CAPVT VI.

Non eſſe uiri prudentis in humanis conſidere, & exemplum nobile de iniquiſſima fortuna Belliſarij ducis.

SErmo nuper habitus eſt à uiris prudẽtioribus, de fortunæ poteſtate & uiribus, quæ pro libidine omnia humana agit ac uerſat. Sed inter alia multa exemplum de Belliſario duce maximo prolatum eſt, quod equidem non putaui prætermittendum, cum ætate quoq; noſtra (in qua totius Italiæ principes uarijs paſſim cladibus agitãtur) paria quædã prope aſpiciamus. Belliſarius igitur (ut à Procopio & alijs relatum eſt) uir quidem geſtis, & animo maximus, ſæpius uictor ac triumphator fuit: qui Iuſtiani Auguſti imperiũ ſuis auſpicijs firmauit. Vandalos populos deleuit, de Perſis triumphauit. Italiamq;, & urbem Romã, à barbaris, & crudeliſſima cæde non ſemel liberauit. Tandem uerò poſt multas uictorias, ac peractos triumphos cæcatus ab imperatore fuit, eidẽq; oculi crudeliter exẽpti. Neq; ob aliam cauſam, quàm propter liuoris improbatitatem: qui uelut ignis alta ſemper & ardua petit. Cui ut ad plenum ſatiſfaceret, in tam graui, tanq; iniqua fortuna oppreſſus, tuguriolum ſibi propter uiam conſtitui fecit, in quo nummulos ad uictum quæritans, uitæ reliquum tranſigeret, dictitans hoc ſubinde prætereuntibus: Viator concede obolum Belliſario, quem liuor, non error cæcauit. Adeò nihil in humanis melius, quàm nihil boni ſperare, quod illa etiam perquàm nobilis Sidonij acclamatio commonet de miſera mortalium conditione: O neceſſitas abiecta naſcendi, uiuendi miſera, duriſſima moriendi. Sed hoc alibi de Belliſario commodius diximus.

CAPVT. VII.

De multiplici cauſa terræmotus, & Neptuni poteſtate, tum de terræmotu maximo, qui Tiberio imperante in Aſia euenerit.

NOn pauci apud ueteres Græcos celebrãtur, qui de motu terrarũ, & cauſis copioſè ſcripſerũt: neq; philoſophi minus, quã hiſtoriæ authores: ſicuti apud nos etiã C. Plinius, Anneus Sen. & Marcellinus. Neq; dubiũ reliquerũt, uarias dici cauſas, unde iſtiuſmodi tẽrarũ motus naſcanẽ: nam Caldæi quidẽ & Babilonij totũ hoc ſideribus aſſignant. Philoſophi aũt pleriq; flatibus & aquis, quòd hæc uiſceribus terræ incluſa, dũ nitãtur prorũpere, motus iſtos, & hiatus generent. Ex quo Neptunũ quoq; ipſum Græcorũ uetuſtiſſimi, ennoſigæũ & ſicyctθona appellarũt: nã & Probus Valerius ex authoritate M. Varr. tris præcipuè cauſas probat, quibus terræ tremores eueniãt. Aiunt eñ uentis in terræ uiſceribus occluſis, exitũq; requirentibus, fundamẽta cõcuti, & his labefactis, ſuperiora cõtremere. Aut etiã ex igne, quẽ terræ ineſſe, mons Aethna, & alij teſtanẽ. Exuſta eñ occidũt, nec ſine ſonitu & tremore ſubſidunt. Tertio ex aquis, quæ quodcũq; ſuſtinẽt, delabi ſenſim in liquorẽ, & ingentibus ruinis terra conſumpta, lacus maximos fieri: q̃d & Claudius Galenus (ut alios mittã) in lib. de hiſtoria philoſophi proſequiẽ. Sed quod in Aſia imperãte Tiberio Auguſto accidit, mirandũ profectò ac penè incredendũ uideẽ, ſiquidẽ terræmotu facto XIII urbes corruerũt, quorũ nomina ſubijciemus, ſicuti etiã in annalibus Pamp. Euſebij notatũ eſt, quos diuus Hieronymus, ut alia multa, in ſermonẽ Latinũ cõuertit. Sũt igiẽ hæ: Magneſia, Epheſus, Sardis, Moſthene, Megara, Cæſarea, Philadelphia, Hymolus, Themis, Cyme, Myrrhina, Apollonia, Dicearchia. Quod etiã ob id referendũ fuit, quoniã & C. Plin. Maximus (inquit) terræ memoria mortalium extitit motus, Tiberij Cæſaris principatu XIII urbibus Aſiæ una nocte proſtratis.

V CA-

CAPVT VIII.

Hiſtoria de Leænæ meretricis conſtantia in tormentis, ac Tertulliani uerba expoſita, tum de Theodôro etiam, quàm firmo & conſtanti animo fuerit.

VErba Florentis Tertulliani ſunt, in libro, qui apologeticus contra gentileis inſcribitur: Ecce (inquit) & tormentorũ certamina à uobis coronantur, Attica meretrix, carnifice iam fatigato: poſtremo linguã ſuam in faciem ſæuiẽtis tyranni expuit, ut expueret & uocem, ne coniuratos cõfiteri poſſet, ſi etiã uicta uoluiſſet. In quibus hiſtoria latenter notatur de Leæna meretrice, & Hipparcho Athenienſium tyranno: nam Olympiade quidem ſexageſimaquarta, Hippias & Hipparchus

Hippias. Athenienſiũ tyrannidem occuparũt: ſicuti relatum ab Euſe-
Hipparchus. bio in annalibus, ex quo Harmodius & Ariſtogyton, alijq; cõplures facta conſpiratione Hipparchũ interemerũt. Leæna autẽ meretrix, cum foret illis beniuolentiæ officio maximè coniuncta, capta eſt, ac multis, uarijsq; tormẽtis uexata, ut conſcios atq; coniuratores proderet, ſed illa ut acris animi linguã mordicus amputauit, & in Hippiæ tyranni faciẽ inſpuit, quod & C. Plinius (ut alios mittam) inter memoranda patientiæ exempla rettulit. In fœminis (inquit) Leæna meretrix præſtitit, quæ torta, Harmodium & Ariſtogyto-
Anaxarchides nem tyrannicidas minimè indicauit. In uiris autem Anaxarchides (ut Zenonem mittamus) qui ſimili propè ratione cum torqueretur, præciſam dentibus linguam in tyranni os expuit. De Theodôro uiro grauiſſimo, eiusq; mirifica conſtantia, notius eſt, quàm ut referri oporteat, qui carnifici traditus, diſcidit uerbera, fidiculas laxauit, ſoluit eculeum, laminas extinxit prius quàm efficeretur, ut conſcios tyrannicidij indicaret, quod à Maximo etiam Valerio in exemplis ueterum ſcriptum eſt.

CAPVT

CAPVT IX.

De Leone imperatore qui edicto cauit, ut omnes imagines è templis ac baſilicis Chriſtianorum delerentur, & epiſtola Valentis & Theodoſij auguſtorum de eadem re appoſita.

RElatum eſt in ueterum annalibus de Leonis Augusti imperio, & eius moribus, quodq; is Theodoſio impe. defuncto in Bizantio urbe (quæ Cōſtantinopolis dicitur) factus imperator, edicto cauit, ut omnes quidem ſanctorum imagines, quæ in Chriſtianorũ fanis ac templis forent, abolerent. Ex quo Romani pontifices, aliarũq; eccleſiarum præfecti acerrimè reſtiterunt, necubi (præterq; in urbe Bizantio) tantũ facinus committeretur. Quoniam ſæuiſſimis pœnis eos homines imperator afficiebat, qui tale edictũ contempſiſſent. Itaq; omnes tunc imagines, atq; ſimulacra, quæ in ſacris Bizantij templis ſpectarentur, concrematæ ſunt. Nec enim pertinere ad religionem putauit adorari cuiuſquam imaginem. Quod & Firmianus Lactantius, Septimiusq;, & alij complures nimium quàm audacter affirmant, quaſi nefarium ſit habere ullas in templis imagines, ueluti etiam Thurcæ in ſua religione cuſtodiunt. Sed libitum eſt uerba ex libris auguſtalibus referre, quo id totum melius innoteſcat, quoniam, & Valens, & Theodoſius Auguſti impera. præfecto prætorio ad hunc modum ſcripſerũt: Cum ſit nobis cura diligens in rebus omnibus ſuperni numinis religionem tueri, ſignum ſaluatoris Chriſti nemini quidem concedimus, coloribus, lapide, aliá ue materia fingere, inſculpere, aut pingere, ſed quocũq; reperitur tolli iubemus, grauiſſima pœna eos mulctando, qui contrariũ decretis noſtris & imperio quicquàm tentauerint. In quo ſi quis fortè authorem deſiderat, is imperatorum decreta & edicta legat, quæ à uiris doctiſſimis

 Tribuniano

Tribuniano, Baſilide, Theophilo, Dioſcoroq́; , & cæteris per ſatyrã collecta ſunt, imperãte hoc maximè Auguſto Iuſtiniano.

CAPVT X.

De Hierophantis Athenienſium ad ſorbitionem cicutæ, ac de Romanis ſacerdotibus, flaminibus, & pontificibus.

SCriptũ eſt ab Hieronymo ſacerdotes illos Athenienſiũ, qui Græcè ἱεροφάνται appellant, quo caſtius in ſacris agerent, diuiniſq́; rebus incumberent, cõſueuiſſe ſorbitione cicutæ ſe ipſos caſtrari. Vbi uerò ad pontificis dignitatẽ fuerãt electi, uiri eſſe deſinebant, ne qd in eis foret, aut ad uoluptatẽ, aut ad turpiorẽ libidinẽ, quæ res ad ipſa etiã Cõſtantinorũ Augu. tempora (ut authores conſentiũt) durabat. Nã & idẽ refert Hierony. de Rom. religione, nullũ quidẽ ſacerdotẽ apud Romanos fuiſſe bigamũ nullũq́; flaminẽ bimaritũ. Põtifices aũt uiros & nobiliſſimos & ſanctiſſimos, quorũ præcipua hæc cura & ſtudiũ fuit, diligenter attendere, ne quid cõtra mores & religionis cultũ fieret. Itaq́; ſic in pontificalibus ſcriptum:

Ex patrijs ritubus colunto optima:
Inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto.

Quod à nobis diligẽtius eſt conſiderandũ, ex his ſacerdotibus, eorumq́; uita & moribus, qui in Chriſtianis ſacris, ætate noſtra omne genus libidinũ atq; nequitiæ exercent.

CAPVT XI.

Quàm egregia, ſingulariq́; doctrina præſtiterit Mercurius Aegyptius in rebus diuinis, ac eiuſdem uerba aſcripta de deo, de mente, & de animis in libro de ſapientia dei.

QVo plura de Mercurio à nobis perquiruntur, eò maiora atq; diuiniora uideri ſolent, ſic ut Firmiani ſententiæ magnopere accedamus, qui per ſæpe hunc ipſum aſſerit, rerum propè omnium ſupra

cæteros

cæteros alios ueritatem perſpexiſſe, tum Græcos compluris pleraq; ab eodē Mercurio accepiſſe, quæ de deo, de animis, ac de mundo referuntur. Sed hæc in noſtris theorematis copioſe explicauimus. Nunc illud repetendum exiſtimaui, quod idem Mercurius loquitur ad Tatiū in eo libro qui de ſapientia dei inſcribit: Beatiſſimus (inquit) deus, qui & dæmon optimus dicitur, animam eſſe in corpore aſſerit, mentem in anima, in mēte uerbum, deum autem ipſum, horum omniū eſſe genitorem, ac parentem. Itaq; uerbum, imago, & mens dei eſt, corpus quidem ab idea. Idea uerò anima, & portio puriſſima materiæ aër, aëris anima, animę mens, mentis deus. Deus in omnibus, ad omnia, circa omnia, & per omnia, mens ad animā, anima ad aërem, aër ad materiam. Hactenus Ægyptius Mercurius, in quibus ipſa rerum ueritas non edocetur modò, ſed etiā explicatur, quod & myſteria illa atq; arcana Pythagareorum comprobant.

CAPVT XII.

Qui ſint apud iureconſultos iudices recuperatores in extimandis iniurijs, ac de iudicio recuperatorio copioſè explicatum.

FRequens mentio eſt apud M. Ciceronē, & alios ueteres, de his iudicibus, qui recuperatores à Romanis dicerentur, qua ratione, & recuperatorium iudicium eſt appellatum, quod in cauſis (ut fit) iudicandis, atq; abſoluendis cum recuperatione haberetur de extimandis iniurijs. In hunc autem modum conſtituta eſt à ueteribus, ceu ex iureconſultis ferè colligitur. Forma recuperandi iudicia, ſi quando in aliqua cauſa dolo malo fuiſſet habitum iudiciū, in ea tum re licebat cognitores habere, qui receptam cauſam, maturo iudicio extimarēt. Itaq; creabantur ad id tres iudices, qui recuperandæ cauſæ ergo recuperatores uocabantur, quorum iudicio, atq; exti-

matione, omnis damni illatio atq; iniuria tollebatur. Quæ res ab ipſis iureconſultis copioſè explicat̃. Sex. aũt Põpeius legem recuperatoriã ab Aelio Gallo ſic acceptã tradit, cum inter populũ & reges, nationesq́; & ciuitates peregrinas cõuenit, ut per ipſos recuperatores agatur, de reddendis, recipiendisq́; bonis, quæ ad priuatos pertinerẽt. Gellius recuperatores conſtitutos tradit in his, quæ ad ius referant̃, de iniurijs aſſerendis ac puniendis. Nã miſſa (inquit Gellius) xxv aſſium pœna, factũ eſt à prætoribus, ut in extimãdis iniurijs, recuperatores adhiberent̃. M. autẽ Cicero in cauſa L. Flacci (quem ſociũ & adiutorem conſiliorũ, ac periculorũ ſuorũ uocat) recuperatores conſtitutos refert, qui rem uniuerſam percenſerent: Recuperatores (inquit) contra iſtum, rem minimè dubiã prima actione iudicauerunt. Et paulò mox. Cũ frater meus in Aſiæ præfectura Flacco ſucceſſiſſet, cauſam ita detulit, Recuperatores ui Flacci coactos, atq; metu falſum iudicauiſſe inuitos, frater meus pro ſua æquitate, prudentiaq́; decreuit, ut ſi iudicatum negaret, in duplum iret, ſi metu coactos diceret, haberet eoſdẽ recuperatores. Quam optionẽ recuſauit. Idem Cicero pro A. Cecinna orationem habuit ad recuperatores, in qua perſæpe de his agitur. C. prẽtereà Suetonius à Flauio refert Domitiano Augu. identidẽ admonitos recupatores, ne ſe perfuſorijs aſſertionibus ſemper accõmodarent. Sed & Veſpaſianus pater, Flauiã Domitillam duxit uxorẽ, (ut ab eodẽ Suetonio relatũ eſt) quæ ingenua, & ciuis Roma. pronũciata eſt iudicio recuperatorio aſſerente patre. Neq; illud omittendũ putamus, quod in ueterum notis atq; elogijs obſeruatũ eſt, de iudicio recuperatorio his uerbis: Quãti ea res erit, tantæ pecuniæ iudiciũ recuperatoriũ dabo, teſtibusq́; publicè duntaxat decem denũciandi poteſtatẽ facit. Quæ res ab antiquis notarũ magiſtris ita pſcribi ſolita eſt. Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. P. D. T. D. D. P. F.

L. Flaccus.

CAPVT

CAPVT XIII.

Quàm imprudenter, atq; imperitè ab his erratum ſit, qui ſcirpum acceperunt pro ænigmate, & quod apud authorem Gelliū ſcrupum, non ſcirpum legendum ſit.

IN magno errore uerſati ſunt noſtri ferè omnes grammatici, qui ſcirpum dixerunt pro ænigmate, quod ipſum è Gellianis uerbis acceperunt, in quibus non ſcirpum quidem, ſed ſcrupum erat ſcribendum, ut in ueteribus, ac minus deprauatis reperitur. Sed enim quo pacto illa enodari poſſunt, quæ ſine ullis nodis ſunt, cuiuſmodi ſcirpus haberi debet. Neq; ullus eſt tam hebeti ingenio, tanq; abſurdo iudicio, qui neſcit ipſos ſcirpos uocari enodes, unde illud uetus, cum apud comicos poëtas, tum apud Ennium celebratum hoc carmine:

Quærunt in ſcirpo ſoliti quod dicere nodum.

Scrupus uerò pro ænigmate & ambiguitate ob id à ueteribus acceptus eſt, quòd in eo anxietas quædā, & quaſi aſperitas intelligatur. Quod & Sex. Pompeius in libro de priſcis uerbis undeuigeſimo inſinuat. Scrupos (inquit) pro aſperis ſaxis accipimus, hinc rem ſcrupuloſam dicimus, quæ aliquid in ſe aſperitatis cōtineat. *Res ſcrupuloſa* Proindeq; apud Gellium refertur, uocari à Græcis ferè ænigmata, quæ noſtri ſcrupos dixerunt. Cui ſententiæ ac Benedictus Philologus accedit, uir eruditiſſimus, & in ſtudijs noſtris accuratiſſimè doctus. *Benedictus Philologus* Neq; uiſum eſt hoc loco eos nominare, qui hac in re decepti ſunt. Politianus certè, cum ad authores illum euocarem, ingenuè agnouit errorem, ſed in hoc inquit cæteri ætate noſtra incurrunt.

Finis libri noni commentariorum Petri Criniti.

PEPRI

de Gamaliele in Origenis cõmentarijs comperies, quos uir maximè doctus contra Celſum compoſuit. Sed & Gamaliel ipſe, iudicio & doctrina inſignis apud Hebræos eſt habitus, qui etiam Pauli Tharſenſis præceptor fuit. Vnde eum dixerunt ueteres ad Gamalielis pedes eruditum, ſicuti in Hieronymo legitur, qui Gamalielem hunc, & maximũ uirum atq; doctiſſimũ uocat. Quod Hebræorũ prætereà libri teſtantur.

CAPVT II.

De Narſete eunucho, & Sophiæ Auguſti uerbis ad eum, ac reſponſum Narſetis in fœminæ inſolentiam.

RElata ſunt permulta in ueterũ annalibus de Narſete eunucho, eiusq; maximis geſtis, qui de Carthulario (ut ferunt) non modò patriciam dignitatem eſt conſequutus, ſed Italiæ quoq; uniuerſæ factus præfectus, eam diu obtinuit: & omnis Gotthos, gentem ferociſſimam, ſuperauit. Sed ut res humanæ ſe habent, gloria inuidiam peperit. Ex quo Iuſtinus imperator: & Sophia Auguſti coniunx Narſetem hunc ceperunt inſectari. Itaq; Longinum cum magno exercitu contra eum mittunt. Sophia uerò & inter alia permulta cõuicia, quòd eunuchus foret, hoc addit: ut lanam in gynecio faceret: & penſa diuideret, quibus idem Narſes pari animo reſpondit: talem ſe quidem telam exorſurũ, qualẽ ipſa dũ uiueret nunquã ſatis poſſet explicare. Et ſimul odio (ut fertur) ac metu accenſus, Longobardos, populos in Italiam accerſit, ut relicta Pannonia, ad Italiæ diuitias & prædam accedant, ne quid ad præſidium & ultionem omitteretur. Fuit autem Narſes (ut quidam tradunt) pius, religioſus, liberalis, atq; munificus, quod alias à me commodius relatum eſt.

CAPVT III.

De populi improbitate, ac de exilio Ariſtotelis, quòd impietatis accuſatus in Chalcidem profugerit, tum alia obiter non iniocunda.

NIhil debent in tota uita minus agere, qui prudentiores ſunt, quàm populo ſe ipſos committere. Nec enim bonis ingenijs, atq; diſciplinis, quicquàm eſt tam malè affectũ & infenſum, quàm imperita uulgi inſcitia. Quod equidem innumeris propè exemplis falſæ atq; improbæ philoſophorũ accuſationes, eorumq; exilia, & cædes demonſtrãt: ſicuti Socratis, Anaxilai, Apollonij Thianei, & Madaurenſis Apulei, quorũ apologiæ abundè explicant, quàm ſit ex Platonis ſententia, refugienda uulgi improbitas. De Ariſtotele autem philoſopho referendum illud puto, quod ab ipſo Adamantio Origene ponitur, quo loco Celſi Aphricani Philaletem mendacij ac falſitatis arguit. Tradit enim Ariſtotelem ipſum à iudicibus Athenienſiũ crimine impietatis fuiſſe accuſatum, quoniam dogmata quædam, ut ἄθεος καὶ ἀσεβὴς in philoſophia protuliſſet, quæ deorum cultum minus probarẽt. Ex quo Athenis relictis, Chalcidem ſe contulit, ubi diu uerſatus, cum literis amicorũ ad reditum uocarẽt, in hunc modum reſpondit: Ex Athenis pridem receſſimus, idq; eo animo factũ eſt, ne cauſam forte Athenieñſibus daremus, iterum ſcelus committere, ſicuti in Socratem commiſerũt, néue impiè contra philoſophũ rurſus feciſſe incuſentur. Neq; me autem latet, quod idem Ariſtoteles, cum Athenis xxx annos in Lycio docuiſſet, clàm ſe in Chalcidem recepit, quoniã foret impietatis ab Eurimedonte hierophanta accuſatus: ſiue à Demophilo (ut quidam uolunt) quòd hymnum in Hermiam pellicem ſcripſerit, cui etiam præ nimio (ut ferunt) amore ſacra fecit, atq; hoc epigramma Delphis incidit:

Hermia.

T. [illegible]

Τόλμα τοῦ χρυσοῦ παραὶ ἂν μακάρων θέμιν ἀγνὴν
Ἔκτεινε περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς.
Οὐ φανερῶς λόγχῃ φονίοις ἐνάγωσι κρατήσας.
Ἀλλ' ἀνδρὸς πίστει χρησάμενος δόλιον.

CAPVT IIII.

Quæ ſunt maximè à dijs roganda, & quomodo: ex Platone, tum uerſiculi Perſiani de uotis peragendis.

ELeganter Plato philoſophus & eruditè prudentiam atq; iuſtitiam in ſuis legibus expreſſit, ſed uel in Alcibiade (qui liber de uoto inſcribitur) eius honorē & cultum ſic recenſuit: Perſpicuū (inquit) eſt, & apud ipſum deum, & apud homines bonæ mentis, iuſtitiam & prudentiā præcipuè honorari. Prudentes autem ac iuſti illi meritò dicendi, qui probè norunt, quæ erga deum, quæq; erga homines agere atq; dicere conuenit. Hactenus Plato, quæ me ipſum commonent ſententiæ ueteris, quam non minus ſtoicorum porticus, quàm uniuerſa etiam academia honore ſummo proſecuta eſt. Ita em̄ à philoſophis uelut ex Delphico prolatum: *Prudentes ac iuſti.*

Sic uiuendum cum hominibus tanquàm deus uideat:
ſic loquendum cum deo, tanquàm homines audiant.

Cuius ſecunda pars (ut inquit Vectius Prætextatus) abundè ſancit, ne quid à dijs petamus, quod uelle nos indecorū ſit. Nam & Plato idem copioſè hoc ipſo libro explicat, quæ maximè à dijs petenda ſunt, & quo animo, ne fortè in Oedipi rogationes, maiore affectu, quàm ratione depellamur. Stoici autem tria potiſſimum à dijs roganda affirmant, bonam mentis, bonam animi ualitudinē, tertiò corporis. Itaq; Perſius poëta uidetur Alcibiadem Platonis peruidiſſe, qui in ſatyra quidem ad Macrinum ſic de uotis peragendis loquitur. *Tria à dijs impetranda.*

Funde merum Genio, non tu prece poſcis emaci
Quæ niſi ſeductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Cui ſententiæ & illud apud Iuuenalem accedit:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano,
Fortem poſce animum, mortis terrore carentem.
Qui ſpacium uitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcunq; labores.

Quin & in iure pontificum apud Romanos ita ſcriptum traditur:

Ne audento placare donis iram deorum
Cautim uota reddunto pœna uiolati iuris eſto.

CAPVT V.

Quantum conceſſerint Chriſto Rom. imperatores, Tiberius & Hadrianus, ac de Alexandro etiam Seuero, qui Chriſtum inter alia numina adorauit.

PErſæpe accidit, ut à uiris doctioribus quæratur quo in precio apud Roma. imperatores Chriſti numẽ fuerit, quo uidelicet tẽpore, aut quo cultu Romana ciuitas eũ proſequuta ſit. Ad hoc ego cum aliquando eſſem reſponſurus, talia propemodum de ipſo Chriſtianorũ deo obſeruaui. Et primò quidem ex autoritate ueterũ conſtat, Tiberiũ cæſarem uoluiſſe Chriſtũ à ſenatu, populoq; Romano adorari, idq; etiam ab eo relatũ eſt ad ſenatum cum prærogatiua Tiberiani ſuffragij, ut abunde alibi diximus, quòd & Pãphilus Euſebius, ac Florẽs Tertullianus affirmant. Sed & mox cæſ. Hadrianus de adorando Chriſto cogitauit, eidemq; templa condere inchoauit, ſicuti Aelius Lampridius ad Conſtantinum imperatorem teſtatur. Qui Augu. (inquit) Hadrianum ab incepto deſtitiſſe, ueritum ne cætera etiam templa eſſent deſerenda;

quoniam

quoniam præfecti ſacrorum, Hadriano perſuaſerunt, Chriſtianos omneis aliquãdo futuros, ſi illud effeciſſet. Ex quo idem mutato animi ꝓpoſito, acerrimè mox uniuerſam Chriſtianorum factionem eſt inſectatus, quod & commentarijs ſuis & edictis propalàm teſtatus eſt. Alexander autẽ Seuerus, qui optimus imperator eſt habitus, quiq; Antonio Elliogabalo ſucceſſit, plurimum Chriſtianis detulit, & Chriſti numen inter maximos & ſelectos deos recepit: ſiquidem in ſacrario ſuo (quod ab Aelio Lampridio Lararium appellatur) inter principes diuos, & animas (ut inquit) ſanctiores Chriſtum habuit, cum quo ibidem Appollonium Thianeum, Abraam, & Orpheum coluit. Idem quoq; Alexander Augu. in minore Larario Achillẽ, & alios duces maximos habuit, ſicuti M. Ciceronis & Vergilij ſimulacra, quẽ poëtarum omnium Platonem uocitabat.

CAPVT VI.

Vnde apud poëtam Vergilium ramus aureus, & uiſcus in ilice in VI Aeneidos, ac de magia Druydũ Verg. carmẽ expoſitum.

SAtis compertũ eſt Pub. Vergiliũ adeò multiplici, & uaria doctrina præſtitiſſe, ut & cæleſtia pariter, & humana maximè intellexerit, quod eius diuinũ carmen probat, in quo & ſacra omnia, & humanæ leges atq; ritus, tanta eruditione tractanẽ, ut eum mirari potius homines poſſint, quàm pro merito ſatis laudare. Sed eiuſdem carmen referemus, in quo de ramo aureo agit, quẽ Troius Aeneas ex præcepto Sybyllæ Deiphile ad inferos detulit, cuius etiã ſpeciem uirenti uiſco ſimilẽ dixit, & in opaca ilice inſertam, quæ omnia uidenẽ mihi ex philoſophia, & ſacris Druydũ eſſe aſſumpta, quibus religio fuit par quiddam de uiſco & robore agere. Quod quidem ſuſpicari licet, quoniã & uiſcum Vergilius hic, & ilicem opacam

X 3 nominat,

nominat, quæ inter glandiferas etiã refertur. Ab ipſo eñ poëta (ut eſt author Macrob.) plerũq; fieri uidemus, ut remotiores ritus, ueterũq; cerimonias innuendo attingat, etſi Aurelius Cornutus, uir alioqui doctus, fictum hoc de ramo illis à poëta Vergilio falsò exiſtimauit: ſic autem Vergilius:

Accipe quæ peragenda prius, latet arbore opaca
Aureus, & folijs, & lento uimine ramus
Iunoni infernæ dictus ſacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt conuallibus umbræ.
Sed non antè datur, telluris operta ſubire:
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit, primo auulſo, non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit uirga metallo.

At uerò Druydes (qui Gallorũ uates ac ſacerdotes forent) nihil habẽt uiſco & robore, in quo gignatur ſacratius: ſicuti C. Plinius teſtatur. Hi enim (inquit) roborũ lucos eligunt, neq; ulla ſacra ſine ea fronde conficiũt. Quicquid etiam illis adnaſcitur, è cælo miſſum putant, ſignũq; eſſe electæ ab ipſo deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia ſexta luna. Idem quoq; Plinius: Sacrificio (inquit) epulisq; ritè ſub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorũ cornua tunc primùm uinciunt, ſacerdos candida ueſte cultus, arborem ſcandit, falce aurea demetit, candido id excipitur ſago, tum demum uictimas immolant, precantes, ut ſuum donum deus proſperum faciat, his quibus dederit hæc. Hactenus de religione Druydum ad robur & uiſcum, quæ poëtam Vergilium (ut puto) ad ramum illum aureum inclinarunt, ex quo illud ſubdit:

Sedibus optatis, gemina ſuper arbore ſidunt:
† *refulſit* *Diſcolor unde auri, per ramos aura † refulxit.*

Quale

Quale ſolet ſyluis brumali frigore uiſcum
Fronde uirere noua, quod non ſua ſeminat arbos:
Et croceo fœtu teretes circundare truncos.
Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice, ſic leni crepitabat bractea uento.

Fuit in hac ſententia & Domitius Veronenſis, uir in perquirendis ueterum monimentis acris ingenij, & in exponendis authoribus diligens, quem tamen immatura mors nobis præripuit.

CAPVT VII.

De Hetruſca diſciplina, & quo ſtudio Romani nobiles ad eam diſcendam mitterentur, ac uerſus ibidem ex XII additi.

MAr. Cicero cũ de diuinatione diſſerit, copioſè probat, populum quidem Hetruſcũ maximè præſtitiſſe, in obſeruandis, noſcendisꝗ augurijs & oſtentis: nam & aliquot à ueteribus celebrant̃, in quorum cõmentarijs diſciplina hæc abundè exponeret̃: ſicuti à Macrobio, Cenſorinoꝗ & alijs ueteribus tradit̃. Qua in re ſeruatũ eſt à Romanis, ut principũ filij, qui in urbe forent, Hetruriæ populis traderent̃, quo hanc etiã diuinandi partem ediſceret̃, ſicuti uerba hæc Ciceronis reſtãtur: Bene (inquit) apud maiores noſtros ſenatus decreuit, quando florebat imperiũ, ut de principũ filijs ſex, ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinã traderent̃, ne tanta ars, propter tenuitatẽ hominum, à religionis authoritate abduceret̃, ad mercedem & quæſtũ. Ex quibus apertè conſtat, quo ſtudio & diligẽtia ꝓuiſum eſt à ſenatu, populoꝗ Rom. ut cognitio illa Hetruſcæ diſciplinæ conſeruaret̃, quod ipſum & Liuius in Rom. hiſtoria notauit, quo ſcientiſſimè callerent, quæcũꝗ de cælo tacta eſſent, omniaꝗ prodigia, portenta, & oſtẽta, quod & C. Plinius, & alij aſſerunt. Ex quo etiam in ſacris ueterũ, & pontificalibus libris ita ſcriptum fuit:

Diſcunto

Diſcunto ignari à publicis ſacerdotibus
Hetruriæ principes diſciplinam docento,
Quibus diuis creauerint procuranto:
Et idem fulgura & obſita pianto.

Quæ ob id aſcripſimus, ut Ciceronis locum facilius teneremus: cum nemo prorſus ignoret, cælũ ipſum, eiusq; parteis, ab Hetruſcis olim ſignatas, & in ſedecim diuiſum: nam & fulminum genera undecim & deos nouem, qui ea iaculentur, ſtatuerunt: rationes prodendo, quid ex quaq; parte ſignaret, quod & C. Plinius ad Veſpaſianum Auguſtum demoſtrat.

CAPVT VIII.

De cura & periculis eorum: qui imperio præſunt: ac Saturnini Auguſti uerba ad hoc ipſum pertinentia.

Vetus eſt dictum, & à philoſophis approbatum, tyrannos quidem, & principes quàm rariſſimè ſe neſcere: quoniam tam uaria illis, tanq; ſumma pericula unde quaq; immineant, prorſus ut quã ægerrimè communem liuoris, & periculi ſortem, poſſint euadere. Quam rem tot principum & imperantiũ ſubitæ neces, atq; cædes maximæ approbant, cum pauciſſimi omnino fuerint, qui ſuo fato perierint. Itaq; permulti admodum reperti ſunt, qui hanc imperandi curam, uelut inquietã, æſtuantem, ac pernicioſam refugerunt, quod equidem ex uerbis ipſis & oratione Auguſti Saturnini imperatoris referendum cenſui quo cumulatius à quouis intelligatur, quã & eruditè Saturninus & grauiter de imperatorum diſcrimine & periculis diſſeruerit. Neſcitis (inquit) amici, quid mali ſit imperare, nam & gladij, & tela, noſtris ceruicibus impendent, imminent haſtæ, undiq; ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur, non cibus pro uoluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, nam arma pro ſtudio. Adde quòd omnis

mnis ætas in imperio reprehenditur. Senex eſt quiſpiam, inhabilis uidetur, ſin minus, ineſt furor. Nam quod imperatorem me cupitis, in mortis neceſſitatẽ me trahitis. Sed habeo ſolatium hoc mortis, ſolus perire non potero. Hæc hactenus Saturninus, cum à ſuis purpuram eſſet indutus, ſicuti M. Saluidenus affirmat, eleganter quidem & doctè. Siquidem bonas litteras Saturninus egregiè coluit, & facultatẽ oratoriam ſtudioſè didicit, quod & Vopiſcus homo diligens recenſet.

CAPVT IX.

De antiquorum proprietate in carmine, in rebus exprimendis, ſimulq; Accij poetæ uerſus appoſiti ex Argonautis elegantiſſimi, & Q. Ennij.

IN præceptis ueterum, qui de ipſa elocutione ſcripſerunt, illud præcipuè uideo cõmendari, ut uerba rebus maximè cõueniant, & in quaq; actione deſcribenda, ſic abſoluatur oratio, ut res geri potius, quàm componi uideatur. Ita enim intereſſe te putes, nõ iocunda uerbis ſuauibus, atrocibus aſpera, quieta ſedatis, deductis humilia, grandibus ardua proferuntur. Vnde illa orationis honeſtas, & quaſi certum decus oritur. Quam quidem partem ſummo ſtudio uidentur mihi cõſecuti ueteres authores, tum hi præcipuè, qui fabulas ędiderunt, ut M. Pacuuius Attilius, Neuius, & Accius, quòd in illis uitę geſta, & hominum mores, habituſq; pro re ipſa effingerent atq; exprimerent, cuiuſmodi carmẽ illud eſt Accianũ ex Argonautis, in quo paſtorẽ elegãtiſſimè deſcripſit, qui primũ nauim (cui nomen Argo) procul aſpiciens, illico mirabundus in hunc mo[dum uociferaτ.

Tanta moles labitur:
Fremebunda ex alto ingenti ſonitu & ſtrepitu
Præ ſe undas uoluit, uortices ui ſuſcitat,
Ruit, prolapſa pelagus reſpergit, profluit,
Ita dum interruptum credas nymbum uoluier,

Dum quod ſublime uentis expulſum rapict
Saxum, aut procellis, uel globoſos turbines
Exiſtere ictos undis concurſantibus:
Niſi quas terreſtreis pontus ſtrages conciet.
Aut fortè Triton fuſcina uertens ſpecus.
Subter radices penitus undant in freto:
Molem ex profundo ſaxeā ad cælum eruit.

Quod carmen, non Priſcianus modo grammaticus repetit, ſed & Q. Lucius. Balbus, in illa celebri diſputatione de natura deorum, & ſi alicubi deprauatum atq; inuerſum legit. Iam uerò & illud Q. Ennij nónne adeò propriè, adeò eruditè factum eſt, de augurio Romanæ urbis condendæ, ut in media urbe uerſari te credas, Romulumq; ipſum, & Remum certanteis aſpicere, de imponendo urbis nomine, ut minus fortè mirum ſit, ſi & Adrianus imperator Ennianos annaleis ſupra omnia quidem poëmata commendauerit, ſed apponamus carmen:

Certantes magna cum cura, tum cupientes
Regni dant operam, ſimul auſpicio, augurioq;
In monte Remus auſpicio ſe deuouet, atq; ſecundam
Seruat auem ſolus. At Romulus pulcher in alto
Quærit Auentino, ſeruat genus alta uolantum,
Certabant urbem Romám ne Remám ne uocarent:
Omnibus cura uiris, uter eſſet induperator
Expectant, ueluti conſul cum mittere ſignum
Vult, omnes auidi ſpectant ad carceris oras:
Qui mox emittat pictis è faucibus currus.
Sic expectabat populus, atq; ore timebat:
Rebus utri magnis uictoria ſit data regni:
Intereà ſol albus receſſit in infera noctis.
Exin candida ſe radijs dedit icta foras lux:
Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes

Læua

Læua uolauit auis,ſimul aureus exoritur ſol.
Cedunt de cælo ter quattuor corpora ſancta
Alituum,præpetibus ſeſe,pulchriſq; locis dant:
Conſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora:
Auſpicio regni ſtabilita ſcamna,ſoliumq;.

Quos uerſus & apud Ciceronem comperies,cum diuinationis parteis proſequitur.

CAPVT X.

Quæ ratio fuerit,ne flamines ſacerdotes apud Romanos nodum aliquem habere poſſent in ueſtibus,& quàm libera,& aperta eſſe debet animorum coniunctio inter amicos.

IN his ſacris atq; cerimonijs,quas flamines ſacerdotes apud Rom.dicuntur obſeruaſſe,& illud à ueteribus notatum eſt, fuiſſe nefas, uti nodum ullum haberẽt in apice,in cinctu, aut in ulla alia parte. Qua in re allegoricós intellexerunt, pertinere ad uirum integra fide,optimiſq; moribus præditum, nihil diſſimulanter,aut ſubdolè agere in deorum ſacris, ſed liberè,& aperto examine,ad fidem & ueritatem om̃ia referre. Quod ipſum in amicorũ quoq; officijs præſtandum eſt, ut à Cheroneo Plutarcho probatur,ſi modò hi ſunt tales uiri, quorũ uirtus atq; prudentia optimè intelligat, quantum ſit amicorum cauſis,atq; commodis concedendum, quod & poëta Lucilius docet in carmine ad Albinum, quo uirtutis dignitas,officium,atq; gratia prudentiſſimè exponitur. Itaq; con ſueuit Oricellarius noſter,ita amicos probare, ut in eorum animo iudiciũ,in iudicio officium reponat, uir unus (quantũ equidem iudicio meo conſequi poſſum) in omnibus uitæ muneribus extimãdis,atq; cognoſcẽdis ſumma prudentia atq; conſilio.

CAPVT XI.

De multiplici ac ſingulari doctrina, M. Varronis, & quod idem tamen à Palemone grammatico contemptus fuerit, ac iniquiſsima uoce porcus appellatus.

DE Var. Terentio notum eſt omnibus, quantum omnis antiquitas eius ſtudium, atq; multiplices doctrinas extulerit, ut omnium quidem togatorum doctiſſimus habitus ſit, cui ſententiæ M. Cicero, & Fabius Quintilianus calculum adiecerunt. Itaq; ſic Maurus Terentianus ad Nouatemum:

Vir doctiſsimus undecunq; Varro.

Qui tam multa legit (ut eſt author Auguſtinus) ut aliquid ei ſcribere uacaſſe miremur, tam multa ſcripſit, quàm multa uix quenquàm legere potuiſſe credamus. Lactantius uerò Firmianus, qui & ingenio, & eloquentia, uir doctiſſimus meritò habetur, ſic de eodem M. Varro (inquit) quo nemo unquàm doctior, neq; apud Græcos, neq; apud Latinos uixit. In libris diuinarum rerum, de hoc egit, quos ad C. cæſarem ſcripſit. Atq; hæc cum ita ſe habeât, quàm improbè obſecro à Rhemnio Palemone, quàm imprudēter atq; ineptiſſimè factum eſt, qui eum ipſum M. Varronem, omnium diſciplinarum parentem ac principem, pro imperito homine ſectatus eſt, eundemq; etiam porcum (ſi dijs placet) appellauit, dignus eo nomine Palemon, ut in ſuile aliquod intruderetur, quo inſolentis audaciæ, atq; importuniſſimæ uaniloquentiæ pœnas lueret. De quo & Suetonius Tranquillus meminit, quod ego idcirco appoſui, ut quiuis poſſit intelligere, quàm ſint quorundam ingenia contra ueritatem obſtinata, atq; illis plerunq; uiris infenſa, qui & colendi ab omnibus, & propè adorandi ſunt, pro egregia, ſingularíq; doctrina.

CAPVT XII.

Quid in libris iureconſultorum ſint Exconſules, Exquæſtores, Expræfecti, *& alia eius generis, quodq; ſubagreſtia, & parum* Latina *ſunt.*

INuenio apud noſtros iureconſultos, & alios authores, hæc uocabula exquæſtores, exconſules, exprætores, & alia eiuſdem generis: nam Symmachus, & Boëthius excõſules ferè uocati ſunt, atq; his ueluti deſcriptionibus eorum nomina honeſtari ſolent. Iuſtinianus quoq; Augu. in epiſtola ad Rom. ſenatũ Io nnem exquæſtorẽ, & Leontium, atq; Baſilidem expræfectos prætorio appellat. Quibus uerbis quantũ equidem poſſum colligere, eos uiros deſignarunt, qui dignitate ipſa cõſulatus, aut quæſturæ functi eſſent. Sic expatricios, & expræfectos, quòd abſoluto munere, à magiſtratu uacarent. Zeno autem imperator ſcribit ad præfectum Archadium, placere ſuæ dignitati, ut q patricij, uel expatricij ſunt, quiq; magiſtri officiorum, aut ſacri palatij cuſtodes, uel ordini ſenatorio ſociati fuerint, non poſſint niſi ab imperatore ipſo, aut ſacris cognitoribus in ius uocari, aut puniri. Simulq; addit: eos uiros qui dignitabus maioribus functi ſunt, minimè oportere omnium iudicio ſubigi, aut pœnis mulctari. Itaq; hi homines expræfecti, exquæſtores, & exenatores, in Iuſtiniani conſtitutionibus nuncupantur. Apud Varronem uerò, & M. Tullium excuriatos, atq; exterminatos legimus, pro his, qui extra curiam miſſi ſunt, atq; extra termi nos. Sed hæc honeſtis authoribus recepta, & cõſecrata ſunt, illa parum Latina, & admodum ſubagreſtia uideri poſſunt. Neq; enim apud eos comperiunt, qui Latina oratione uſi ſunt: ſed ex illo (ut opinor) Auguſtini ſæculo, in quo ferè Caſſiodórus Apollinaris, Enodij, ac Fulgentij numerant,

Excuriati. *Exterminati.*

qui magis uidentur Gallicum aliquid & peregrinum referre, quàm Romanum ac probum ſermonem. Ipſa enim dicendi elegantia & puritas, cum Romano imperio paulatim amiſſa eſt. Quod & noſter Ioannes Corſius, cum Pontano diſſeruit, uir non minori iudicio quàm ueterum doctrinis excultus.

CAPVT XIII.

Biantis Prienei ſententia relata, quo conſilio ac ratione uti debeamus, in decernendis cauſis inter amicos uel inimicos.

DE Prieneo Biante complura in Græcorum monimentis traduntur, quæ uiri iudicium, atque ſapientiam ſingularem probant, ſed quod ab ipſo relatum eſt de his qui inter alios iudicium faciunt, minimè contemnendum illis eſt, qui liberali ingenio ſunt. Dicebat enim malle ſe inter inimicos, quàm inter amicos de re aliqua ſtatuere. Nam ex amicis (inquit) alterum prorſus inimicum habueris, ex inimicis uerò alterum amicũ. Quo circa melius ac potius cenſeri debet, amicum ſibi adipiſci in proferendo iudicio, aut à rebus iudicandis penitus abſtinere, niſi ex profeſſo ueritas ipſa fidei patrocinetur, cuius cauſa (ut academici aſſerunt) nullæ quidem contentiones, aut inimicitiæ refugiendæ ſunt.

Finis libri decimi commentariorum Petri Criniti.

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. VNDECIMVS.

CAPVT I.

Mirificum prodigium de fulmine in natali M. Tullij ex annalibus Eutropij, ac de uiribus etiam fulminum non nihil.

MInus putaui abſurdum fore, ſi ea in præſens referrē, quæ Romanus author Eutropius, in hiſtoria ad Valentē Augu. prodidit de M. Cicerone, atq; mirifico prodigio, quod obtigerit de uirgine Romana, quæ in itinere cæleſti igne tacta fuerit. Vnde tam egregia dicendi dignitas, & abſolutū eloquētiæ faſtigiū præſcriberet, ſed opponam Eutropij uerba, quo manifeſtius appareat, quanta ſit etiā uis & natura monſtrifica fulminū: Bello (inquit) Iugurthino M. Cicero Arpini naſcitur, matre Elbia nomine, patre uerò equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere. Eodemq; tempore quędam uirgo Romana, in Aquiliā pergens, ictu fulminis exanimata eſt, omnibus ſine ſciſſura aliqua ueſtimētis ademptis, ac pectoris, & pedū uinculis diſſolutis, monilibus etiā & anulis diſcuſſis, illeſo corpore, nuda iacuit, equusq; (inquit) eius pari modo frenis & cingulis exemptus iacuit diſſolutis. Hæc ſatis de prodigio uirginis. Neq; enī me præterit, uaria quidem ac pene incredibilia ſcribi de fulminibus, nō ab Ariſtotele modò & alijs Gręcis, ſed ab Anneo Seneca, & Plinio. Nam inter alia & illud in ueterum monimētis traditur, quod Martia princeps Romanorum, cum grauida foret, fulmine icta, exanimato partu citra ullum aliud incommodum ſuperuixit. *Martia.*

CAPVT

CAPVT II.

De officio tribuni militum ex ſententia Aureliani Cæſaris imperatoris, & eius epiſtola aſcripta ex Vopiſci hiſtoria.

CVm geſta Romanorum principum nuper legeremus, nulla me pars magis detinuit, quã ſicubi militaris diſciplinæ præcepta, & leges notarent, quoniam noſtra hæc ætas ita bellis aſſiduis uexatur, ut uniuerſam propè Italiam grauiter afficiant. Sed illud inprimis Aureliani principis me delectauit, in quo tribunũ militum prudenter monet, qua ratione, & conſilio, uti debeat in exercitu regendo, & copijs alendis, uerba ex Aureliani epiſtola ſubijciã, quo facilius legentes, hæc etiã expendant. Si uis (inquit) tribunus eſſe, imò ſi uis uiuere, manus militũ contine, nemo pullum alienũ rapiat, ouem nemo contingat, annona ſua contentus ſit: de præda hoſtis, non de lacrymis prouinciam habeant. Arma terſa ſint, ferramenta ſamiata, calciamenta fortia, ueſtis noua, ueſtem ueterẽ excludat, ſtipendiũ in balteo, non in pompa habeat, torquẽ brachialem, & anulum apponat, equum ſaginariũ ſuum defricet, captum animal nõ uendat, mulum centuriatum cõmuniter curet, alter alteri quaſi ſeruus obſequatur, à medicis gratis curetur, aruſpicibus nihil det, in hoſpitijs caſtè ſe agant, qui litem fecerit uapulet. Hæc hactenus Aurelianus Cæſar, quæ ſiquis etiam apud authorem proprium requirat, is Flauium Vopiſcum adeat, qui de imperatoribus Romanis ſcripſit.

CAPVT III.

De Pythagorica metamorphoſi, & Laberij poëtæ uerſus apud Tertullianum recogniti, atq; expoſiti

NOn ab re futurum putaui, ſi Laberianos uerſus ſubtexã, ex eius mimis. Nam & Florentis Tertulliani locus ſignabitur, & alia quoque non inſuauia de Pythagora nec iniocunda ſubiungemus.

mus. In hunc igitur modum de Pythagorica metamorphoſi iocatus eſt Laberius:

Et audio mala multa etiam ex bonis,
Par illud: ut nos olim mutant philoſophi,
Et nunc de mulo hominem, de muliere colubrum
Faciunt: & ex diuerſis diuerſa alia.

Quos uerſiculos uel in commentarijs Nonianis deprehendes, quanquam alicubi deprauatos: nam & in Apologetico Tertullianus, quem contra gentileis compoſuit, partem ex his eleganter eſt mutuatus. Agè iam (inquit) ſi quis philoſophus affirmat (ut ait Laberius de ſententia Pythagoræ) hominem fieri ex mulo, colubrũ ex muliere, & in eam opinionem omnia argumẽta, & eloquij uirtutem detorſerit, nónne & ſenſum mouebit, & fidem infringet? Etiã ab animalibus abſtinendum, propterea perſuaſum quis habet, ne fortè bubulam de aliquo proauo ſuo obſonet. Quæ uerba ſatis me cõmonent Pythagoricæ tranſmutationis. Is enim Pythagoras, non modo Euphorbũ, paphonem, Homerũ poëtam ſe fuiſſe aliquãdo dictitabat, ſed & Pyrandem poſtea; & mox Callidenam, ac demum præſtanti forma meretricem, quæ Alce fuerit appellata: unde & nos in poëmatis olim noſtris in hunc modum luſimus:

Adde quòd is leges, legumq; oraculo nouit:
Quæ ſeruanda dedit Samius myſteria uates:
Cur etiam plureis uariato corpore formas
Prætulit: atq; idem famoſi nominis Alce:
Moxq; melethcos animos, & pectora ſumpſit:
Et modò gemmantes ales Iunonia pennas
Explicat: & bello ferus induit arma Pyrandes.

Plotinus quoq; Philoſophus in libro de ſuo, cuiuſq; Genio cum de animi metamorphoſi differit, in hunc propémodum id ipſum proſequitur: Quicunq; (inquit) humanã proprie-

tatem ſeruarunt, iterum & ipſi homines renaſcunt. Qui autem ad ſenſum defecerũt, bruta equidem ac ſtolida animantia redeunt, ſed ita tamen, ut qui & iram adiecerint, fera exiſtant, & pro ipſa inter ſe differentia diſſentiant. Qui uerò in libidine & uoluptatibus uitam egerunt, ſalacia, uoluptaria animalia reuertuntur. Quod ſi nec ſenſu ipſo, nec ſenſus parte uſi fuerint, hi utiq; omneis plantæ reſurgunt: quoniam in his uel animus tantum uegetalis fuerit, neq; aliud egerũt, quàm ut in plantas uerterentur. Qui autem muſicis modulis affecti, ac deliniti uixerunt, ſi in cæteris nõ degenerarint, animalia muſica renaſcuntur. Et qui ſine ratione ciuitates, atq; imperia rexerunt, aquilæ fiunt, niſi & ipſi alia prauitate ſint infecti. Nam & qui abſq; ſapientia ſublimia improbius tractant, cælum ſuſpiciunt, in alites commutantur, ad altiora ſemper deuolantes. Qui uirtutem autem ciuilem aſſecutus eſt, homo reuertitur. Qui minimè adeptus, in ciuile aliquod animal, ut apem, & in alia eiuſmodi ſe trãsformat. Hæc Plotinus, de quibus alibi diximus commodius.

CAPVT IIII.

De ſtatua Niobis à Praxitele, & ibidem Auſonij poëtæ nobile epigrãmma ex Græcorum de eadem Niobe ex Pauſaniæ commentarijs.

IN Græcorum poëmatis uaria leguntur de Niobis forma, eiuſq; imagine, quam Praxiteles longè pulcherrimã ſculpſit, unde eam quoq; poëtæ Græci magno ſtudio celebrarũt, eiuſmodi hoc ſubdit.

Ἐκ ζώης μὲ θεοὶ τεῦξαν λίθον, ἐκ δὲ λίθοιο
Ζώην πραξιτέλης ἔμπαλιν ἐιργάσατο.

Auſonius uerò Gallus, egregiè admodum Latino epigrãmate ſecutus Græcorum ſuauitatem atq; indolem, ſic eiuſdem ſtatuam expreſſit:

Viuebam

Viuebam,ſum facta ſilex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus uiuo iterum Niobe,
Reddidit artificis manus omnia,ſed ſine ſenſu:
Hunc ego cum leſi numina,non habui.

Quo carmine nihil utiq; legi poteſt cultius,limatius, doctius,adeò ut Marullus noſter Bizantius, uir elegãter doctus, atq; in examinandis carminibus grauis cenſor, apertè affirmarit,nihil ſe uſquàm legiſſe, aut etiam audiſſe elegantius, melius, abſolutius. Fuit autem Niobes Phoronei filia, & Apis parens,ut in Euſebij annalibus notatum eſt,quos magna ex parte ex tomis Maneti tranſtulit. De hac complura ſcribuntur apud authorem Pauſaniam,qui ſe inquit in Sypilo Niobis ſimulacrum aſpexiſſe, cuius hunc ad modum ſpecies erat,ut propè accedentibus petra abrupta uideretur, procul autem cernentibus mœſta,& plorans mulier.Quin & Romæ in templo Soſiani Apollinis imago Niobis celebrata eſt cum liberis mœrentis,ſed eam tamen dubitãt Scopas,an Praxiteles fecerit, quod & C.Plinius teſtatur. *Marullus.*

CAPVT V.

Hiſtoria ex C.Plinio de Octauia Augu.quæ ex oui augurio in ſinu confoti,ſexum futuræ prolis prænotauit,& alia item non iniocunda.

Dignum memoria eſt, quod à C. Plinio traditur in hiſtoria naturali de Liuiæ Augu. ſtudio & cura,ad prænoſcendam prolem,& filij ſexum, quo grauida erat ex Nerone imperatore. Cum enim in iuuenta eſſet, & auidiſſimè cuperet uirilẽ ſexum parere, hoc puellari augurio uſa traditur,uti ex eo partum prænotaret. Ouum in ſinu fouendum accepit, ſubinq; illud nutrici datum,ad refouendum per uices reddebat, necubi tepor ad alendum fœtum intermitteret. Neq; falſo augurio fertur augurata; ſiquidem Tib.cæſarẽ peperit. Illud quoq;

Gallinarius. notandum, quod in ueterum annalibus lectum eſt, Gallinariū fuiſſe quendam, cuius nomē adhuc requirimus, qui mirifica arte, qd ex quocꝫ ouo foret, præuidebat, quod ipſum à Plinio etiam deſcribitur, & ſi minus id credendum uidet, cum ingenuè idem profeſſus ſit, haud in omnibus ſuam ſe fidem legēti aſtringere, ſed eam potius ad authores ueteres relegat. Nā nec ullum quidem mendaciū tam falſum, tanqꝫ impudens eſt (ſicuti Plato teſtatur) quin ſuis quocꝫ authoribus defendatur.

CAPVT VI.

De origine dei Canopi, ac eiuſdem ſimulacro, & quo commento ac fraude pro deo ſit habitus.

NOtandum & illud eſt, quod in ueterum ſcriptis reperitur de origine dei Canopi, & quo uidelicet commento Aegyptij ſacerdotis ad cultū, numenqꝫ deuenerit. Ferūt enim, quòd ipſi quidem Caldæi per uarias orbis regiones ignem circumuehebant, ueluti proprium ac ſummum numen, quòd eo quocꝫ cæteros omnis deos, eorumqꝫ ſimulacra deuincebant, quæcunqꝫ ex auro, ære, argento, eboreqꝫ uel alia quauis materia eſſent. Fiebat enim ut ignis planè ſuperior euaderet. Conuenerāt autem populi, ut uicta numina, uictoribus concederēt, quo rei ueritas cunctis mortalibus de adorando numine conſtaret. Hæc igitur cum ſacerdos Canopi Aegyptius percepiſſet, dignum ſanè cōmentum, atqꝫ percallidum cōtra ignem excogitauit. Solent in Aegypto uaſa quædam fictilia effici, quæ hydriæ appellanť, crebris unde quaqꝫ, ac minimis prope foraminibus patentes, ex quibus cum aqua decidit, defæcatior, atqꝫ purior effluit. Sacerdos igitur Aegyptij unam fortè ex his cepit, atqꝫ obſtructis foraminibus, uarijsqꝫ coloribus depictam, & aquis plenam, ut idolum conſtituit, ac ſu-

Hydriæ.

per

per uetere ſimulacro dilig̃eter collocat, quod eſſe Menelai gubernatoris ferebatur. Veniunt Caldæi, circũſtant numen conflictum ineunt, & ignem ſimulacro admouent, tum uerò cera ipſa (qua uaſis foramina obſtructa erant) graſſante igne reſoluitur, & aqua profluente, ignis extinguitur. Quo factum eſt, ut fraude ſacerdotis Aegyptij, Canopus uictor haberetur. Vnde ſimulacrum quoq; illius perexiguis pedibus, contracto collo, ac prominenti alueo, in amphoræ modum formatum eſt, dorſo etiam æqualiter tereti. Hæc de Canopo deo, eiusq; origine traduntur, & in Sudæ collectaneis & in ſacra hiſtoria Turantij Ruffini.

CAPVT VII.

Pacuuianum ænigma de teſtudine, ac uerſus eiuſdem lepidißimi ex tragœdia allati, tum locus Tertulliani expoſitus.

Dici nõ poteſt, quanta ſit olim facta iactura in his maximè apud nos authoribus, qui tragœdias & comœdias ſcripſerunt, ſic, ut eorum uix nomina reperiantur, cum Romani primũm ciues his potiſſimũm fabulis agendis magnopere detinerentur. Nos uerò ita auidè antiquitatem excutimus, & ueſtigia illa ueterũ poëtarum requirimus, ut in his etiam libenter cõmoremur, quæ à noſtris grammaticis quàmlibet interciſſa, & deprauata afferuntur, cuiuſmodi ænigma eſt illud quod ex Pacuuianis fabulis celebratur his lepidiſſimis uerſibus:

Sanguine caßa, domiporta, terrigena traditur:
Quadrupes, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera:
Capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci.
Euiſcerata inanima cum animali ſono,

Id ænigma cum in Pacuuiana fabula paulò obſcurius proferatur ab Amphione, quod reſponſum ab Atticis eſt, non intelligimus, niſi apertè dixeris. Tum ille unico uerbo reſpõdit

dit cocleam eſſe, quod ipſum propterea cenſui apponēdum ut ætatis noſtræ homines intelligant, quantum ſibi ueteres illi in nouandis, componendiſq; uocibus tribuerent atq; indulgerent, cum domiportam Pacuuius, & tardigradam uocauerit teſtudinē. Si quis autem inuenire hoc uelit, is apud M. Ciceronem de diuinatione inquirat, quo facilius locum doctiſſimi uiri Tertulliani intelligat, qui in libro de pallio de hoc ipſo ænigmate Pacuuiano non nihil rettulit.

CAPVT VIII.

Scita & elegans obſeruatio ex lege ueteri de re uenerea, ac de edictis etiam Semiramijs ab Heliogabolo imperatore inſtitutis.

NOn defuerunt apud ueteres, qui & eruditione & ingenio clari, præcepta in litteris referrēt, quibus amorum delitias, & inſtrumenta deſcriberent, tum quibus artibus, & quo ſtudio ſequi amores debeamus: quoniam & populi quidam celebrātur, apud quos illi multò acceptiores, atq; honeſtiores, qui ſectandis amoribus promptiores atq; acriores haberent. Sed ego cum in ſenatuſconſulto inciderim de re uenerea, quod olim Romæ (ut fertur) in templo Veneris foret, minus putaui indignum, ſi in noſtris etiam cōmentarijs legeretur, nec ubi delitias, iſtiuſmodi, & ueterum elegantias aſpernari uideamur, qui ad ipſam præcipuè antiquitatē reſpicimus. Ad hunc igitur modum ſacra lex de re futuaria lecta eſt:

Iura uiſundi, conſectandi ſuſurrandi, geſtiundi, ſuttrudendi, ſalutandi, confabulandi, precandi, perpetuò, interdiu, futuarijs: permiſſa ex me ſunto. Ex æde, foramine, horto, poſtico, impluuio: cuncta hæc commoda nemo homini prohibento. Fidem, conſilia ſerunto, ſeruanto auxiliū, operámue danto, ſub noctu uoto tractanto, promiſſa, iuramēta, lamenta admiſcento, ſollicitāto, uerecundiā, timorem amouento, triſtitiam ſuppremunto, tempori locòue obſecūdanto. Occaſioni ne unquàm ceduto, internūtias epiſtolas ſuccudunto: his ſpem, uoluntatem, expectationem, neceſſitatem, miſericordiā allectanto,

inſerunto

inſerunto,fraude,ui,dolo,oſtentatione,attemperatè utunto,prudentiam,taciturnitatem habento,tenento,geſtiunto,ex pathica quicquàm ſempiternè quaſi ſtipem,& pignus capiunto: eius permiſſum aduehunto ,nouam quærunto, aſtiue,pompáue grandi animem,nobilem inſectantor,notas conicctarias recitius nouanto. Hæc hactenus. Nam & ob id referendum hoc fuit,quoniam Varius quoq; Heliogabalus imperator ſenatuſcõſulto quædam ridicula & amatoria uulgauit, quæ matronę,cui ſe crederent,& ad cuius oſculum uenirẽt,qua ueſte,quibusq; ornamentis uterentˉ, eaq; ſenatuſconſulto de nomine ſuæ cõiugis Semiramia iuſſit appellari:ſicut Aelius quoq; Lamp.teſtatˉ ad imperatorem Conſtan.Augu.

CAPVT XI.

De ſæuitia Macrini imperatoris, & qua crudelitate in adulteros animaduerteret,tum alia obiter addita.

PErmulta in ueterũ monimẽtis leguntˉ, quæ Macrini impe.ſæuitiã atq; crudelitatẽ referant,Is enĩ inter eos princeps meritò ab authoribus reponitˉ qui immanes,atq; ſanguinarij ſunt habiti.Sed ad ſcribendũ eſt nouũ feritatis genus, inuentũq; ab eodem maximæ crudelitatis, ut ex hoc conſtare poſſit, q̃ eſſet Macrinus diri animi atq; ꝓdigioſi in ſupplicijs exhibendis. Cum igitˉ duo milites (ut à Capitolino relatũ eſt) ancillæ hoſpitis pudorẽ uiolaſſe crederentˉ,atq; illud Macrinus imper. ꝑ frumentariũ didiciſſet,iuſſit eos in mediũ produci, ſimulq; interrogauit, utrum factũ hoc eſſet.Quod cum cõſtitiſſet,ſtatim geminos boues,miræ magnitudinis uiuos aperiri iuſſit, atq; his milites ſingulos inſeri,capitibus boum exectis quo facilius unà colloqui poſſent. Ita hominis ſæuitas non quidem ſupplicio in puniẽdis adulteris delectabatˉ, quin idem quoq; Macrinus ad exemplũ Mezẽtij uiuos hoĩes mortuis alligat,ac longa tabe confectos, infando mortis genere exanimabat,ut eleganter poëta Vergi.expreſſit de Mezentio.

Mortua

Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis:
Componens, manibusq; manus, atq; oribus ora:
Tormenti genus, & ſanie, taboq; fluenti
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

Mitto quod & milites ſuos in crucem tulit, & ex quacq; ſeditione decumauit, atq; centeſimauit, ut non Macrinus uulgò ſed Macellinus paſſim uocaretur.

CAPVT X.

De nominibus militũ, & qui ſint primani, tertiani, quintani, & eiuſmodi alia apud Cornelium Tacitum, & de quartarijs mulonibus apud Lucilium.

PErmulta & uaria ſunt in ipſo exercitu militum nomina, de quibus paſſim mentio fit apud authores, ſicuti qui ab armis, uel gradu & ſtipendio denominantur. Sed à legionibus etiam milites quidem uocantur. Nam legiones ipſæ à numero interdum dicebantur, ut quarta, ſextadecima & eiuſcemodi, quod inuenio cũ apud alios ueteres, tum in hiſtoria Cornelij Taciti frequens. Is enĩ primanos milites, ſecundanos, quintanosq; , & quartadecimanos ſæpius refert. Poſthumus (inquit) præfectus caſtrorũ ſecundæ legionis, cognitis quartadecimanorum, uigeſimanorumq; proſperis rebus, quia pari gloria legionẽ ſuam fundauerat, ſe ipſum gladio tranſegit. Et in alio mox libro: Sed ipſis (inquit) legionibus inerat diuerſitas animorũ, primani, quintaniq;, turbidi adeò, ut quidam ſaxa in Galbæ imagines iecerint. Idẽ quoq; author in duodeuigeſimo expreſſius hoc totum explicat. Fortè inter padum, uiãq; (inquit) patenti cãpo duæ legiones congreſſæ ſunt, pro Vitellio una & uiginti cui cognomen rapaci ueteri gloria inſignis, è parte Othonis prima adiutrix. Non autem in aciem educta, ſed ferox, & noui decoris auida, primani ſtratis unà & uigeſimanorum principijs aquilam abſtulère, quo dolore accenſa, legio impulit

rurſus

rurſus primanos, interfecto Orfidio Benigno legato, & plurima ſigna, uexillaq́ꝫ ex hoſtibus rapuit: à parte alia propulſa quintanorum impetu, tertiadecima legio circumuenti pluriũ accurſu quartadecimani, & ducibus Othonis iampridẽ profugis, Cecinna ac Valens ſubſidijs ſuos firmabat. Hæc Tacitus. Nã & C. Suetonius eodem modo tertianos, & decumanos intelligit. Quartarij uerò in ſatyris Lucilianis muliones mercenarij appellati ſunt, qui quartam ſibi partem quæſtus acciperent: ut Pompeius Sexto in libro de uerbis priſcis ſeptendecim tradit, allato etiam Luciliano carmine.

Porro homines nequam malus: ut quartarius apros
Colligere omneis.

CAPVT XI.

De Proculo & Regillo imperatore, & quomodo per iocum fortuna illudente imperij dignitatem adepti ſunt.

VErum profectò eſt, quod à philoſophis permultis probatur, homines quandoq́ꝫ fortunã ſibi, uel confingere ex tempore uel aſſumere, id ego cum Romanos annaleis legerẽ, maximè comprobaui in quis tam uaria, tã promiſcua & multiformis imperatorũ fortuna appareat, ut quidam ex loco perhumili ad illud imperatorũ tam ſanctum, tam Auguſtum nomen aſcenderint, alij rurſus ueluti ex ioco & quaſi cauillo deſilierint. Sicuti inter alios & Proculus & Regillus, quorum exempla referenda in præſens putaui, ut iocantis fortunæ aleam, ac libidinem in conſpectu haberemus. De Proculo igitur ſic traditum eſt à bonis authoribus, cum in cõuiuio (ut fit) latrunculis luſitaret, ac decies imperator ipſe exiſſet, ſtatim ſcurra tũ quidã (ut parata ſunt ingenia blandientiũ) Salue (inquit) Augu. Et allata purpura (ut mos erat) eius humeros ornauit, eũq́ꝫ adorauit Qua ille occaſiõe uel oblata, uel arrepta, ut imperator uulgò ſalutatus eſt, quòd apud Græcos rettulit author Oneſimus,

& apud nos Flauius Vopiſcus in libro ad Baſſum ſecundo: De Regillo autem imperatore, haud hercle minus ludicrũ principiũ, ac ridiculũ fuit ad Auguſti nomen occupandum, cum ille quæſtione de analogia proprij nominis habita, ad imperiũ proſilijt. Nam Valerianus tribunus cũ diceret, unde Regilliani nomẽ deductum putamus? A regno quidam reſpondit. Quo dicto milites inibi, ut ad ea quæ cogitãt proniores, poteſt ergo rex eſſe, & nos regem facimus. Eoq; nomine putarũt illum imperatoria dignitate honeſtãdum. Ac ita demum iocante fortuna, Regillianus cum die ſequenti proceſſiſſet, imperator eſt à principibus ſalutatus. Neq; autem me latet, hunc ipſum Regillianum, magis inter tyrannos, quàm imperatores à quibuſdam relatum. Sed utcunq; ſit Romani certè imperatoris nomen obtinuit.

CAPVT XII.

Quid apud ueteres ſignificet Sororiare, & quæ ſint mammæ Sororiantes in puellis, ac ibidem expoſitũ: quid fratriare, & fraterculare. ex Pompeij commentarijs, & Plinij locus emendatus.

NVnquàm uideor magis in ocio & honeſtis litteris uerſari, quàm eo tempore, quo cum Ioanne Corſio, & Lacetio nigro, de optimis ſtudijs atq; omni antiquitate diſſerit. Quod equidem perſæpe accidit, cum utriuſq; eruditio multiplex & abundè elegans, iure optimo cẽſeri poſſit. Itaq; nuper in hortis Oricellarijs, inter alia cõplura quæſitum eſt de Sedigito Vulcatio, deq; eius iudicio, quod ab eo factũ eſt, de ingenio & ordine x comicorũ, qui apud Latinos in pretio habiti ſunt: item de poëticis uocabulis, & ueterũ audacia, in uerbis inueniendis, excogitandis, atq; cõponendis: cuiuſmodi fuerunt, M. Plautus, Gne. Neuius, P. Laberius, qui paulò durior, atq; audacior habitus eſt, M, Cato, Q. Ennius, Fabius pictor, & alij eiuſdem ætatis non ignobiles authores. Qua in re minimè

mè abſurdum fuerit hoc loco repetere, quid apud Plautũ Sororiare ſit, & quo ſignificatu accipiẽdum. Sororiare igit̃ perinde eſt, atq; augeri, & ꝑcreſcere. Nã & mammas Sororiantes uocarũt in puellis (ut à Sex. Pompeio tradit̃) cũ exuberantes intumeſcunt, quod illis euenit ex cõpreſſo lacte. Qua uoce uſus eſt, Mar. Plautus in comœdia Friuolaria. Quin & fratriare, & fraterculare in pueris accipimus (ut idẽ Sex. aſſerit) cum eorum mammæ intumeſcere incipiũt: quoniam ueluti pares fraterculi oriuntur, quod ipſum & in frumento ſpica dicitur facere, cum uirentia grana protuberant. Politianus uerò mammas ſororientes apud Plinium legebat libro xxx quo loco rigentes mammas habent cæteri codices, ſed in uetuſtioribus ſororiantes comperies. Piſcinæ maris (inquit) mammas ſororiantes, præcordia, maciemq; corporis corrigunt. De hoc à Politiano relatum eſt, & in ſecunda centuria, ſed eius commentarij magna ex parte ab his retinẽtur, atq; occultantur, qui meliores litteras, & antiquitatem impudentiſſimè contemnunt.

CAPVT XIIII.

Incredendum eſſe, quod à C. Plinio ſcriptum eſt, de C. Mecœnate quòd inſomnis per triennium fuerit, ac de his etiam, qui ſomniantes inambulare conſueuerint.

QVod à Plinio ſecũdo relatũ eſt de C. Mecœnate, id equidem neſcio riſúne dignũ magis ſit, an admiratiõe: ſiquidem ſupra omniũ fidem, atq; opinionẽ uideri poteſt. Tradit em̃ C. Mœcenatem eo affectu, ſeu morbo intentum fuiſſe, uti ante obitum, neutiquàm illi ſomnus contigerit ullo triennij momento, quod hercle (ſi uitæ hominum ratio pro re ipſa expenditur) adynaton exiſtimari ab omnibus debet, niſi rerum fortè prodigia, atq; portenta proſequamur, cum ſit hominis imprudentis (ut idem Plinius inquit) fidẽ ſuã illis aſtringere, quæ naturę

præſcriptum penitus excedunt. De Theone autem ſtoico, eiusq́ ſomnijs, & illud mirificũ à quibuſdam exiſtimat̃ (ut Græci authores cõmemorant) quòd is dormiẽs paſſim ambulare conſueuit. Quo morbo & Periclis ſeruus laborauit; adeò ut in ſummis etiã tectis ſomnians perambularet. Itaq; philoſophi ipſi, qui Pyrrhonis decreta ſecuti ſunt, in dubitatione ſumma uerſantur, an ſit in omnibus uitæ officijs magis hærendum, quàm pro certo quicquam aſſerẽdum. Vnũ hoc ſe ſcire profitentes, quod nihil penitus ſciant. Qua in re non minus ſuam modeſtiam (ut inquit Auguſtinus) quàm inceptam inſcitiam arguunt.

Periclis ſeruus.

Finis libri decimi commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DVODECIMVS.

CAPVT I.

Qualis doctrina Platonis fuerit, & quo modo inter Pythagoram & Socratem medius fertur, ex Numenij Pythagorici ſententia.

IGregiè Numenius Pythagoricus, ac eruditè iudiciũ fecit de Platone philoſopho, quo pacto uidelicet eius uiri excellens doctrina, inter Pythagorã ipſum, ac Socratem media extiterit, ſic ut utriuſq; Genium facilè in eodem agnoſcas, cum cõmuni iure, utrũq; nõ modò coluerit, ſed etiam ſcribendo magnopere expreſſerit. Verba Numenij hæc ſunt: Plato (inquit) certè Pythagoricus fuit, ſed huc tamen & illuc liberè trahitur, ac per ſingula æquè mẽbra inter Pythagoram & Socratem medius fertur,

tur, Nam ſublimitatem illam Pythagoræ, ad maiorem quidem humanitatẽ deduxit. Humile uerò illud ac deiectũ Socratis, ad grauitatẽ & magnitudinem reduxit. Atq; ita Plato Pythagora quidem popularior & cõmunior: Socrate uerò grauior & ſublimior eſt. Hæc Numenius de Platone, in libro de diſſenſione academicorũ, quæ uel ipſe Pãphilus Euſebius recenſet, ad Theodórum epiſcopum, quo maximè loco de philoſophorum decretis diſſerit.

CAPVT II.

Quibus uiribus polleant ſeptem planetæ in hominum corpore, ex Arabum libris, ac de XII ſignis, eorumq; poteſtate ex ueterum ſententijs.

IN monimẽtis Arabum, qui aſtronomica diligẽter tractarunt, non pauca interdum cõperiuntur, quæ non minorẽ certè eruditionem, quàm gratiã & uenuſtatẽ retineant: cuiuſmodi hoc eſt, quod ab illis traditur de ſeptem planetis, eorumq; uiribus, tum in qua maximè humani corporis parte polleant. Nam cũ ipſi homines (ut res eſt) de cælo uitam & ſpiritũ trahant, fateri etiam neceſſe eſt, ſphęras illas ſuperiores ſiue elementa, uiribus adeò ſummis excellere, ut in quibuſdam corporis partibus, ueluti ſuis domicilijs maiorẽ omnino uim, atq; poteſtatem exerceant. Sed opponam eorum traditiones, ex quibus totũ ferè hominũ corpus ad illa ſeptẽ elementa deferri, ac deduci uideatur. Et primò aſſerunt, per Solis imaginem hominum uitam ſignificari, ex quo in ipſo etiã ſole cerebrum, & corda regi affirmant, linguã uerò & os Mercurio, ſplenem à Saturno, hepar à Ioue, ſanguinẽ à Marte, renes à genitali, ſemen à Venere, ſtomachum à Luna. Sed & ſingulis quoq; ſignis, quæ in Zodiaco ipſo motu perpetũ mouent, aſtronomiæ authores, ſuas humani corporis parteis dederũt; ſicuti

ex Grecis p̃multi, & ex noſtris Iulius Firmicus, qui ad apo-teleſmata (inquit) maximè pertinere, ſicubi ualitudinis lo-cum, aut uitij uolueris inuenire. Ita enim referunt̃ ad ipſum ſigniferū, caput in Ariete, ceruix in Tauro, humeri in Ge-minis, cor in Cancro, pectus & ſtomachus in Leone, uēter in Virgine, renes uertebræq; in Libra, genitalia in Scorpio-ne, fœmora in Sagittario, genicula in Capricorno, tibiæ in Aquario, pedes in Piſcibus. Mallius uerò poëta hæc eadem ad Auguſtum cæſarem his uerſibus:

Signa hæc (inquit) præcipuas in toto corpore uireis
Exercent: Aries caput eſt ante omnia princeps.
Sortitur quoq; ſenſus, & pulcherrima colla.
Taurus & in Geminis, æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris, pectusq; locatum
Sub Cancro eſt, laterum regnum, ſcapuleq; Leonis.
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem.
Libra tegit clunes, & Scorpius inguine gaudet.
Centauro femora accedunt, Capricornus utriſq;
Imperat in genibus, crurum fundentis Aquari
Arbitrium eſt, Piſceſq; pedum ſibi iura repoſcunt.

CAPVT III.

Egregiè factum & ingenti animo à Petro Caponio Florentino cum Carolo rege Gallorū in concerpendis tabulis coram eodem re-ge, cum iniquiores contra rempublicam uiderentur.

PActum eſt anno ſuperiore, ut Carolus Gallorū rex cum magno exercitu, & inſtructis copijs. Italiæ regionē inuaderet, idq; eo animo & con-ditione, ut expulſis Neapolitanis regibus, faci-lius regno potiretur. Sed antequàm expeditionem obiret. Florentinorū urbem, ueluti uictor ingreſſus eſt, ac mutato reipub. ſtatu, ab uniuerſo populo & ciuibus, tanquam liber tatis uindex, benignè ſalutatus, ac magnifice exceptus eſt. Dein

Dein uerò cum in urbe ageret, cum magna copiarũ parte, ac indies cunctando expeditionẽ produceret, quo Florentino populo quamlibet conditionẽ imperaret, adeunt fortè Carolũ Gallorũ regẽ, ciues aliquot ex authoritate ſummi magiſtratus, ut cũ eo fœdus cõponant, conditionẽq; pro tẽpore & fortuna accipiãt, atq; hic fortè Petrus Caponius fuit qui cũ regẽ Gallorũ nimis uideret inſoleſcentẽ, ac fortunæ blandiẽtis illecebris captũ, utpote q̃ pro libidine Florẽtinis conditionem imponeret. Cumq; eam (ut ſic) ſcriptis capitibus iniquiorẽ firmaret, inibi Petrus Caponius regem fortè aſpicit, ac tabulas legit, lectaſq; (ut uir ingẽtis animi) in oculis tanti regis percerpſit, ac ſimul hiſdem reiectis: Et nos (inquit) ad militẽ noſtrũ. Ac relicto ibidem rege, ad curiã pergit. Quod & ipſum Carolus rex (quãuis uictoria elatus, & xx millia militũ in caſtris haberet) admiratus, eiuſq; animũ ut altiora molientem ueritus, ex itinere iubet eum reuocari, quo meliori cõditione ſtatũ Florẽtinæ ciuitatis cõponeret. Dignũ certè facinus, ac memorandum cõtra inſolentiã gallicã, quæ ridẽdo fidem frangit, & uictis illudit. Idem Caponius paulò mox in frequẽti ſenatu, comitijs approbãtibus imperator creatus eſt, ad bellũ Piſanũ, quæ urbs à populo Florentino in eiuſdem regis aduentu deſciuerat. Sed inter bellica inſtrumẽta, dum maiore animo, quàm fortuna uerſatur, glande ictus ab hoſtibus occubuit. *Piſanum.*

CAPVT IIII.

Quot in Rom. exercitu legiones forent, ex hiſtoria Polybij uiri diligentis, ac de centurijs & cohortibus non nihil.

VArie traditum eſt à ueteribus de Rom. exercitu & eius numero, tum quot equites in eo, ac pedites adeſſent, q̃d' ego (ut rei ueritas agnoſcat) ex hiſtoria Polybij uiri diligẽtis referendũ putaui. Is enim

dit cocleam eſſe, quod ipſum propterea cenſui apponēdum ut ætatis noſtræ homines intelligant, quantum ſibi ueteres illi in nouandis, componendiſq; uocibus tribuerent atq; indulgerent, cum domiportam Pacuuius, & tardigradam uocauerit teſtudinē. Si quis autem inuenire hoc uelit, is apud M. Ciceronem de diuinatione inquirat, quo facilius locum doctiſſimi uiri Tertulliani intelligat, qui in libro de pallio de hoc ipſo ænigmate Pacuuiano non nihil rettulit.

CAPVT VIII.

Scita & elegans obſeruatio ex lege ueteri de re uenerea, ac de edictis etiam Semiramijs ab Heliogabolo imperatore inſtitutis.

NOn defuerunt apud ueteres, qui & eruditione & ingenio clari, præcepta in litteris referrēt, quibus amorum delitias, & inſtrumenta deſcriberent, tum quibus artibus, & quo ſtudio ſequi amores debeamus: quoniam & populi quidam celebrãtur, apud quos illi multò acceptiores, atq; honeſtiores, qui ſectandis amoribus promptiores atq; acriores haberent. Sed ego cum in ſenatuſconſulto inciderim de re uenerea, quod olim Romæ (ut fertur) in templo Veneris foret, minus putaui indignum, ſi in noſtris etiam cōmentarijs legeretur, nec ubi delitias, iſtiuſmodi, & ueterum elegantias aſpernari uideamur, qui ad ipſam præcipuè antiquitatē reſpicimus. Ad hunc igitur modum ſacra lex de re futuaria lecta eſt:

Iura uiſundi, conſectandi, ſuſurrandi, geſtiundi, ſuttrudendi, ſalutandi, confabulandi, precandi, perpetuò, interdiu, futuarijs: permiſſa ex me ſunto. Ex æde, foramine, horto, poſtico, impluuio: cuncta hæc commoda nemo homini prohibento. Fidem, conſilia ferunto, ſeruanto auxiliũ, operámue danto, ſub noctu uoto tractanto, promiſſa, iuramēta, lamenta admiſcento, ſollicitãto, uerecundiã, timorem amouento, triſtitiam ſuppremunto, tempori locóue obſecũdanto. Occaſioni ne unquàm cedunto, internũtias epiſtolas ſuccudunto; his ſpem, uoluntatem, expectationem, neceſſitatem, miſericordiã allectanto,

inſerunto

inſerunto, fraude, ui, dolo, oſtentatione, attemperatè utunto, prudentiam, tacitatem habento, tenento, geſtiunto, ex publica quicquàm ſempiternè quaſi ſtipem, & pignus capiunto: eius permiſſum aduehunto, nouam quærunto, aſtuue, pompaue grandianimem, nobilem inſectantor, notas coniectarias rectius nouanto. Hæc hactenus. Nam & ob id referendum hoc fuit, quoniam Varius quoq; Heliogabalus imperator ſenatuſcõſulto quædam ridicula & amatoria uulgauit, quæ matronę, cui ſe crederent, & ad cuius oſculum uenirēt, qua ueſte, quibusq́; ornamentis uterenť, eaq́; ſenatuſconſulto de nomine ſuæ cõiugis Semiramia iuſſit appellari: ſicut Aelius quoq; Lamp. teſtať ad imperatorem Conſtan. Augu.

CAPVT XI.

De ſæuitia Macrini imperatoris, & qua crudelitate in adulteros animaduertet, tum alia obiter addita.

PErmulta in ueterũ monimētis leguntᷣ, quæ Macrini impe. ſæuitiã atq; crudelitatē referant. Is eñ inter eos princeps meritò ab authoribus reponiť qui immanes, atq; ſanguinarij ſunt habiti. Sed ad ſcribendũ eſt nouũ feritatis genus, inuentũq́; ab eodem maximæ crudelitatis, ut ex hoc conſtare poſſit, q́ eſſet Macrinus diri animi atq; ꝑdigioſi in ſupplicijs exhibendis. Cum igiť duo milites (ut à Capitolino relatũ eſt) ancillæ hoſpitis pudorē uiolaſſe crederenť, atq; illud Macrinus imper. ꝑ frumentariũ didiciſſet, iuſſit eos in mediũ produci, ſimulq́; interrogauit, utrum factũ hoc eſſet. Quod cum cõſtitiſſet, ſtatim geminos boues, miræ magnitudinis uiuos aperiri iuſſit, atq; his milites ſingulos inſeri, capitibus boum exectis quo facilius unà colloqui poſſent. Ita hominis ſæuitas non quidem ſupplicio in puniēdis adulteris delectabať, quin idem quoq; Macrinus ad exemplũ Mezētij uiuos hoïes mortuis alligat, ac longa tabe confectos, infando mortis genere exanimabat, ut eleganter poëta Vergi. expreſſit de Mezentio.

Mortua

rurſus primanos, interfecto Orfidio Benigno legato, & plurima ſigna, uexillaq; ex hoſtibus rapuit: à parte alia propulſa quintanorum impetu, tertiadecima legio circumuenti pluriũ accurſu quartadecimani, & ducibus Othonis iampridẽ profugis, Cecinna ac Valens ſubſidijs ſuos firmabat. Hæc Tacitus. Nã & C. Suetonius eodem modo tertianos, & decumanos intelligit. Quartarij uerò in ſatyris Lucilianis muliones mercenarij appellati ſunt, qui quartam ſibi partem quæſtus acciperent: ut Pompeius Sexto in libro de uerbis priſcis ſeptendecim tradit, allato etiam Luciliano carmine.

Porro homines nequam malus ut quartarius apros
Colligere omneis.

CAPUT XI.

De Proculo & Regillo imperatore, & quomodo per iocum fortuna illudente imperij dignitatem adepti ſunt.

VErum profectò eſt, quod à philoſophis permultis probatur, homines quandoq; fortunã ſibi, uel confingere ex tempore uel aſſumere, id ego cum Romanos annaleis legerẽ, maximè comprobaui in quis tam uaria, tã promiſcua & multiformis imperatorũ fortuna appareat, ut quidam ex loco perhumili ad illud imperatorũ tam ſanctum, tam Auguſtum nomen aſcenderint, alij rurſus ueluti ex ioco & quaſi cauillo deſilierint. Sicuti inter alios & Proculus & Regillus, quorum exempla referenda in præſens putaui, ut iocantis fortunæ aleam, ac libidinem in conſpectu haberemus. De Proculo igitur ſic traditum eſt à bonis authoribus, cum in cõuiuio (ut fit) latrunculis luſitaret, ac decies imperator ipſe exiſſet, ſtatim ſcurra tũ quidã (ut parata ſunt ingenia blandientiũ) Salue (inquit) Augu. Et allata purpura (ut mos erat) eius humeros ornauit, eũq; adorauit Qua ille occaſiõe uel oblata, uel arrepta, ut imperator uulgò ſalutatus eſt, quod apud Græcos rettulit author Oneſimus,

& apud nos Flauius Vopiſcus in libro ad Baſſum ſecundo: De Regillo autem imperatore, haud hercle minus ludicrũ principiũ, ac ridiculũ fuit ad Auguſti nomen occupandum, cum ille quæſtione de analogia proprij nominis habita, ad imperiũ proſilijt. Nam Valerianus tribunus cũ diceret, unde Regilliani nomẽ deductum putamus? A regno quidam reſpondit. Quo dicto milites inibi, ut ad ea quæ cogitãt proniores, poteſt ergo rex eſſe, & nos regem facimus. Eoq; nomine putarũt illum imperatoria dignitate honeſtãdum. Ac ita demum iocante fortuna, Regillianus cum die ſequenti proceſſiſſet, imperator eſt à principibus ſalutatus. Neq; autem me latet, hunc ipſum Regillianum, magis inter tyrannos, quàm imperatores à quibuſdam relatum. Sed utcunq; ſit Romani certè imperatoris nomen obtinuit.

CAPVT XII.

Quid apud ueteres ſignificet Sororiare, & quæ ſint mammæ Sororiantes in puellis, ac ibidem expoſitũ: quid fratriare, & fraterculare. ex Pompeij commentarijs, & Plinij locus emendatus.

Nunquàm uideor magis in ocio & honeſtis litteris uerſari, quàm eo tempore, quo cum Ioanne Corſio, & Lacetio nigro, de optimis ſtudijs atq; omni antiquitate diſſerĩ. Quod equidem perſæpe accidit, cum utriuſq; eruditio multiplex, & abundè elegans, iure optimo cẽſeri poſſit. Itaq; nuper in hortis Oricellarijs, inter alia cõplura quæſitum eſt de Sedigito Vulcatio, deq; eius iudicio, quod ab eo factũ eſt, de ingenio & ordine x comicorũ, qui apud Latinos in pretio habiti ſunt: item de poëticis uocabulis, & ueterũ audacia, in uerbis inuniendis, excogitandis, atq; cõponendis: cuiuſmodi fuerunt, M. Plautus, Gne. Neuius, P. Laberius, qui paulò durior, atq; audacior habitus eſt, M, Cato, Q. Ennius, Fabius pictor, & alij eiuſdem ætatis non ignobiles authores. Qua in re mini-

mè

mè abſurdum fuerit hoc loco repetere, quid apud Plautũ Sororiare ſit, & quo ſignificatu accipiẽdum. Sororiare igit̃ perinde eſt, atq; augeri, & percreſcere. Nã & mammas Sororiantes uocãt in puellis (ut à Sex. Pompeio tradit̃) cũ exuberantes intumeſcunt, quod illis euenit ex cõpreſſo lacte. Qua uoce uſus eſt, Mar. Plautus in comœdia Friuolaria. Quin & fratriare, & fraterculare in pueris accipimus (ut idẽ Sex. aſſerit) cum eorum mammæ intumeſcere incipiũt: quoniam ueluti pares fraterculi oriuntur, quod ipſum & in frumento ſpica dicitur facere, cum uirentia grana protuberant. Politianus uerò mammas ſororientes apud Plinium legebat libro xxx quo loco rigentes mammas habent cæteri codices, ſed in uetuſtioribus ſororiantes comperies. Piſcinæ maris (inquit) mammas ſororiantes, præcordia, maciemq́; corporis corrigunt. De hoc à Politiano relatum eſt, & in ſecunda centuria, ſed eius commentarij magna ex parte ab his retinẽtur, atq; occultantur, qui meliores litteras, & antiquitatem impudentiſſimè contemnunt.

CAPVT XIIII.

Incredendum eſſe, quod à C. Plinio ſcriptum eſt, de C. Mecœnate quòd inſomnis per triennium fuerit, ac de his etiam, qui ſomni antes inambulare conſueuerint.

QVod à Plinio ſecũdo relatũ eſt de C. Mecœnate, id equidem neſcio riſúne dignũ magis ſit, an admiratiõe: ſiquidem ſupra omniũ fidem, atq; opinionẽ uideri poteſt. Tradit eñ C. Mœcenatem eo affectu, ſeu morbo intentum fuiſſe, uti ante obitum, neutiquàm illi ſomnus contigerit ullo triennij momento, quod hercle (ſi uitæ hominum ratio pro re ipſa expenditur) adynaton exiſtimari ab omnibus debet, niſi rerum fortè prodigia, atq; portenta proſequamur, cum ſit hominis imprudentis (ut idem Plinius inquit) fidẽ ſuã illis aſtringere, quæ naturę

præſcriptum penitus excedunt. De Theone autem ſtoico, eiuſq; ſomnijs, & illud mirificũ à quibuſdam exiſtimat (ut Græci authores cõmemorant) quòd is dormiẽs paſſim ambulare conſueuit. Quo morbo & Periclis ſeruus laborauit; adeò ut in ſummis etiã tectis ſomnians perambularet. Itaq; philoſophi ipſi, qui Pyrrhonis decreta ſecuti ſunt, in dubitatione ſumma uerſantur, an ſit in omnibus uitæ officijs magis hærendum, quàm pro certo quicquam aſſerẽdum. Vnũ hoc ſe ſcire profitentes, quòd nihil penitus ſciant. Qua in rẽ non minus ſuam modeſtiam (ut inquit Auguſtinus) quàm inceptam inſcitiam arguunt.

Periclis ſeruus.

Finis libri decimi commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DVODECIMVS.

CAPVT I.

Qualis doctrina Platonis fuerit, & quo modò inter Pythagoram & Socratem medius fertur, ex Numenij Pythagorici ſententia.

Egregiè Numenius Pythagoricus, ac eruditè iudiciũ fecit de Platone philoſopho, quo pacto uidelicet eius uiri excellens doctrina, inter Pythagorã ipſum, ac Socratem media extiterit, ſic ut utriuſq; Genium facilè in eodem agnoſcas, cum cõmuni iure, utrũq; nõ modò coluerit, ſed etiam ſcribendo magnopere expreſſerit. Verba Numenij hæc ſunt: Plato (inquit) certè Pythagoricus fuit, ſed huc tamen & illuc liberè trahitur, ac per ſingula æquè mẽbra inter Pythagoram & Socratem medius fertur.

tur, Nam ſublimitatem illam Pythagoræ, ad maiorem quidem humanitatē deduxit. Humile uerò illud ac deiectū Socratis, ad grauitatē & magnitudinem reduxit. Atq; ita Plato Pythagora quidem popularior & cōmunior: Socrate uerò grauior & ſublimior eſt. Hæc Numenius de Platone, in libro de diſſenſione academicorū, quæ uel ipſe Pāphilus Euſebius recenſet, ad Theodorum epiſcopum, quo maximè loco de philoſophorum decretis diſſerit.

CAPVT II.

Quibus uiribus polleant ſeptem planetæ in hominum corpore, ex Arabum libris, ac de XII ſignis, eorumq; poteſtate ex ueterum ſententijs.

IN monimētis Arabum, qui aſtronomica diligēter tractarunt, non pauca interdum cōperiuntur, quæ non minorē certè eruditionem, quàm gratiā & uenuſtatē retineant: cuiuſmodi hoc eſt, quod ab illis traditur de ſeptem planetis, eorumq; uiribus, tum in qua maximè humani corporis parte polleant. Nam cū ipſi homines (ut res eſt) de cælo uitam & ſpiritū trahant, fateri etiam neceſſe eſt, ſphæras illas ſuperiores ſiue elementa, uiribus adeò ſummis excellere, ut in quibuſdam corporis partibus, ueluti ſuis domicilijs maiorē omnino uim, atq; poteſtatem exerceant. Sed opponam eorum traditiones, ex quibus totū ferè hominū corpus ad illa ſeptē elementa deferri, ac deduci uideatur. Et primò aſſerunt, per Solis imaginem hominum uitam ſignificari, ex quo in ipſo etiā ſole cerebrum, & corda regi affirmant, linguā uerò & os Mercurio, ſplenem à Saturno, hepar à Ioue, ſanguinē à Marte, renes & genitalī, ſemen à Venere, ſtomachum à Luna. Sed & ſingulis quoq; ſignis, quæ in Zodiaco ipſo motu perpeti mouenī, aſtronomiæ authores, ſuas humani corporis parteis dederūt; ſicuti

ex Grecis ꝑmulti, & ex noſtris Iulius Firmicus, qui ad apo/teleſmata (inquit) maximè pertinere, ſicubi ualitudinis lo/cum, aut uitij uolueris inuenire. Ita enim referunt ad ipſum ſigniferū, caput in Ariete, ceruix in Tauro, humeri in Ge minis, cor in Cancro, pectus & ſtomachus in Leone, uēter in Virgine, renes uertebræq; in Libra, genitalia in Scorpio/ne, fœmora in Sagittario, genicula in Capricorno, tibiæ in Aquario, pedes in Piſcibus. Mallius uerò poëta hæc eadem ad Auguſtum cæſarem his uerſibus:

Signa hæc (inquit) præcipuas in toto corpore uireis
Exercent: Aries caput eſt ante omnia princeps.
Sortitur quoq; ſenſus, & pulcherrima colla.
Taurus & in Geminis, æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris, pectusq; locatum
Sub Cancro eſt, laterum regnum, ſcapulæq; Leonis.
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem.
Libra tegit clunes, & Scorpius inguine gaudet.
Centauro femora accedunt, Capricornus utriſq;
Imperat in genibus, crurum fundentis Aquari
Arbitrium eſt, Piſceſq; pedum ſibi iura repoſcunt.

CAPVT III.

Egregiè factum & ingenti animo à Petro Caponio Florentino cum Carolo rege Gallorū in concerpendis tabulis coram eodem rege, cum iniquiores contra rempublicam uiderentur.

Factum eſt anno ſuperiore, ut Carolus Gallorū rex cum magno exercitu, & inſtructis copijs. Italiæ regionē inuaderet, idq; eo animo & con/ditione, ut expulſis Neapolitanis regibus, faci/lius regno potiretur. Sed antequàm expeditionem obiret. Florentinorū urbem, ueluti uictor ingreſſus eſt, ac mutato reipub. ſtatu, ab uniuerſo populo & ciuibus, tanquam liber tatis uindex, benignè ſalutatus, ac magnifice exceptus eſt.

Dein uerò cum in urbe ageret, cum magna copiarũ parte, ac indies cunctando expeditionẽ produceret, quo Florenti-no populo quamlibet conditionẽ imperaret, adeunt fortè Carolũ Gallorũ regẽ, ciues aliquot ex authoritate ſummi magiſtratus, ut cũ eo fœdus cõponant, conditionẽq́ pro tẽ-pore & fortuna accipiãt, atq́ hic fortè Petrus Caponius fuit qui cũ regẽ Gallorũ nimis uideret inſoleſcentẽ, ac fortunæ blandiẽtis illecebris captũ, utpote q̃ pro libidine Florẽtinis conditionem imponeret. Cumq́ eam (ut ſic) ſcriptis capiti-bus iniquiorẽ firmaret, inibi Petrus Caponius regem fortè aſpicit, ac tabulas legit, lectasq́ (ut uir ingẽtis animi) in ocu lis tanti regis percerpſit, ac ſimul hiſdem reiectis; Et nos (in quit) ad militẽ noſtrũ. Ac relicto ibidem rege, ad curiã per-git. Quod & ipſum Carolus rex (quãuis uictoria elatus, & xx millia militũ in caſtris haberet) admiratus, eiusq́ animũ ut altiora molientem ueritus, ex itinere iubet eum reuocari, quo meliori cõditione ſtatũ Florẽtinæ ciuitatis cõponeret. Dignũ certè facinus, ac memorandum cõtra inſolentiã gal-licã, quæ ridẽdo fidem frangit, & uictis illudit. Idem Capo-nius paulò mox in frequẽti ſenatu, comitijs approbãtibus imperator creatus eſt, ad bellũ Piſanũ, quæ urbs à populo *Piſanum.* Florentino in eiuſdem regis aduentu deſciuerat. Sed inter bellica inſtrumẽta, dum maiore animo, quàm fortuna uer-ſatur, glande ictus ab hoſtibus occubuit.

CAPVT IIII.

Quot in Rom. exercitu legiones forent, ex hiſtoria Polybij uiri dili-gentis, ac de centurijs & cohortibus non nihil.

VArie traditum eſt à ueteribus de Rom. exercitu & eius numero, tum quot equites in eo, ac pedi-tes adeſſent, qđ ego (ut rei ueritas agnoſcať) ex hiſtoria Polybij uiri diligẽtis referendũ putaui.

Is enim

Is enim copioſè hoc totũ in lib.annaliũ tertio explicat in hũc modũ,ut mittãtur ea omnia hoc loco, quæ à Liuio in Rom. hiſtoria deſcribunt:Romani(inqt)quatuor omnino legiõibus exercitum abſoluũt,legiones aũt ſingulæ quaternis millibus peditũ conſtant,ducẽtenis equitibus:uel ſicubi maior neceſſitas urget,quinis millibus peditũ,equitibus trecentenis.His totidem(inquit)milites ex ſocijs adijciuntur equites ferè triplicati.Neq; tñ ſeruatũ id eſt ſemper à uiris Rom.quoniã & bello quidam Punico decretũ fuit,ut octo tantũ legionibus rem gererent,ac legiones ſingulæ ut quinq; millia hominũ haberent. Quin & ipſe M.Cicero in libro de ſtoicorũ decretis,quæ παράδοξα appellat:Multi(inquit)ex te audierũt, cum diceres,Neminẽ diuitẽ,niſi qui exercitũ alere poſſet ſuis fructibus,quòd populo Rom.ex tantis uectigalibus iam pridem uix poteſt contingere. Hoc igitur propoſito,nunq; eris diues,anteq; ex tuis poſſeſſionibus tantũ reficiat, ut eo tueri quatuor legiones,& magna equitum ac peditũ auxilia poſſis.Neq; illud ignoratur,quòd & ſinguli quidem conſules binas,tantũ legiones contra hoſteis ducebant, auxilijs ſociorum adiectis, quod ipſum à probis authoribus aſſertũ eſt.Cincius aũt in cõmentarijs de re militari hæc de legionibus rettulit: In legione (inquit) centuriæ ſexaginta, manipuli triginta,cohortes decẽ,quod & Gellius quoq; uir Romanus in Atticis probat.

CAPVT V.

De ingenti animo Iulij cæſaris cũ ad pontẽ Rubiconẽ acceſſit, & edictum aſcriptum quod in ponte fluminis legebatur.

FRequens mentio fit in ſermonibus hominũ,quãta C.Cæſar audacia & animo fuerit, cum contra omnem ſenatus,populiq; Romani authoritatem fluuium Rubiconẽ cum exercitu tranſiret atq; ad urbem accederet.Id ego cum paſſim legerẽ,putaui non fore

uſq;

quibus uoluptatibus ac delitijs Rom.populus eſſet occupatus, ſicubi Rom.imperatores pro rebus bene geſtis ſolenniter triumphaſſent. Probus autē imperator cum de Germanis, Blemijs, ac Drungis triumphaturus eſſet, uenationem ampliſſimam Romæ in circo exhibuit: ita ut Rom.populus omnia paſſim diriperet. Sed aſcribam uerba Flauij Vopiſci, quibus hoc totum, nec ineleganter, proſequitur. Genus (inquit) ſpectaculi eiuſmodi fuit in triumpho Probi imperatoris. Arbores ualidæ per milites cum radicibus uulſæ, connexis latè, lōgeq; trabibus affixæ ſunt: terra dein ſuperiecta, totusq; circus ad ſyluæ ſpeciem cōſitus, gratiam nobis uiroris obtulit. Immiſſi deinde per omneis aditus ſtruthiones, mille cerui, mille apri, mille damæ: Libycæ omnes feræ, & cætera herbatica animalia, quanta uel ali potuerūt, uel inueniri. Immiſſi deinde populares, rapuit quiſq; quod uolebat. Sequēti die adiecit in amphiteatro una miſſione centum iubatos leones, qui rugitibus ſuis tonitrua excitabāt: qui omnes contis & ſibinis interempti ſunt, & mox occiſi. Præterea multi ſunt, qui dirigere uolebāt ſagittas, & immiſſi centum leopardi Libyci, centum deinde Syricæ, centū damæ, & urſi ſimul trecenti. Atq; item ſunt ædita gladiatorū paria ccc blemijs, pleriſq; pugnantibus, qui per triumphum erant ducti cum Germanis, Sarmathis, ac multis latronibus Sauris. Hæc hactenus de Probi imperatoris triumpho, quando nec defuerunt apud ueteres, qui de ludis ſcenicis, ac iſtiuſmodi ſpectaculis, libros integros componerent, quod alibi explicaui, cum agerē de Iunio Meſſala, qui uniuerſum quidem patrimonium, in ædendis ſpectandiſq; ludicris dicitur conſumpſiſſe. *Iunius Meſſa*

CAPVT VIII.

De ueteri Germanorum repub. & eorum moribus, inſtitutis, ac legibus, tam in militia, quàm in religione, nõ contemnenda obſeruatio.

NIhil inuenio in ueterum commentarijs utilius, & ad uitæ uſum commodius, quàm leges, ac uarios ritus ciuitatum obſeruare, moresq́ & conſuetudines multorum populorum perdiſcere, quo maior prudentia, & cognitio fiat honeſtior. Ex quo cum libros nuper legerẽ, qui de Germanis, eorumq́ moribus diſſerũt, non putaui fore indignũ, aut à præſcripto noſtri operis alienum, ſi de multis quædam colligerem, atq; ad uſum memoriæ ſubijcerem: cuiuſmodi hæc ſunt, quæ ad reipub. imperiũ, militaremq́ diſciplinã, & religionẽ Germanorũ pertinerẽt:

Publica omnia & priuata armati agunt.

Reges quidem ex nobilitate probant: duces uerò ex uirtute.

De rebus maioribus principes conſultant: de minoribus omnis.

Nullũ mortaliũ à ꝓprijs laribus arcẽt, quòd aliquẽ arcere maximè inhumanũ ſit.

Sera iuuenum uenus, & fœminæ ipſæ in robuſta iam ætate nubunt.

Vxores autem ſinguli habent ſingulas.

Neq; dotem marito uxori, ſed uxor maritus affert.

Iam & in militari diſciplina plurimùm cõmendantur, cum egregiè talia obſeruent.

Principes enim pro uictoria pugnant, & comites cæteri pro principe.

Idem ignominioſum ducunt, ſcuta in prælijs relinquere.

Ex familijs & propinquitatibus conficiunt turmas.

Fœminasq; interdum in exercitu habent, quæ inclinatam quãdoq; aciem feruntur reſtituiſſe. Ad negocia ferè omnia, & ad conuiuia armati ꝓcedunt.

In cultu uerò deorum fidem, pietatem, ac religionem mirificè obſeruant. Nam de dijs, eorumq; actis, ſanctius ac reuerentius ducunt credere quàm ſcire: unde illud frequens apud eos. De deo credendum, nõ quærendum. Deorum imagines minimè ad humanam formam faciunt, quòd illa cæleſtis maieſtas ſupra humanitatem ſit. Nefas putant, ut ignominioſi adſint in ſacris.

Deo credendum.

Talia

uſq; quaq; indignũ, ſi edictum illud Romanæ reipublicæ ad Rubiconem(quod in ponte legebatur)ſubijcerem. Ita enim facilius ferociam illam cæſaris & animi magnitudinem intelligemus, qui tantũ moliri facinus fuerit auſus, etſi paulum dicitur tamen conſtitiſſe, ac de reditu cogitaſſe, cum quantum aggrederetur animo reputaret. Eſt aũt hoc(ſicuti ex peruetuſtis monimentis compertum eſt) in quo illa Romani imperij maieſtas facilè demonſtratur.

Iuſſu, mandatòue populi Romani Conſulis, Imperatoris: Tribune, miles, tiro, commilito, armate, quiſquis es manipularie centurio, turmarie, legionarie hic ſiſtito, uexillum ſinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem, ſigna, arma, exercitũ, commeatúmue traducito. Siquis huiuſce iuſsionis ergò aduerſus præcepta ierit: fecerituè adiudicatus eſto hoſtis populo Rom. ac ſi cõtra patriã arma tulerit. penateſq; è ſacris penetralibus aſportauerit.

CAPVT VI.

De peris & manticis, corumq; nominibus, ac de paſceolo, & ſacciperijs, apud Plautum: inibiq; de hippoperijs apud Anneum Senecam.

CVm uaria, ſint nomina ſacculorum & manticarum, quæ paſſim apud poëtas, cæteroſq; authores ueteres legantur, eaq; interdum legentium mentem propter raritatem, ac nimiã uetuſtatẽ detineant, non ſum arbitratus alienum eſſe ab operis noſtri inſtituto, ſi ea omnia in hũc locum de manticis & peris ſubijciam, quæ nunc memoriam ſubeant. Sunt enim hæc, loculi, marſupia, mantica, calathus, & calathiſcus per diminutionem, qui Latinè qualus, & quaſillus. Pera item, culleus, aſcopa, ſitula, aſcopera, & facciperium. Sed & fiſci, fiſcinæ & fiſcellæ, ſportula, crumenæ, & uelleiæ. His annumerantur, ſcortea, hippoperæ, paſceolum, & bulga: de paſceolo aũt (quia id rarius eſt) M. Plautus meminit in comœdia Rudente his uerbis:

Numi (inquit) *octingenti auri in marſupio inſtrunt:*
Præterea centum denaria philippea in paſceolo ſeorſum.

Idem quoq; de ſacciperio:

Quæ nam balena (inquit) *meum uorauit uidulum*
Aurum atq; argentum ubi omne conpactum fuit:
Eadem illa credo, quæ meum marſupium
Quod plenum argenti fuit in ſacciperio.

De hippoperis facta eſt mentio in epiſtolis Annei Senecæ, cum de M. Catonis frugalitate diſſerit. M.Cato cenſorius (inquit) quem tam neceſſarium fuit reipu. naſci, quàm Scipionem. Alter enim cum hoſtibus noſtris bellum, alter cum moribus geſſit. Cantherio uehebatur, hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utilia portaret. De uelleis autem & fiſcinis ad hunc modum Pedianus Aſconius, ſuper ſecunda Ciceronis oratione in Verrem: Sportæ (inquit) ſportulæ, ſportellæ numûm ſunt receptacula, & ſacci, ſacculi, ſaccelli, & crumenæ, & uelleiæ, & ſorteæ, & manticæ, & marſupia. Ita etiam fiſci, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea, ſunt utenſilia, ad maioris ſummæ pecunias capiendas.

CAPVT VII.

De Rom. ſpectaculis, & ludis apparatiſsimis Probi imperatoris cum de Germanis triumpharet, ex hiſtoria Flaui Vopiſci.

TEnent me interdum, quæ à ueteribus tradunt, de Romanis ſpectaculis, ſcenicisq; ac uarijs ludis, in quibus celebrandis uidentur adeò fuiſſe quidam imperatores procliues, ut in hoc propémodum cõſtitiſſe appareat totius uictoriæ laus ac dignitas: quoniam ferè ad triumphaleis uictorias illuſtrandas, ſpectaculă iſta & ludicra parabantur. Sed libitum mihi eſt, ea hoc locó referre, quæ in triumpho Probi Augu. imperatoris Roma. populo exhibita ſunt, cum ex eo abundè poſſit intelligi, in quibus

agerent. Deniq; ut primum diſceſſi, & in filium meum uerum multa dixerunt, & de Antonio, quæ dixerunt, comperiſſe te credo. Nihil illis opto, niſi ut ſuis pullis alātur, quos queadmodum fœcundant, pudet dicere. Calices tibi albos, forteis, diuerſi coloris, trāſmiſi: quos mihi ſacerdos templi obtulit, tibi & ſorori meæ ſpecialiter dedicatos, quos tu uelim feſtis diebus, conuiuijs adhibeas. Caueas tamen, ne his Aphricanus noſter indulgenter utatur. Vale. Hæc de Aegyptijs Hadrianus: ex quo ſic Vopiſcus in uita Saturnini Augu. Sunt (inquit) Aegyptij uentoſi, furibundi, iniurioſi, nouarum rerū auidi, & uſq; ad cantilenas publicas liberi. Fuit autem Phlegon Hadriani principis à ſecretis, ac libros permultos compoſuit: ſicuti in Sudæ collectaneis legitur. Itaq; non pauci etiam fuerunt, qui opera quædam Hadriani in hunc ipſum Phlegontem retulerūt. Nam Hadrianus idem tam cupidus famæ fuit, & laudis, ut libros à ſe ſcriptos, de ſua uita libertis ſuis litteratis dederit, qui eos ſuis nominibus publicarent. Quod cum alij multi, tum Aelius Spartianus tradit ad imperatorem Diocletianum.

CAPVT XI.

Dictum elegans Phauorini philoſophi, de Hadriano imperatore, ac itidem ſimile quiddam Aſinij Pollionis cum Octauio Auguſto.

NOn pauca in ueterum monimentis reperiuntur, quæ Phauorini philoſophi, & ingeniū, & optimas diſciplinas probent. Is eīm ut Hadriani tempore Græca facundia præſtitit, ac Roma quoq; eruditionem egregiè calluit. Sed in præſens dictum eius admodū elegās apponā in quo facilè Atticā aſtutiā atq; artē cognoſcas. Nā cū Aelius Hadrianus impe. cū Phauorino (ut fit) de litteris ageret, atq; illū in uocabuli uſurpatiōe liberius

reprehen-

reprehenderet, amicis id arguentibus: quod iniquius Hadriano de uerbo eiuſmodi concederet, quo idonei authores uterentur. Subridens Phauorinus: Et malè (inquit) mihi ſuadetis familiares, qui nō illum me doctiorē haberi ab omnibus æquo animo feratis qui xxx legionibus imperet. In hūc modum nimia imperatoris Hadriani ambitio, famæq́; cupiditas deluſa eſt. Pari exemplo & Pollio Aſinius, cum feſcenninos in eum Octauius Auguſtus ſcriberet: At ego (inquit) taceo, nō enī facilè eſt, in eū ſcribere, qui poteſt proſcribere. Quod in cœnis etiam Macrobianis Auienus aſſeruit.

CAPVT XII.

Verba Hieronymi expoſita de Hiſmenia, contra quorundam inſcitiā, atq; ineptias: tum de Antigenide & Hiſmenia tibicinibus nonnihil additum.

RISI nuper quorundam inſcitiam, cum fortè Hieronymi apologia aliquot audientibus legeretur cōtra Turrantiū Ruffinum. Tum eò maximè loco deprehenſa eſt eorū ignoratio, cum de erroribus lxx agit in his uerbis. Et quod nunc dabreiamyn interpretatus ſum, idcirco feci, ut inextricabileis moras, & ſyluā nominum, quæ ſcriptorum uitio confuſa ſunt, ſenſuumq́; barbariem apertius per uerſuum cola dirigerem, mihimet ipſi, & meis iuxta Hiſmeniam canens, ſi aures ſurdæ ſunt cæterorum. Quæ uerba in eodem Hieronymo leges, in præfatione Paralipomenôn ad Chromatium. Sed quo loco ait iuxta Hiſmeniam, quidam fluuium intelligi dixerunt, alij montem, alij neſcio quem, ut nihil ineptius, aut dici abſurdius poſſit, cum ſit accipiendum iuxta Hiſmeniam hoc loco, ex eius Hiſmeniæ tibicinis dicto, quo ſe ipſum ſibimet canere aſſerebat. Ita enī ſenſus procedit, & dicti gratia. Quam rem uidetur mihi Hieronymus à Grecis authoribus (ut alia multa) mutuatus, qui de ipſo Hiſmenia referūt, ſolitum ſæpe dicere, ſibi ipſi canen-

dum

Talia ferè ſunt quæ de Germanorum moribus ab anti-quis ſcriptoribus referuntur, ſicuti à Tacito, Plinio, & alijs qui præter alia multa, & hoc de Germanis aſſerunt, plus ualere apud eos bonos mores, quàm apud alios bonas leges. *Encomium de Germanis.*

CAPVT IX.

Vrbanè factum à Claudio imperatore de ſcypho ſurrepto à T. Iunio in conuiuio, ac res ibidem explicata.

LEpidè factum ac perurbanè traditur à Claudio imperatore cum T. Iunio uiro prætorio in cõuiuio celebri, in quo cum plures (ut fit) primæ nobilitatis cõueniſſent, ac ſingulis uaſa Corinthia, uel Myrrhina (ut par eſt) apponerētur, quo nihil ad elegantiam poſſet deſiderari. Inibi T. Iunius, qui & prætor, & legionis præpoſitus fuit, ſumpta occaſione, aureum ſcyphum, egregij operis, ſuffuratus eſt. Quod cum in ratione colligenda imperator Claudius deprehenderet, pereleganti cõmento, hominis furtũ putauit detegendum. Parato enim mox alio conuiuio, ijdem acerſuntur, qui ad imperatoris dapes pridie conuenerant. Et cum ſingulis uaſa eadem gemmea, & precioſa in menſa reponerentur, uni duntaxat T. Iunio Samijs ac fictilibus miniſtratum eſt. Quod & Suetonius (ſuppreſſo Iunij nomine) ſcribit. Ex quo deinceps probro ſeruili reſperſus eſt, quaſi ſcyphum aureũ in principis conuiuio ſurripuiſſet, ut eſt author Corne. Tacitus. Sed is tamen Iunius in Galliæ Narbonenſi proconſulatu, ſeuerè admodum, atque integrè prouinciam rexit, quod apud authores relatum eſt.

ex Grecis ꝑmulti, & ex noſtris Iulius Firmicus, qui ad apotelesmata (inquit) maximè pertinere, ſicubi ualitudinis locum, aut uitij uolueris inuenire. Ita enim referunt ad ipſum ſigniferũ, caput in Ariete, ceruix in Tauro, humeri in Geminis, cor in Cancro, pectus & ſtomachus in Leone, uẽter in Virgine, renes uertebræq́; in Libra, genitalia in Scorpione, fœmora in Sagittario, genicula in Capricorno, tibiæ in Aquario, pedes in Piſcibus. Mallius uerò poëta hæc eadem ad Auguſtum cæſarem his uerſibus:

*Signa hæc (*inquit*) præcipuas in toto corpore uireis*
Exercent: Aries caput eſt ante omnia princeps.
Sortitur quoq; ſenſus, & pulcherrima colla.
Taurus & in Geminis, æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris, pectusq; locatum
Sub Cancro eſt, laterum regnum, ſcapuleq; Leonis.
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem.
Libra tegit cluneis, & Scorpius inguine gaudet.
Centauro femora accedunt, Capricornus utriſq;
Imperat in genibus, crurum fundentis Aquari
Arbitrium eſt, Piſceſq; pedum ſibi iura repoſcunt.

CAPVT III.

Egregiè factum & ingenti animo à Petro Caponio Florentino cum Carolo rege Gallorũ in concerpendis tabulis coram eodem rege, cum iniquiores contra rempublicam uiderentur.

FActum eſt anno ſuperiore, ut Carolus Gallorũ rex cum magno exercitu, & inſtructis copijs, Italiæ regionẽ inuaderet, idq́; eo animo & conditione, ut expulſis Neapolitanis regibus, facilius regno potiretur. Sed antequàm expeditionem obiret, Florentinorũ urbem, ueluti uictor ingreſſus eſt, ac mutato reipub. ſtatu, ab uniuerſo populo & ciuibus, tanquam libertatis uindex, benignè ſalutatus, ac magnificè exceptus eſt.

Dein uerò cum in urbe ageret, cum magna copiarū parte, ac indies cunctando expeditionē produceret, quo Florentino populo quamlibet conditionē imperaret, adeunt fortè Carolū Gallorū regē, ciues aliquot ex authoritate ſummi magiſtratus, ut cū eo fœdus cōponant, conditionēq; pro tēpore & fortuna accipiāt, atq; h.c fortè Petrus Caponius fuit qui cū regē Gallorū nimis uideret inſoleſcentē, ac fortunæ blandiētis illecebris captū, utpote q pro libidine Florētinis conditionem imponeret. Cumq; eam (ut ſic) ſcriptis capitibus iniquiorē firmaret, inibi Petrus Caponius regem fortè aſpicit, ac tabulas legit, lectaſq; (ut uir ingētis animi) in oculis tanti regis percerpſit, ac ſimul hiſdem reiectis: Et nos (inquit) ad militē noſtrū. Ac relicto ibidem rege, ad curiā pergit. Quod & ipſum Carolus rex (quāuis uictoria elatus, & xx millia militū in caſtris haberet) admiratus, eiuſq; animū ut altiora molientem ueritus, ex itinere iubet eum reuocari, quo meliori cōditione ſtatū Florētinæ ciuitatis cōponeret. Dignū certè facinus, ac memorandum cōtra inſolentiā gallicā, quæ ridēdo fidem frangit, & uictis illudit. Idem Caponius paulò mox in frequēti ſenatu, comitijs approbātibus imperator creatus eſt, ad bellū Piſanū, quæ urbs à populo Florentino in eiuſdem regis aduentu deſciuerat. Sed inter bellica inſtrumēta, dum maiore animo, quàm fortuna uerſatur, glande ictus ab hoſtibus occubuit.

Piſanum.

CAPUT IIII.

Quot in Rom. exercitu legiones forent, ex hiſtoria Polybij uiri diligentis, ac de centurijs & cohortibus non nihil.

VArie traditum eſt à ueteribus de Rom. exercitu & eius numero, tum quot equites in eo, ac pedites adeſſent, qđ ego (ut rei ueritas agnoſcat) ex hiſtoria Polybij uiri diligētis referendū putaui.

Is enim

quibus uoluptatibus ac delitijs Rom. populus eſſet oacupatus, ſicubi Rom. imperatores pro rebus bene geſtis ſolenniter triumphaſſent. Probus autē imperator cum de Germanis, Blemijs, ac Drungis triumphaturus eſſet, uenationem ampliſſimam Romæ in circo exhibuit: ita ut Rom. populus omnia paſſim diriperet. Sed aſcribam uerba Flauij Vopiſci, quibus hoc totum, nec ineleganter, proſequitur. Genus (inquit) ſpectaculi eiuſmodi fuit in triumpho Probi imperatoris. Arbores ualidæ per milites cum radicibus uulſæ, connexis latè, lōgeq; trabibus affixæ ſunt: terra dein ſuperiecta, totusq; circus ad ſyluæ ſpeciem cōſitus, gratiam nobis uiroris obtulit. Immiſſi deinde per omneis aditus ſtrutiones, mille cerui, mille apri, mille damæ: Libycæ omnes feræ, & cætera herbatica animalia, quanta uel ali potuerūt, uel inueniri. Immiſſi deinde populares, rapuit quiſq; quod uolebat. Sequēti die adiecit in amphiteatro una miſſione centum iubatos leones, qui rugitibus ſuis tonitrua excitabāt: qui omnes contis & ſibinis interempti ſunt, & mox occiſi. Præterea multi ſunt, qui dirigere uolebāt ſagittas, & immiſſi centum leopardi Libyci, centum deinde Syricæ, centū damæ, & urſi ſimul trecenti. Atq; item ſunt ædita gladiatorū paria ccc blemijs, pleriſq; pugnantibus, qui per triumphum erant ducti cum Germanis, Sarmathis, ac multis latronibus Sauris. Hæc hactenus de Probi imperatoris triumpho, quando nec defuerunt apud ueteres, qui de ludis ſcenicis, ac iſtiuſmodi ſpectaculis, libros integros componerent, quod alibi explicaui, cum agerē de Iunio Meſſala, qui uniuerſum quidem patrimonium, in ædendis ſpectandiſq; ludicris dicitur conſumpſiſſe. Iun ius Meſſa

CAPVT VIII.

De ueteri Germanorum repub. & eorum moribus, inſtitutis, ac legibus, tam in militia, quàm in religione, nõ contemnenda obſeruatio.

NIhil inuenio in ueterum commentarijs utilius, & ad uitæ uſum commodius, quàm leges, ac uarios ritus ciuitatum obſeruare, moreſq; & conſuetudines multorum populorum perdiſcere, quo maior prudentia, & cognitio fiat honeſtior. Ex quo cum libros nuper legerẽ, qui de Germanis, eorumq; moribus diſſerũt, non putaui fore indignũ, aut à præſcripto noſtri operis alienum, ſi de multis quædam colligerem, atq; ad uſum memoriæ ſubijcerem: cuiuſmodi hæc ſunt, quæ ad reipub. imperiũ, militaremq; diſciplinã, & religionẽ Germanorũ pertinerẽt:

Publica omnia & priuata armati agunt.

Reges quidem ex nobilitate probant: duces uerò ex uirtute.

De rebus maioribus principes conſultant: de minoribus omnis.

Nullũ mortaliũ à ꝓprijs laribus arcẽt, q aliquẽ arcere maximè inhumanũ (ſit.

Sera iuuenum uenus, & fœminæ ipſæ in robuſta iam ætate nubunt.

Vxores autem ſinguli habent ſingulas.

Neq; dotem marito uxori, ſed uxor maritus affert. (obſeruent.

Iam & in militari diſciplina plurimùm cõmendantur, cum egregiè talia

Principes enim pro uictoria pugnant, & comites cæteri pro principe.

Idem ignominioſum ducunt, ſcuta in prælijs relinquere.

Ex familijs & propinquitatibus conficiunt turmas.

Fœminaſq; interdum in exercitu habent, quæ inclinatam quãdoq; aciem feruntur reſtituiſſe. Ad negocia ferè omnia. & ad conuiuia armati ꝓcedunt.

In cultu uerò deorum fidem, pietatem, ac religionem mirificè obſeruant. Nam de dijs, eorumq; actis, ſanctius ac reuerentius ducunt credere quàm ſcire: unde illud frequens apud eos. De deo credendum, nõ quærendum. Deorum imagines minimè ad humanam formam faciunt, quòd illa cæleſtis maieſtas ſupra humanitatem ſit. Nefas putant, ut ignominioſi adſint in ſacris.

Deo credendum.

Talia

uſq; quaq; indignũ, ſi edictum illud Romanæ reipublicæ ad Rubiconem(quod in ponte legebatur)ſubijcerem. Ita enim facilius ferociam illam cæſaris & animi magnitudinem intelligemus, qui tantũ moliri facinus fuerit auſus, etſi paulum dicitur tamen conſtitiſſe, ac de reditu cogitaſſe, cum quantum aggrederetur animo reputaret. Eſt aũt hoc(ſicuti ex peruetuſtis monimentis compertum eſt) in quo illa Romani imperij maieſtas facilè demonſtratur.

Iuſſu, mandatòue populi Romani Conſulis, Imperatoris: Tribune, miles, tiro, commilito, armate, quiſquis es manipularie centurio, turmarie, legionarie hic ſiſtito, uexillum ſinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem, ſigna, arma, exercitũ, commeatúmue traducito. Siquis huiuſce iuſsionis ergò aduerſus præcepta ierit: feceritúe adiudicatus eſto hoſtis populo Rom. ac ſi cõtra patriã arma tulerit. penateſq; è ſacris penetralibus aſportauerit.

CAPVT VI.

De peris & manticis, eorumq; nominibus, ac de paſceolo, & ſacciperijs, apud Plautúm: inibiq; de hippoperijs apud Anneum Senecam.

CVm uaria, ſint nomina ſacculorum & manticarum, quæ paſſim apud poëtas, cæteroſq; authores ueteres legantur, eaq; interdum legentium mentem propter raritatem, ac nimiã uetuſtatẽ detineant, non ſum arbitratus alienum eſſe ab operis noſtri inſtituto, ſi ea omnia in hũc locum de manticis & peris ſubijciam, quæ nunc memoriam ſubeant. Sunt enim hæc, loculi, marſupia, mantica, calathus, & calathiſcus per diminutionem, qui Latinè qualus, & quaſillus. Pera item, culleus, aſcopa, ſitula, aſcopera, & ſacciperium. Sed & fiſci, fiſcinæ & fiſcellæ, ſportula, crumenæ, & uelleiæ. His annumerantur, ſcortea, hippoperæ, paſceolum, & bulga: de paſceolo aũt (quia id rarius eſt) M. Plautus meminit in comœdia Rudente his uerbis:

agerent. Deniq; ut primum diſceſſi, & in filium meum uerum multa dixerunt, & de Antonio, quæ dixerunt, comperiſſe te credo. Nihil illis opto, niſi ut ſuis pullis alãtur, quos quẽadmodum fœcundant, pudet dicere. Calices tibi albos, forteis, diuerſi coloris, trãſmiſi: quos mihi ſacerdos templi obtulit, tibi & ſorori meæ ſpecialiter dedicatos, quos tu uelim feſtis diebus, conuiuijs adhibeas. Caueas tamen, ne his Aphricanus noſter indulgenter utatur. Vale. Hæc de Aegyptijs Hadrianus: ex quo ſic Vopiſcus in uita Saturnini Augu. Sunt (inquit) Aegyptij uentoſi, furibundi, iniurioſi, nouarum rerũ auidi, & uſq; ad cantilenas publicas liberi. Fuit autem Phlegon Hadriani principis à ſecretis, ac libros permultos compoſuit: ſicuti in Sudæ collectaneis legitur. Itaq; non pauci etiam fuerunt, qui opera quædam Hadriani in hunc ipſum Phlegontem retulerũt. Nam Hadrianus idem tam cupidus famæ fuit, & laudis, ut libros à ſe ſcriptos, de ſua uita libertis ſuis litteratis dederit, qui eos ſuis nominibus publicarent. Quod cum alij multi, tum Aelius Spartianus tradit ad imperatorem Diocletianum.

CAPUT XI.

Dictum elegans Phauorini philoſophi, de Hadriano imperatore, ac itidem ſimile quiddam Aſinij Pollionis cum Octauio Auguſto.

NOn pauca in ueterum monimentis reperiuntur, quæ Phauorini philoſophi, & ingeniũ, & optimas diſciplinas probent. Is enĩ ut Hadriani tempore Græca facundia præſtitit, ac Romã quoq; eruditionem egregiè calluit. Sed in præſens dictum eius admodũ elegãs apponã in quo facilè Atticã aſtutiã atq; artẽ cognoſcas. Nã cũ Aelius Hadrianus impe. cũ Phauorino (ut fit) de litteris ageret, atq; illũ in uocabuli uſurpatiõe liberius reprehen-

reprehenderet, amicis id arguentibus: quod iniquius Hadriano de uerbo eiuſmodi concederet, quo idonei authores uterentur. Subridens Phauorinus: Et malè (inquit) mihi ſuadetis familiares, qui nõ illum me doctiorẽ haberi ab omnibus æquo animo feratis qui xxx legionibus imperet. In hũc modum nimia imperatoris Hadriani ambitio, famæq; cupiditas deluſa eſt. Pari exemplo & Pollio Aſinius, cum feſcenninos in eum Octauius Auguſtus ſcriberet: At ego (inquit) taceo, nõ ẽm facilè eſt, in eũ ſcribere, qui poteſt proſcribere. Quod in cœnis etiam Macrobianis Auienus aſſeruit.

CAPVT XII.

Verba Hieronymi expoſita de Hiſmenia, contra quorundam inſcitiã, atq; ineptias: tum de Antigenide & Hiſmenia tibicinibus nonnihil additum.

Riſi nuper quorundam inſcitiam, cum fortè Hieronymi apologia aliquot audientibus legeretur cõtra Turrantiũ Ruffinum. Tum eò maximè loco deprehenſa eſt eorũ ignoratio, cum de erroribus lxx agit in his uerbis. Et quod nunc dabreiamyn interpretatus ſum, idcirco feci, ut inextricabileis moras, & ſyluã nominum, quæ ſcriptorum uitio confuſa ſunt, ſenſuumq; barbariem apertius per uerſuum cola dirigerem, mihimet ipſi, & meis iuxta Hiſmeniam canens, ſi aures ſurdæ ſunt cæterorum. Quæ uerba in eodem Hieronymo leges, in præfatione Paralipomenõn ad Chromatium. Sed quo loco ait iuxta Hiſmeniam, quidam fluuium intelligi dixerunt, alij montem, alij neſcio quem, ut nihil ineptius, aut dici abſurdius poſſit, cum ſit accipiendum iuxta Hiſmeniam hoc loco, ex eius Hiſmeniæ tibicinis dicto, quo ſe ipſum ſibimet canere aſſerebat. Ita ẽm ſenſus procedit, & dicti gratia. Quam rem uidetur mihi Hieronymus à Grecis authoribus (ut alia multa) mutuatus, qui de ipſo Hiſmenia referũt, ſolitum ſæpe dicere, ſibi ipſi canen

dum

Talia ferè ſunt quæ de Germanorum moribus ab anti- quis ſcriptoribus referuntur, ſicuti à Tacito, Plinio, & alijs qui præter alia multa, & hoc de Germanis aſſerunt, plus ualere apud eos bonos mores, quàm apud alios bonas leges. *Encomium de Germanis.*

CAPVT IX.

Vrbanè factum à Claudio imperatore de ſcypho ſurrepto à T. Iunio in conuiuio, ac res ibidem explicata.

Lepidè factum ac perurbanè traditur à Claudio imperatore cum T. Iunio uiro prætorio in conuiuio celebri, in quo cum plures (ut fit) primæ nobilitatis conueniſſent, ac ſingulis uaſa Corinthia, uel Myrrhina (ut par eſt) apponerētur, quo nihil ad elegantiam poſſet deſiderari. Ibi T. Iunius, qui & prætor, & legionis præpoſitus fuit, ſumpta occaſione, aureum ſcyphum, egregij operis, ſuffuratus eſt. Quod cum in ratione colligenda imperator Claudius deprehenderet, perelegãti cõmento, hominis furtũ putauit detegendum. Parato enim mox alio conuiuio, ijdem accerſuntur, qui ad imperatoris dapes pridie conuenerant. Et cum ſingulis uaſa eadem gemmea, & precioſa in menſa reponerentur, uni duntaxat T. Iunio Samijs ac fictilibus miniſtratum eſt. Quod & Suetonius (ſuppreſſo Iunij nomine) ſcribit. Ex quo deinceps probro ſeruili reſperſus eſt, quaſi ſcyphum aureũ in principis conuiuio ſurripuiſſet, ut eſt author Corne. Tacitus. Sed is tamen Iunius in Galliæ Narbonenſi proconſulatu, ſeuerè admodum, atq; integrè prouinciam rexit, quod apud authores relatum eſt.

dũ eſſe. Fuit enim Hiſmenias tibicẽ peritiſſimus, Antigenidis diſcipulus: de quo etiã Bohetius in muſicis: Hiſmenias (inquit) Thebanus Boethiorũ pluribus, quos iſchiaticus morbus uexabat, modulis cũctas ferẽ abſterſiſſe moleſtias. Necq̃ illud ignoramus, quod hoc ipſum quidam rettulerint ad Antigenidem, quoniã is diſcipulo ſuo diceret: Mihi cane & muſis. Ex q̃ ſic M. Cicero in libro de claris oratoribus: Tibicen (inquit) Antigenides diſcipulo ſuo uergenti ad populũ: Mihi cane (inquit) & muſis. Ipſe autem Antigenides (ut eſt author Lucius Apuleius in oratione ad Seuerianum proconſulem) omnis uoculæ egregius modulator fuit & omnimodis peritus modificator, ſeu tu uelles Aeoliũ ſimplex, ſeu Aſium uarium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygiũ religioſum, ſeu Dorium bellicoſum. Mitto nunc ea de Hiſmenia, quæ apud Græcos legunt̃, quando & Plinius nobilẽ hũc facit, tradẽdo fulgẽtibus gẽmis uti ſolitũ, ſic ut ea oſtẽtatione, muſicæ artes magis cenſerentur. Quod & Nicomachus, & Dionyſidorus pari ſtudio factitarunt.

CAPVT XIII.

Deos æuiternos & æuintegros à poëta Ennio appellari, & Apulei uerba appoſita de dijs æuiternis.

Æuiternos deos appellauit Q. Ennius ea ratione, q̃d in ſempiterno æuo maieſtatem diuinã retineãt. Itaq; maximum Iouem, principem & æuiternum uocat, ſicuti à grammaticis noſtris adnotatũ eſt. L q̃cq; Apuleius cũ de nomine ac poteſtate deorũ diſputat, æuiternos dicit his uerbis: Hos (inquit) deos in ſublimi ętheris uertice locatos, ab humana contagione ꝓcul diſcretos, plurimi, ſed non ritè uenerantur, oẽs, ſed inſcitè metuũt, pauci, ſed impiè diffitenẽ, quos deos Plato exiſtimat ueros, incorporaleis,

animaleis,neq; ſine ullo exordio, ſed prorſus ac retro æuiternos à corporis cõtagione ſua quidem na tura remotos,ingenio ad ſummã beatitudinẽ porrecto,nullius extrarij boni participatione,ſed ex bono,& ad omnia cõpetentia prono nutu,facili,ſimplici,libero,& abſoluto.Seruius autẽ grammaticus & æuintegros deos refert ab eodem Ennio appellatos,quòd integra eorũ ætas atq; perfecta conſiſtat. In antiquis uerò elogijs æuiternũ genium legimus : ſic em̃ Romæ in tabula marmorea deſcriptũ eſt:D.POT.ET GEN.AEVIT.D. Quod interpretari ad hunc modum poſſumus:Dijs potentibus & genio æuiterno dicatum. Sed & Plinius Secundus de æuiterno deo meminit,in cuius ſacris furtum bouẽ imolari mos fuit,quod à Ver.Flacco notatum eſt.

Finis libri decimi commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. TREDECIMVS.

CAPVT I.

Pulcherrima deſcriptio de naturæ ordine, ac poteſtate ex Bardeſane Syrio,ac Pacuuij carmen allatũ de re conſimili.

PErmulta paſſim apud philoſophiæ authores leguntur,de uiribus atq; poteſtate naturæ,cuius prouidentia factum ſit, ut elementa itidem ipſa,ſuis quaſi numeris oriantur, concreſcant,& obeant: quod omnia æquè animantia,ſimili lege,ad ortum & obitum perducantur.Quam rem mirifica quidem elegantia & eruditione uidet̃ mihi imprimis Bardeſanes Syrius deſcripſiſſe,

quem

quem Pamphilus Euſebius, in diſciplinis cęleſtibus omni-
um Caldęorum doctiſſimum appellat. Sed libitum eſt eius
uerba ſubijcere, quibus apertè cognoſci poſſit, & eiuſdem
authoris eruditio, & naturæ ipſius, atq; mortalium uitæ ele-
gantiſſima deſcriptio, cum inter ipſa bruta animantia, & ho
mines mirificam certè differentiam afferat. Sic enim tradi-
dit: Homo naſcitur, alitur, creſcit, comedit, bibit, dormit, ſe-
neſcit, morit̃, quæ omnia ipſi cum cæteris animãtibus æqua
ratione cõmunia ſunt: ſed bruta quidem & ſtolida anima-
lia (quæ Græci ἄλογα uocant) cum ꝓcreata ſunt natura ipſa,
non ratione ferunt̃. Leo carnes comeſt, ac ſiquis iniuriam
inferat, ſtrenuè pro ſalute pugnat. Oues autẽ fœnũ eſitant,
carnes neutiq̃ attigũt, neq; ſe ab iniuria defendũt. Scorpius
terræ glebis depaſcit̃, & aculeo uirulẽto, nec iniuriantes in-
uadit. Formica duce natura, futuram hyemem præuidet, ob
idq; ſummo labore, ipſa æſtate alimenta ſibi ad uitam recon
dit. Apes ipſæ mel conficiunt, eodemq; nutriunt̃. Plura, ea-
demq; magis mirãda poſſum narrare, ſed hæc ſatis arbitror,
ex quibus intelligamus bruta ipſa, & rationis expertia ferri
natura, ac ſecũdum eam iucundè uiuere. Soli autem homi-
nes, cum & natura (ut dictũ eſt) ducant̃, mentem ſimul ac
rationẽ, quæ inde orit̃, præcipuũ ueluti munus adepti ſunt.
Etenim non unus quidem hominibus cibus, ſed uarius ac
diuerſus. Alij ut leones nutriunt̃, alij ſicuti oues, neq; itidẽ
unus omnibus ueſtitus, non mos, non lex, non unus uiuen
di modus, non ſimplex rerum cupido, ſed hominũ ſinguli,
uitam ſibi pro uoto deligunt, neq; uicinos (niſi quantũ li-
buit) imitantur. Hæc hactenus Bardiſanes. M. autem Pacu
uius uir in ſcribendis fabulis excellens, uim ac poteſtatem
naturæ in Chryſippo egregiè admodum conſcripſit, cuius
merito eueniat, ut orta omnia (quod inquit Salluſtius) occi-
dant, & aucta ſeneſcant. Pacuuij uerſus hi ſunt:

Quicquid eſt hoc, omnia animat, format, alit,
Auget, creat, ſepelit, recipitq; in ſeſe omnia:
Omniumq; idem eſt pater, in idemq; eadem
Quæ erunt de integro, atq; eodem occidunt.

CAPVT II.

De malo ciuilium diſſenſionum, & imago diſcordiæ elegantiſſimis uerſibus à Petronio Arbitro deſcripta.

CVm nuper legerem Petronij Arbitri carmen de bello inter cæſarem & Pompeium, mirificè me talis deſcriptio tenuit. Sed in ea maximè parte ſum delectatus, qua diſcordiæ imaginē graphicè & eruditè expreſſit, quod ego ad notandum putaui: ſiquidem nihil in quacq; ciuitate calamitoſius, atq; peſtilētius eſt, ſeditione ciuili, & inteſtinis factionibus, ſicuti noſtra quoq; ætas abundè intelligit, qua ſubcreſcentibus paſſim Italiæ fluctibus ac diſcordijs, Galliæ reges illam inuadentes peſſimè affecerunt. Sed apponam carmen Petronij:

Intremuêre tubæ, ac ſciſſo diſcordia crine
Extulit ad ſuperos ſtygium caput, huius in ore
Concretus ſanguis, contuſaq; lumina flebant.
Stabant irati, ſcabra rubigine dentes.
Tabo lingua fluens, obſceſſa draconibus ora:
Atq; inter toto laceratam pectore ueſtem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Ex his cōſtare poteſt, quàm ſit diligēter & aſſiduè laborandum, ut iſtiuſmodi ſeditiones, atq; diſcordias effugere poſſimus: quoniam id à Catone ciuitatis uenenum ueriſſimè eſt appellatum: ſicuti & M. Agrippa aſſerit, qui multum ſe debere Salluſtianæ ſententiæ profeſſus eſt, quo loco egregiè ac prudenter inquit: Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

Ciuitatis uenenum.

CAPVT

CAPVT III.

Romanorũ lex de dijs colendis, ac probandis per ſenatum, populũq; Romanum de Criſto etiam, & quantũ Tiberius imperator illi cõceſſerit.

NVper habita mentio eſt de Tiberio imperatore, & Chriſti miraculis, quæſitumq; à uiris doctioribus, an cæſar Augu. quicquàm de eo comperiſſet, qui tot mirãda, peneq; incredibilia in Aegypto ac Syria, Paleſtina effeciſſet. Qua in re tametſi non pauca ultro, citroq; pro tempore habita ſunt ad id pertinentia, nullus tamẽ ex ueteribus copioſius hoc explicat, quàm Florens Tertullianus: cui equidem propter antiquitatẽ, & egregiam eruditionem, nõ dixerim quantum concedam ac deferam. Is apertè probat relatum fuiſſe Tib. principi per Pontium Pilatũ de Chriſti diuinitate, qui tum apud Syrios præfectus agebat. Quod etiam in Taciti hiſtoria notatum eſt. Quin & ipſum refert cæſarem Tertullianus (quod eſt magis mirandum) detuliſſe hoc ad ſenatum, cum prærogatiua ut inquit ſui ſuffragij. Senatus uerò Romanus, quòd eam rem minus probaret, neglexit. Cæſar in ſentẽtia perſtitit, periculumq; & pœnam his cõminatus eſt, qui temerè Chriſtianos accuſarent. Hæc inquam à Tertulliano in eo potiſſimũ libro referunt, qui Apologeticus cõtra gentileis inſcribit. Neq; aũt mirum eſt, ſi ſenatus, populusq; Rom. imperatori Tiberio hac in re non paruit, quoniã de nouis dijs recipendis, atq; expellẽdis, ſenatus ipſe qua pelleret authoritate decernebat: ſicuti Romanæ leges ac decreta ſtatuerũt. Nam & in Pontificum libris ita ſeruatum eſt:

Separatim nemo ſit habens deos nouos, ſiue aduenas:
Niſi publicè aſcitos priuatim colunto,
Diuos, qui cæleſtes ſemper habiti colunto.
Conſtructa à patribus delubra habento.

Ex his autẽ facilè colligitur, haud permiſſum cuiq; in urbe

deos ſibi alios aſſumere, præterquàm quos ſenatus, populuſq; Rom. uoluiſſet. Ex quo dictum meritò eſt ab eodem Tertulliano, uetus decretum Romæ fuiſſe, ne quis deus ab imperatore poſſet conſecrari, niſi à ſenatu etiam probaret. Euſebius autem Pamphilus in ſacra hiſtoria hæc eadem aſſerit, mutuatus ferè (ut alia multa) à Tertulliano, quē legū decretorumq; Romanorum peritiſſimum uocat.

Tertullianus legū Rom. ſcientiſſ.

CAPVT IIII.

De nimia feritate Saporis regis contra Rom. imperatorem Aurelianum, ac de Tamburlano etiam principe ſimile exemplum contra Bayſettum Thurcarum imperatorem.

QVi res geſtas imperatorum apud ueteres litteris cōmendarunt, de Sapore Perſarū rege, inter alia unum hoc animi inſolentis, & imperioſi exemplum referunt, de quo mihi agendum putaui. Is enim Sapor, cum in bello contra ſenatū, populumq; Rom. imperatorē Aurelianū cepiſſet, cum maxima quidem ignominia, eum hominē captiuum detinebat, qui totius ferè orbis terrarū imperator fuiſſet, ſic, ut aſcenſurus equum rex Sapor, curuatos Aureliani humeros, pedibus premeret, ac deinde equum regeret. Qua animi elatione & inſolentia, nihil propè immodeſtius, aut inſolentius dici poteſt, cum & rex Belſolus, Odenatuſq;, & Valenus, aliíq; cōplures præclari principes ad repetēdum Rom. imperatorē Aurelianum inſurgerent contra Saporem. Sed & Tarburlanus (qui multò pòſt imperator maximus apud Scythas præſtitit) non minore quidem ſæuitia & animi feritate fuit, quod alibi à me cōmodius relatum eſt. Is enim Tarburlanus Bayſettū Thurcarum principem, cum in bello cepiſſet, per omneis ſanè expeditiōes, quas egit complureis, cathenis deuinctū in exercitu circumagebat, quo tam diro exemplo, talis crudelitas magis magiſq; populis innoteſceret.

CAPVT

CAPVT V.

De L. Metello uiro clariſſimo, & q̃ in tota uita decẽ præcipua pro uoto ſit conſecutus, ac de Craſſo etiam Mutiano, eiuſq; inſignibus.

EGregiè factũ eſt, ac pro Romana dignitate à L. Metello, qui decẽ ſe præcipua, & maxima in tota uita cõſequi ſummo ambitu deſiderauit, eaq; (ut tradit̃) abundè pro uoto ſibi parauit. Sunt autẽ hæc, quæ uir maximo animo & conſilio cõcupierit, ut ex his apertè intelligat̃, q̃ uel à tenera ætate uirtutũ ſigna in hominũ ingenijs prælucecſcãt. Voluiſſe eñ ferũt primariũ ſe bellatorẽ eſſe, optimũ oratorem, fortiſſimũ imperatorẽ, auſpicio ſuo maximas res geri, maximo honore uti, ſumma ſapientia eſſe, ſummũ ſenatorẽ haberi, pecuniã magnã bono modo inuenire, multos libros relinquere, & clariſſimũ in ciuitate eſſe. Atq; hæc quidẽ (ut dixi) cõſecutus tradit̃, ſicuti Q. Metellus ſcripſit in oratione de laudibus patris: & C. Plinius in hiſtoria naturali recẽſuit: ſiquidẽ nõ modò quindecẽuir fuit agris dandis, ſed pontifex, bis Cõſ. dictator, & magiſter equitũ, etiãq; à populo Roma. curru donatus, quo in curiam ueheret̃. Quod ipſum alibi à nobis copioſè relatum eſt. P. uerò Craſſus Mutianus, uir ſtrenuus, atq; clariſſimus quinq; maxima & præcipua dicit̃ habuiſſe, ut Aſelio Sempronius in Roma. hiſtoria rettulit quod eſſet quidẽ ditiſſimus, nobiliſſimus, eloquẽtiſſimus, iuriſcõſultiſſimus, quod etiã pontifex max. Quã rem & in Gellianis nocti. cõperies.

CAPVT VI.

Diligens adnotatio de generibus telorũ ac nominibus, & quæ cuiusq; gentis ſunt, tum de lancea, & ceſtris nonnihil.

NOn defuerunt apud ueteres, qui de re militari cũ ſcriberent, telorum quoq; genera, & gladiorum referrent, ſed ea tamen minus aptè, & commodè diſtinxerũt. Quod ego nuper in quorundam obſerua-

obſeruationibus cognoui, qui ueterum authoritate decepti, paulò imprudentius in eundem ſunt errorem delapſi, qua in re ut ad liquidum ueritas pernoſcatur, teloũ genera & iaculorũ afferemus, quibusq; nominibus apud ſuos populos cẽſeantur, ne quis diligentiã in nobis, maiorẽq; prætereà curam deſideret. Sunt igitur hæc, quæ apud probos authores iaculorum uocabula comperies, ſpari, cateiæ, frãmeæ, caiæ, rumigeſti, meſanculæ, ſibini, geſſa, ueruta, aclydes, romphęa, lãceæ, pila, ſariſſæ. Nã & ſcibones quoq;, & tragulas, & telones, haſtas, ſudes, phalaricas, iſſos, faces, ſemiphalaricas, ceſtra, ſolliferrea, & ſcorpios leges. Propria uerò populorum hæc ſunt, ut doctiores ferè conſentiunt, frammeæ Germanorũ, geſſa Gallorum, romphæa Thracum, lancea Hiſpanorũ, pila Romanorũ, iſſi Boiorũ, ſariſſæ Macedonũ, unde Sariſſophoros milites (qui cum Alexãdro Macedone decertarũt) frequens apud authores inuenias. Sibini uerò Illicorũ ſunt. Quod aũt lanceam dixerim eſſe Hiſpanicũ, ſequutus ſum M. Varronẽ & Gellium, nam Varro ipſe in libris rerum diuinarum, lanceam aſſeruit non Latinum quidem, ſed Hiſpanicum eſſe uerbum, etſi Pompeius Feſtus (qui Verrij Flacci commẽtarios in breuiarium contraxit) Græcũ eſſe hoc ſcribat, quod apud eos λόγχη pro haſta capiatur, ac λογχίτης ſatelles ſit. Vnde ridiculus error uulgi è ſacra hiſtoria emerſit Longinũ temerè credentis pro lancea, cũ uerba in Ioannis euangelio ad hunc modũ legantur ἀλλὰ ἑις τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ ἀυτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. Cæſtrõ uerò apud Græcos teli genus, quod in bello Perſico inuentum fuerit: ſicuti Sudæ collectanea probant. Quidam ex noſtris uiriculum Latinè uocarunt. Sibinam quoq; inter ipſa tela relatam, Sextus Pompeius libro xix de uerbis priſcis teſtatur. Sibina (inquit) apud Illiricos telũ dicitur, uenabuli ſimile, de quo & Q. Ennius in Rom. annalibus meminit.

Illirici reſtant, ſicis ſibinisq; fodentes.

CAPVT VII.

De anatomica diſciplina, & hiſtoria de Ariſtomene Meſſenio: qui hirſuto corde fuerit, ac ibidem relata quædam ex ueteribus de humano corde.

VIdere eſt apud eos authores, qui libros anamaticos ædiderũt, miranda quædam, & quaſi incredẽda deſcribi de humani corporis partibus. Qua in re putamus magna ex parte fidẽ illis adhibendã, quandoquidem curioſa ueterũ ſedulitas, nihil propè intactũ uel inconſideratũ reliquit, in quo nõ ſe demitteret. Illud aũt inter alia me nuper tenuit, quod in quibuſdã hominibus traditum ſit, cum eorũ cadauera diſſecarentur, hirſutũ cor fuiſſe inuentũ, ueluti & in corde bouis, equorũq; oſſa etiam comperta. Inter alios uerò Leonidam Sparthanũ, & Ariſtomenẽ Meſſeniũ nominauit C. Plinius, & Max. Valerius, eosq; animo & fortudine fuiſſe inſigneis, atq; præclariſſimos aſſerũt. Etenim Ariſtomenes quidem (ut in ueterũ hiſtorijs traditur) trecentos Lacedæmones occidit. Cumq; idẽ conuulneratus foret, & captus, latomiarũ pœnã & anguſtias, per cuniculos, & cauernas euaſit, ſequutus uidelicet ſubterraneos aditus. Iterũ captus (cuſtodibus ſomno ſopitis) ad ignẽ acceſſit, & lora cũ corpore exuſſit. Cũ tertio caperet, Lacedæmones eiuſdẽ pectus diſſecuerunt, q̃ hominẽ quoq; introſpicere poſſent inuentũq; eſt hirſuto corde fuiſſe Ariſtomenem. De perdicibus aũt, quod in Paphlagonia bina corda habeant, authores ſunt, philoſophus Theophraſtus, Plinius, & Gellius, ſicuti etiã uulgatũ illud in extiſpicijs, cor ipſum aliq̃do haud in uictimis inuentũ, quod ipſum C. Cæſari ſacrificãti nõ ſemel dicit̃ accidiſſe. Quibus aũt cor rigidũ ſit, bruta illa, & ſtolida animãtia exiſtimant̃. Quibus prægrãde, timidiora & pauida. Quibus parua, audacia & animoſa, quod & C. Pli. ex Ariſtotelis libris, ut alia multa recẽſet, q̃ loco de anatomice diſſerit.

Perdices bicordes.

CAPVT VIII.

Quomodo Diocletianus cæſar imperij dignitatē contempſerit, & quibus uerbis apud populum Romanum deprecatus ſit.

DIgnum ſanè exemplum de imperio Diocletiani Augu. in ueterum commentarijs reperitur. Is enim Diocletianus Romę imperator factus, diu imperium cum Herculio cæſare tenuit. Quo facto factum eſt, ut cum in ſenium uergeret, relicta imperandi cura priuati hominis perſonam delegerit, quaſi parum fore idoneus ad imperium Rom. populi moderandū. Quod equidem propterea exiſtimaui referendum, ut etiam quiuis intelligat, quàm maximè interdū fallantur homines, qui ea ſummo ambitu conquirant, & immoderata libidine expetant: quæ fugienda prorſus, ac deuitanda prudentiorum iudicio cenſent. Nam hic idem imperator Diocletianus, ubi ſe imperio abdicauit, Salonas conceſſit, Dalmatiæ urbem, in qua natus eſſet. Cumqꝫ ibidem priuatus in uilla iuxta Salonas ageret, ac molliter pro ætate præclaro in ocio conquieſceret, rogatus plrimùm eſt, à ſenatu, populoqꝫ Rom. ad imperiū recipiendum. Sed is talem dignitatem, æquè ac maximā peſtem accuſauit, atqꝫ in hūc etiam modum reſcripſit: Vtinam Romani poſſetis holera uiſere, noſtris manibus Salonis inſtituta, profectò enim nunquàm iſtud tentandum iudicaretis. Ex quibus haud dubiè colligitur, quanti ſit habenda ratio uitæ quietioris, præſertim in ætate iam affecta. Nam idem quoqꝫ Diocletianus cum priuatus uiueret, prudenter atqꝫ egregiè de imperio dixit: Nihil eſſe in rebus humanis difficilius, quàm bene imperare. Quod & Flauius Vopiſcus in commentarijs ad Baſſum ſcribit.

Salonæ.

Imperare q̄ difficile.

CAPVT IX.

Diſſentire C. Plinius ab antiquis ſcriptoribus de urſis Numidicis & quòd in Libya, & Numida celebrentur, ex Solino, Herodoto, & alijs.

SEruatum eſt, & in Romanis annalibus relatū, urſos quidem Numidicos in circo Romano ab ædilibus editos M. Piſone, & M. Meſala Conſ. Qua in re C. Plinius mirari ſe plurimùm refert, quod etiā Numidicos additum ſit, cum in ipſa (ut inquit) Aphrica minimè urſi gignantur. Ego etſi à Plinij authoritate nō cenſeam penitus diſſidendum, quoniam is quidem in ueterū monimentis perquirendis, penſandiſq; diligētior cæteris, & accuratior uideri ſolet, nō tamen prætermittam, quo minus ea de urſis Numidicis aſcribam, quæ cum publica annalium authoritate cōueniant. Siquidem Iulius Solinus in Polyhiſtore (ita enim liber inſcribitur) de urſis Numidicis hæc tradit: Numidici urſi forma (inquit) cæteris præſtant, rabie duntaxat, & uillis profundioribus. Quod haud dubiè probat, & in ipſa pariter Numidia urſos ꝓcreari. Verba autem ex Romanorū annalibus hæc ſunt, quæ Solinus etiam (ut alia permulta) ex libris Plinianis tranſtulit: M. Piſone & M. Meſſala Conſ. ad XIIII Cal. Octobris, L. Domitius Aenobarbus curulis ædilis urſos Numidicos centum, & totidem uenatores Aethiopas ſint circo Romano† dedit, quod ſpectaculū inter memorabileis titulos annotatur. Herodotus quoq; Halicarneſſeus idem ſenſit de urſis Libycis, ut poëtas noſtros mittamus, qui apertè probant, fuiſſe Numidicos urſos maximè celebreis: nam & Numidas, & Libycos paſſim appellitant, cuiuſmodi illud: † *ædidit*

Profuit ergo nihil miſeros, quòd comminus urſos
Figebat Numidas, Albana nudus arena. Aliud:
Quàm freno Libyci domantur urſi.

CAPVT X.

De figuris & effigie elementorum, ex Pythagorica doctrina apud philoſophum Platonem.

PRó cõperto iam omnibus eſt, Platonis quidem philoſophiã magna ex parte è ſacris illis, ac myſterijs Pythagoræ prouenìſſe, quãdo & ipſe Plato pleraq; non aliter ſenſit, ac Pythagoras, quod ipſum alicubi ingenuè profeſſus eſt, ut homo ad ueritatem natus. Cuiuſmodi etiã placita hæc atq; decreta ſunt, de mundi primordijs, eorũq; habitu & figuris. Aſſerit enim Pythagoras, quiq; eum ſecuti ſunt, terræ elementũ cubi, ſeu quadrati effigiem præferre, ignem uerò pyramidis, aquã forma eſſe octangula: uniuerſum autẽ duodecim angulorũ effigie. In qua ſententia & Plato ipſe fuit, qui in Tymæo copioſè hoc totũ percenſuit. Quod ego uel ob id obſeruandum putaui, ut iſtiuſmodi etiam opiniones memoriæ cõmendarem. Sed enim Pythagoras in hũc modum ait: ſicuti & Claudius Galenus repetit, quo loco de philoſophorũ placitis, atq; ſententijs diſputat: Pythagoras (inquit) Ἐκ μὲν γὰρ τοῦ κύβου γεγονέναι τὴν φησὶν ἐκ δὲ τῆς πυραμίδος, τὸ πῦρ, ἐκ δὲ τοῦ ὀκταέδρου τὸ ὕδωρ, ἐκ δὲ τοῦ δωδεκαέδρου τὴν τοῦ παντὸς σφαῖραν. Quod & Ioannes Zezes diligẽti ſtudio proſecutus eſt, uir (ut apparet) in omni antiquitate maximè diligens.

CAPVT XI.

Quid in Romana theologia forent deus Sentinus, & deus Vitunus, ac de dijs etiam ſelectis nonnulla ex Varronis, & Auguſtini commentarijs.

LIbros XVI ſcripſit M. Varro de Romanorum theologia, in quibus cum uaria deorũ nomina atq; rationes collegiſſet, in tam diuerſo, tanq; multiplici deorũ numero, Vitunum, & Sentinum enumerauit, eoſq; appellari ſic aſſeruit (ut eſt

ut eſt author Auguſtinus) quòd alter uitam, alter ſenſum à puerperio largiatur. Itaq; hos deos Auguſtinus obſcuriſſimos appellat. Et hi tamē (inquit) multò plus præſtāt, cū ſint ignobiliſſimi, q̃ illi tot proceres, & electi dij. Nam nihil dici potius atq; præclarius poteſt, in omni officio mortaliū, q̃ ui uendi, ac ſentiendi munere ampliari, quo circa uiuificatorem, ac ſenſificatorē nominat. Quod autē ſelecti dij ab Auguſtino nuncupant, ſciendū eſt, hos omneis à Varrone explicatos, uno uolumine, ob eamq; rationem ſic appellatos, quòd ampliorē poteſtatē, atq; dignitatē poſſideant. Seu q̃d apud ipſos populos celebriores alijs forēt, maioribusq; honoribus colerent. Qua propter à ueteribus dij ſelecti nobiliſſimi habiti ſunt, ſupra cæteros deos, ab Auguſtino bis deni enumerant, ex traditionibus M. Varronis XII mares, VIII fœminæ: hoc eſt Ianus, Iupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Lucina, Iuno, Diana, Minerua, Venus, Veſta. Sed hæc de dijs alibi explicauimus, dicatis huic operi uoluminibus.

CAPVT XII.

Quàm ſit grauiſſimum crimen nimia in homine inſolentia, atq; pro comitiali morbo habeatur, atq; execretur à philoſophis.

QVantum præſtitit Priennenſis Bias conſilio atq; ſapientia in omnibus uitæ officijs, notum eſt his omnibus, qui antiquitatis ſtudio, atq; diſciplinis delectant, cum ab ipſo etiā Apolline ꝓpter egregiam, ſingularemq; illius ſapientiā, tripode aureo donatus tradatur. Is igitur inter cætera hominū uitia, & delicta, faſtū, præcipuè ac inſolentiā odio maximo habuit, nihil exiſtimās iniquius ac ſceleſtius in rebus humanis fieri, q̃ elatione animi, immodicaq; arrogantia uti. Quo circa modeſtè (inquit) & ciuiliter in uitæ officijs agendum eſſe. Ita em̄ gratia & ſtu

dium paratur apud omneis: faſtus aũt & inſolentia damnũ atq; odium affert. Sed & Zeno ille Citius (cuius uerecũdia præcipuè cõmendatur) monere homines conſueuit, ut nihil prorſus faſtu & inſolentia indignius atq; fœdius exiſtimarent. Idq; cum omibus, tum in iuuenibus maximè, quòd eorum ingenia ſine ulla ratione impudẽtiſſimè inſoleſcãt, eoq; nomine in furorem atq; inſaniam facilè rapiantur. De qua re cum copioſè atq; eleganter Picus Mirandula mecũ diſſeruiſſet, haud alienũ exiſtimaui ab inſtituto noſtræ profeſſionis, aliquid ceu mnemoſynõ mihi ipſi adnotare. Eſt ẽm hac *Heraclitus ſcotinus.* in re habenda ſemper in memoria Heracliti Epheſij ſententia (qui ex ipſa ſcribendi obſcuritate ſcotinos eſt appellatus) is nanq; faſtum dicebat atq; animi elationẽ, perinde atq; ſacrum morbũ ſeu comitialẽ habendum atq; extimandum.

Finis libri tredecimi commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSQVARTVS.

CAPVT I.

Quàm probis moribus & egregia doctrina Plutarchus præſtitit, ac ibidẽ epiſtola eiuſdem aſcripta ad Vlpium Traianũ Augu.

COmplura ſunt in Græcorum cõmentarijs, quæ Cheronẽſis Plutarchi mores, atq; ingenium declarent, quanta uidelicet modeſtia & probitate omneis diſciplinas, atq; optima ſtudia pcoluerit, etſi opera ab eo cõpoſita, elucubrataeq; uigiliæ, hoc totũ etiam comprobent, iuxta illud: Qualis oratio talis uita. Nam cum

Vlpij

Vlpij Traiani Augu. præceptor fuerit, ac eiuſdem ingenium bonis diſciplinis inſtruxerit, ſuum eſſe officiũ exiſtimauit, nõ minus honeſtis ſtudijs, q̃ proprio uitæ exẽplo eum optimè erudire, qui meritò conſenſu omniũ totius orbis terrarum imperator dici deberet. Neq; modò imperator, ſed optimus imperator. Quod in numis adhuc ueteribus uulgò perſpicitur, in quibus idem Traianus titulo quaſi peculiari optimus cenſetur. Sed libuit epiſtolã philoſophi Plutarchi ſubijcere, ad eundem Traianũ deſcriptam, quo facilius iudicari poſſit, quanta animi libertate, ad optima quæq; conſequenda adhortetũ & moneat, quaſi iam tum tanti animi indolem, ac uirtutẽ prænotaret. Plutarchus Traiano Augu. ſalutem. Modeſtiã tuam noueram non appetere principatũ, quem tamẽ optimis moribus ſemper mereri ſtuduiſti. Itaq; tanto dignior hoc iudicaris, quãto à crimine ambitionis abeſſe longius exiſtimaris. Quo nomine tuæ uirtuti gratulor, & fortunę meę, ſi eũ rectè geſſeris, quẽ probè meruiſti, alioqui te periculis, & me detrahentiũ linguis ſubiectum iri nõ dubito, cum & ignauiam imperatorũ Roma nõ ferat, & ſermo publicus delicta diſcipulorũ refundere ſoleat in præceptores. Sic Seneca Neronis ſui culpa detrahentiũ uerbis inceſſitur, adoleſcentũ ſuorum temeritas in Quintilianum refunditur, & Socrates in pupillũ ſuum dementior fuiſſe culpatur. Tu uerò quodcũq; uelis, aut cupias rectiſſimè geres, ſi non à te ipſo receſſeris, ſi primùm te, animũq; tuum compoſueris, ſi omnia ad uirtutẽ diſpoſueris, rectè tibi uniuerſa proceſſerint. Ciuitatis cõſtitutiones, morũq; uireis tibi deſcripſi, quibus ſi (ut par eſt) obtẽperaueris, Plutarchũ uiuendi habebis authorẽ: alioqui præſentẽ epiſtolã teſtem inuoco, quòd in perniciem quidem Rom. imperij nõ pergis authore Plutarcho. Hæc hactenus, quæ ab authore in libro de imperatoria inſtitutione referuntur.

Traianus optimus.

CAPVT

CAPVT II.

Sacricommiſſum, & impiecommiſſum, quomodo inter ſe differant: ex pontificum legibus, & quid hæc uerba ſignificent.

APpoſitè meHercle, & eruditè ſeruata eſt à ueteribus Romanis proprietas quædam, & poteſtas in exponēdis uocibus, adeò ut quo antiquiores aliquid ſcripſerunt, eò id uideatur abſolutius, doctius, ac ſincerius, ſicuti quod nuper in iure pontificū Rom. legimus, quo loco impiecommiſſum, & ſacricommiſſum differre inter ſe aſſerunt. Nam cōmittere impiè is dicitur, qui tamen purgari poteſt. Ille aūt ſacricōmiſſi arguebatur, qui nullo pacto, aut tempore, poſſet expiari. Verſus ex tabulis illis pontificum hi ſunt:

Sacricommiſſum eſt, quod nunquàm expiari poterit:
Impiecommiſſum eſt, quod expiari poterit.

Qua in re per egregiè mihi uidenť cōſideraſſe, aliud ad uitæ modeſtiam pertinere, alterum ad religionē & deos. Itaq; M. etiā Cicero ius pontificū accuratè doctus: hoc inquit poſtremū uel aſperſiōe aquæ, uel dierū numero to llit, animi labes neq; diuturnitate uaneſcere, nec manibus ullis elui poteſt.

CAPVT III.

De obitu dæmonum, ac memoranda hiſtoria de Panis interitu, Tiberio Cæſare imperante, tum de Chriſto etiam nonnihil conſiderandum.

LIbrū fecit Cheroneus Plutarchus hoc titulo, quod oracula ueterum defecerint, uir iudicio & Græca eloquentia ſummus. In eo aūt dæmones quoq; ipſos fuiſſe mortaleis affirmat, exemplūq; adijcit de Panis memorādo interitu, quem accidiſſe inquit Tiberio Cæſare imperante, quod ego prætermiſſem uti cōmentitium & fabuloſum, niſi me Plutarchi grauitas, & in rebus decernendis

nendis indicium cõmoneret. Sed eius uerba ſubſcribam, ex
quibus apertè hoc totum de Panis interitu cõſtare poſſit: De
morte (inquit) dæmonũ audiui equidẽ à rhetore Aemiliano
uiro & prudente, ac modeſto, quem multos ueſtrum cogno
uiſſe arbitror. Quod cũ eius pater Italiã adnauigaret, circa in
ſulas quas appellãt Echinadas, & uẽtis deficiẽtibus, ꝓpe Pax
as deueniſſet. Cumq́ omnes ferè, qui ſimul nauigabãt, attẽ-
tiores euigilarẽt, repente à Paxis inſula, uox magna eſt exau
dita, qua Thannus quidam uocabatur. Quæ uox, rei nouita
te, magno admodum terrore cũctos perculit. Thannus eñ
ille, qui uocabatur, homo erat Aegyptius, eiuſdemq́ nauis
gubernator. Ex quo ſemel, atq́ iterum uocatus nihil reſpon
dit, tertiò autem morem uocanti geſſit, atq́ illi reſpondit. Ille
uerò multò maiori uoce exclamauit: Cum fueris propter pa
ludem, nuncia tunc Pana magnum eſſe mortuum. Quo au
dito, dicebat Epiterſes (ita enim Aemiliani pater uocabatur)
omnis magno terrore fuiſſe affectos. Cumq́ magnopere du
bitarent, an eiuſmodi uoci foret obtemperandũ, Thanni gu
bernatoris conſiliũ hoc à cæteris probatũ eſt, ut ſi uenti pro
uoto ſpirarent, nihil prorſus dicendum. Sin autem contrà ac
cideret, ac flatus eo loco deficerent, proloquendũ eſſe, quod
audierunt. Cum igitur paludem attigiſſent, neq́ tũ uenti ſpi
rarent, Thannus ipſe in æquor pronus, clara uoce exclama-
uit, quæ audierat: Magnus Pan mortuus eſt. Quo nunciato
ſtatim magnus multorũ gemitus, quodam quaſi miraculo
exauditus eſt, quoniamq́ haud pauci fuerant, qui ſimul na-
uigabant. Cum facili curſu Romã ueniſſent, tantæ rei rumo
re uniuerſam quidem ciuitatem replerunt. Tiberius autem
Cæſar (qui Romanæ tũ reipublicæ imperiũ gerebat) Than-
num accerſiuit, eiq́ tam certam fidem habuit, ut conuocatis
philoſophis, qui in urbe erãt, diligenter quæſitũ ſit, quiſnam
ille Pan eſſet. Ipſi uerò philoſophi, pari cõſenſu dixerunt de

Ec illo

illo quidem nűciatum uideri, qui à Mercurio, & Penelope originẽ duxerit. Hactenus Plutarchus, quæ uel Pamphilus Euſebius ad epiſcopũ Theodórum recenſet. Idemq; ait: Dignũ eſſe diligenti animaduerſione, eodem tẽpore fuiſſe hunc dæmonis obitum, quo & Chriſtus, quẽ pro ſummo deo Chriſtiani colunt, qui omneis quidem dæmones, de hominum uita expulit, atq; deiecit. Tib. eñ imperante Chriſtus uixit, & pro ſalute mortalium in crucem elatus eſt. Sed hoc totum cõmodius in ſacris theorematis explicauimus.

CAPVT IIII.

Galieni imperatoris impudenter dicta contra Rom. rempub. & quo animo fuerit in acceptis cladibus atq; defectionibus.

CVm legerem nuper Rom. annaleis, in quibus imperatorũ hiſtoria ſcribitur, apertè cognoui, quanto in diſcrimine Romana dignitas ſæpiſſimè ageretur, his præſertim temporibus, quibus ipſi principes libidinibus ac uoluptatibus dediti, nihil preterea penſi habebãt, de imperio Rom. & eius maieſtate. Itaq; mirandum non eſt, ſiquãdo tam ſumma dignitas, ad haſtam etiam deuenit ac uiliſſimi inſtar mancipij uenditioni expoſita eſt, ut is imperiũ orbis poſſideret, q̃ plus auri militibus obtuliſſet. Illud aũt fœdius atq; damnoſius, qđ & quidã impera. de acceptis cladibus, ac ꝓuinciarũ defectionibus, impudentiſſimè iocati ſunt, cuiuſmodi fuerũt illa quæ Galieno imperãte contigerãt. Is enim tam perditæ fuit licentiæ atq; improbitatis, ut contra Rom. decus, propriãq; dignitatem, in his iocari nõ dubitaret, quæ in humani generis damnum extarent, ſicubi ab antiquis ſcriptoribus aſſeritur. Nam cum Galieno relatum eſſet, Aegyptum à Rom. imperio deſciuiſſe: ita illudẽs inquit, ſine lino Aegyptio eſſe non poſſumus? Perdita autem Gallia riſiſſe fertur. Et non

eſt

eſt(inquit)tuta reſpu.ſine trabeatis ſagis: Cum uerò Aſiam uaſtatam,& Alemanorũ concurſionibus,Scytarumq́ inuaſionibus comperiſſet:Quid (inquit)ſine Aphronitis eſſe nõ poſſumus? Sed iſtiuſmodi plura alia & fœdiora de Galieno impera. à Pollione Trebellio ſcribunt ad Conſtan. impe.

CAPVT V.

Probro fuiſſe apud Romanos,ut equites ac pedites in cœlibatu eſſent: tum leges allatæ contra cœlibatum, & quid idem Moſes & Plato ſtatuerunt.

EGregiè ac prudenter à ueteribus factũ eſt, qui ciuitatum inſtituta & leges uolebãt à ſuis ciuibus perdiſci,ne uidelicet ignari rerum & uitæ, rationisq́ expertes haberi poſſent. Nã quid eſſet hominibus melius ac potius debet,quàm ex aliorum inuentis atq; cõſtitutionibus,prudentiã augere, & inſcitiã prorſus repellere? Ex quo illud nuper obſeruandum putaui,quod in XII relatũ eſſet cõtra eos ciueis, qui in cœlibatu perſiſterent. Erat enim cenſorũ officium,ne Romanæ equites ac pedites cœlibes forent, quod hoc ipſum ueluti probrum habitum eſt.Verſus autẽ ex antiquis legibus ſubijciam, quo facilius id totum innoteſcas: *Cœlibatus interdictus.*

Cenſores equitum,peditumq́; prolem diſtribuunto:
Cœlibes eſſe prohibunto,
Mores populi regunto.
Probrum in ſenatu ne relinquunto.

Ex his conſtat,qua diligentia & ſtudio ſeruatũ ſit à ſenatu populoq́ Rom.ut eorũ ſoboles concreſceret.Val.autẽ Maximus Camillum, & Poſthumium cenſores tradit feciſſe eos ærarios,qui ad ſenectutem cœlibes peruenerãt. Cumq́ aliqui talem conſtitutionem incuſarent,puniti ſunt à cenſoribus, hæc aſſerentibus: Natura uobis queadmodum naſcendi,ita gignandi legem præſcribit,parẽtesq́ uos alendo, *Cœlibes custodes ærarij.*

nepotum nutriendorũ debito, ſiquis eſt pudor alligauerũt. Ite igitur, & nodoſam exoluite ſtirpẽ, utilem poſteritati numeroſæ. Sed & Moſes hoc idem conſtituit, qui diuinas leges, quaſiq; oracula quædam Hebræis tradidit. Plato uerò in om̃i uitæ officio cõſultiſſimus, ita in legibus ſtatuit: Vxorem quiſq; à xxx anno, uſq; ad xxxv ducat. Siquod nõ faxit, pecunia & probro mulctet̃. Ita enim fit, ut humanũ genus ſuapte natura immortale exiſtat, neq; ullus puto reperitur, qui nõ maximè cupiat æternum ſibi nomẽ apud poſteros. Itaq; hac una ratione, perpetua ducantur hominũ ſæcula, quod & filij filiorũ cõtinuo generandi ordine coaleſcãt. Neq; fas eſt ſe ipſum hac immortalitate eximere, quod ab illis efficitur, qui filios & uxores cõtemnunt. Quicunq; huic legi obſecundauerit, indemnis eſto: qui ſecus faxit, & pecunia & probro mulctatus eſto. Hinc factum exiſtimo, ut in Romana ciuitate leges trigeminæ, & aliæ paſſim latæ ſunt, ad uſum procreandæ ſobolis, de quibus apud ueteres permulta leguntur.

Leges trigeminæ.

CAPVT VI.

De centenarijs cœnis, ac uerba Tertulliani expoſita, tum de lege Fannia, & miliarijs apris, & columnis.

TErtulliani uerba ſunt in apologetico cõtra gentileis, quo loco de Rom. legibus agit: quoniã illæ leges abierunt, ſumptũ & ambitionẽ cõprimentes, quæ centũ æra, nõ amplius in cœnam ſcribi iubebant, nec amplius quàm unam inferri gallinã, & eam nõ ſaginatã. In his autẽ ſumptuarias leges inſinuat, quibus cautum erat, nec ſupra C. HS. in cõuiuijs quiſq; Romanus expenderet. Sed erit puto minus indignũ, ſi uerba Fanniæ legis referemus, cum præſertim de re ipſa non Gellius tantũ, ſed Sammonicus, & Macrobius aliquid tradant, ut ea mittam impræſens, quæ de Licinia, Aemilliaq; legibus dicant.

Satis

Satis enim futurum eſt gratis, ſi de Fannia quæ legerim apponam, quibusq́ uerbis cibarij ſumptus, ac nimius Romanorum luxus inhiberetur. Ludis (inquit) Romanis plebeis & ſaturnalibus, & alijs quibuſdã diebus, æra centena in dies ſingulos impenduntò, & alijs diebus decẽ in ſingulis menſibus trigena ſunto. Cæteris diebus omnibus tantundem. Si quis plus faxit, dicta pœna damnatus eſto. Hinc Tertullianus Romanorum libidinem & ambitionẽ in cõuiuijs, tam urgẽter accuſat, cœnasq́ illas ueterũ parciores, appellat centenaria: Video enĩ (inquit) & centenarias cœnas, à centenis iam ſextertijs, dictas. Nam & Lucilius poëta amarulentus, centuſſem in ſatyris, legem eandem lepidè uocauit. Permultis autem legibus cœnas illas profuſiores, & adipaleis Romani cohercuerunt, quod in ueterum cõmentarijs abundè explicatur. C. certè Plinius cum de nimio ſumptu Romanorum in extruendis ædificijs ſcribit, ad hunc modum Romani populi improbitatẽ inceſſit: Extant (inquit) cenſoriæ leges glandia in cœnis, gliresq́, & alia minora apponi uetantes, marmora inuehi, & maria huius rei cauſa trãſiri, quæ uetaret lex, nulla lata eſt. Iam & in ueterũ ædificijs colũnæ, & porticus centenariæ ſunt appellatæ: quæ centũ paſſibus longæ eſſent. Sicuti & miliariæ porticus apud Suetoniũ, & alios authores, à numero millenario dicũtur. Var. autẽ Terentius ad Q. Pliniũ de uillaticis paſtionibus, milliarios apros urbanè appellat, qui mille pondo crederentur. Aelius uerò Lampridius, Antonium Heliogabalum imperatorem, centenaria uaſa refert habuiſſe argẽtea, id eſt, ut conijcio centũ pondo. Verba eius hæc ſunt: Primus Heliogabalus menſas, deinde & capſas argenteas habuit. Primus etiam caçabos, uaſa deinde centenaria argentea ſculpta, & nonnulla ſchematibus libidinoſiſſimis inquinata.

Centuſſis lex centenaria.

CAPVT VII.

De urbanitate M. Antonij cum Græcis, & quo cōmento Athenienſiū blandimentis illuſerit, ac digno talione repreſſerit.

VRbanè factū eſt, atq; admodum callidè à M. Antonio, cum Athenienſium urbem uictor ingrederetur. Nam cū ipſe Antonius ob res egregiè geſtas, pro deo Libero haberi ſe uellet, atq; id nomē ſtatuis etiam uel, ut inſigne elogium aſcriberetur, Athenienſis populus, ut qui ingenio & ſalibus præſtaret, ſtatim conſilium hoc iniuit, ut ipſum quidem Antonium, in tanta uictoria, non ſummis modò honoribus decoraret, ſed etiam uenienti, blandienter obuiam iret, & ea ratione qua Bacchi numen ſalutando exciperet. Eunt igitur obuiam Athenienſes cum liberis, & coniugibus, & Dionyſium uocitantes, blandiſſimè ſalutarūt, quod hactenus ſatis cōmodè pro re ipſa proceſſerat. Sed quoniam blandiri Atticorum eſt, ac nimium aſſentari, adiecerunt etiam Palladem ſe (quæ in arce Athenienſium colebatur) Libero in matrimonium deſponſiſſe, ſimulq; ut eam duceret, nuptiæq; fierent impensè illum rogauerunt. Quod Antonius haud quidem contempſit, & occaſione accepta, ducturum ſe prorſus reſpondit, ſed imperare tamen ſe Athenienſibus nomine dotis mille talenta. In quo apparet quàm ſubdolè, quàm aſtutè Romana calliditas ingenio Attico illuſerit, quando Athenienſiū plauſus ac blanditiæ, nō modò (ut inquit Anneus Seneca) ab homine Ro. deprehenſæ ſunt, ſed etiam caſtigatæ. Quo nomine quidam è Græculis feſtiuè ac ſcitulè in hunc modum fertur iocatus: Hic impunè ad uxorem, ſed Athenienſium ſponſalia mille talentis ſunt æſtimata.

Blandiri Atticorum uitium.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quæ apud Syrios dea Adagartis, ac de eius ſimulacro, & q́ uirginis ſignũ pro iuſtitia ſit à Nigidio Figulo acceptũ, eiuſdemq́; uerba appoſita.

Cum nuper legerẽ Baſſi commentariũ ſup C. Germanici Phenomenis, quę ille ex poëta Arato ciuibus Romanis Latina exhibuit, in eũ fortè locũ lectio deducta eſt, quo de Erigone à Germanico ſcribit. Hæc eñ inter Leonẽ & Libram domiciliũ tenet, ſed ibi fortè quæſitũ eſt, quæ nã foret dea Adagartis: quoniã Baſſus ad hunc modum de ea tradit: Virginẽ (inquit) nõnulli eſſe Cererem dixerũt, eò quod ſpicas teneret, alij Adagartim, quidam uerò Fortunã: quoniã ſine capite aſtris infert. Verũ cum nihil tum ſuppeteret, incidi mox in Macrobianas cœnas, in qbus poteſtas ac uis eiuſdem Adagartis deſcripta eſt, quo maximè loco de Adad, & Adagartide Syrijs dijs agitur, ſed ſcribam Vectij Prætextati uerba, ne quid hac in re poſſit deſiderari: Deo (inquit) quẽ ſummum, maximumq́; Aſſyrij uenerantur, Adad nomen indiderunt, eius nominis interpretatio ſignificat unũ. Hunc ergo ut potiſſimũ adorant deum, ſed eidem ſubiungunt deam nomine Adagartim, omnemq́; poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuũt, ſolem, terramq́; intelligentes. Nec multitudinẽ nominũ enuntiãtes, diuiſam per omnes ſpecies poteſtatẽ, ſed argumentis quibus ornantur ſignificantes, multiplicẽ præſtantiã duplicis numinis. Ipſa autẽ argumenta ſolis rationẽ loquunt, namq́; ſimulacrũ Adad inſigne cernitur, radijs inclinatis, quibus monſtrat uim cæli in radijs eſſe ſolis, qui demittunt in terram. Adagartis ſimulacrum, ſurſum uerſum, reclinatis radijs inſigne eſt, mõſtrando radiorũ ui ſupernè miſſorũ enaſci, quæcũq́; terra progenerat. Sub eodem ſimulacro ſpecies leonum ſunt, eadem ratione terram eſſe monſtrantes: quã Phryges finxère matrẽ deũm *Adad.*

deum id eſt terram leonibus uehi. Sed & Strabo diligens authhor in rebus ſyriacis deam hanc Syris aſcribit: Trans fluuiū (inquit) Bambiena eſt, quam urbem etiā Edeſſam & ſacram appellant. In ea uerò deā Syriā Adagartim colūt. Ex his abundè cōſtat cuiuſmodi apud Baſſum dea ſit Adagartis, eāq; tali nomine apud Aſſyrios pro terra uenerari. Baſſus eñ ſpiciferam uirginem uariè acceptā aſſerit, ſicuti & C. Higinius in ſecundo Aſtronomicôn ad Fabiū recenſet. Nigidius uerò Figulus iuſtitiā uel æquitatem eam exiſtimatā probat his uerbis: Virgo ipſa iuſtitia ſiue æquitas dicit̄, quæ inter mortaleis locis penè omnibus & conciliabulis ſolita eſſet cōſiſtere, atq; omnibus præcipere, ne temerè à iuſtitia, & æquitate diſcederent, qui quādiu monitis eius obtemperarūt, ſine ulla quidē cura ac ſollicitudine uixerunt. Sed cū negligentius obſeruarent, inſidijsq;, & cupiditate & auaritia, alter alterum deciperet, diſceſſit illa ab hominibus, & digna cæleſti numero immortale præmium pietatis poſſedit. Vnde illud uulgatum:

Victa iacet pietas, & uirgo, cæde madenteis
Vltima cæleſtum terras aſtrea reliquit.

CAPVT IX.

De triplici numerorum proportione, in arithmetice, muſicè, & geometrice: tum de eleganti ſimilitudine ad rempublicam.

SCriptum copioſè à ueteribus, & eruditè admodū explicatū, qui maximè cenſeātur termini ac proportiones in his numeris, quorū ratio ad muſicen arithmeticen, & geometriā diſciplinam pertineat Neq; indignum ſanè eſt, aut ab honeſtioribus litteris abhorrens, ita eorū rationes & præcepta callere, ut facilè cognoſcas quę minor in quolibet termino ſit proportio, quæ maior, quæ item poſſit æqualis appellari. Nam in arithmeticis maior quidē proportio eſt in minoribus terminis. In muſice

autem

aũt maior eſt proportio in maioribus terminis. Geometria uerò in minoribus, & in maioribus æquali proportione componitur: quod hæc in quibusq; proportionibus æquum ius ubiq; cuſtodiat. Ex quo Anicius Boëthius, qui mathematicas à Græcis accepit, pereleganti ſimilitudine uidetur uſus, ad hanc ipſam proportionũ uarietatem dignoſcendam. Scribit em̃ quod ipſa quidem arithmetica ei potiſſimũ reipublicę comparanda eſt, quæ à paucioribus regitur: muſica illi, quæ ab optimatibus. Geometria uerò (inquit) ſtatum quaſi popularem effingere, quòd æqualiter omnia penſare, ac æſtimare iudicetur. Maximè autem uerſat̃ hæc facultas in his ueſtigãdis, quæ plana & ſolida dicuntur. Planum enim quod in latitudinem, & longitudinẽ lineas habet, ſicuti triquetra, & quadrata ſunt, citra altitudinẽ in area deſcripta. Solida uerò quæ non latitudinem & longitudinem cum linearũ numeris habẽt, ſed altitudines extollunt, ut ſunt metæ, pyramides, teſſaræ, atq; cubi, quos Latinè quidam quadrantalia interpretantur. Sed hæc aliàs commode à nobis ſunt expoſita.

CAPVT X.

De Romanorum ſtudio in bonis diſciplinis, & relata contentio inter Lucullum: Hortenſium, & Siſennam de hiſtoria Marſica componenda.

DElectant me interdũ exempla quædam Romanę nobilitatis, quæ in nobis adeò diſciplinis excolebatur. Adeò litterarũ ſtudijs fauebat, ut nihil mirum ſit, ad ſummum propè faſtigiũ cuiuſq; eruditionis eos deueniſſe. Sed enim noſtra ætate, illi ferè uulgò haberi ſolent ſapientiores, & nobiliores, qui honeſtas quidẽ diſciplinas, ac litterarum cognitionem contemnũt. L. autem Lucullus, & qui tũ in Rom. ciuitate principes agebãt, lõgè aliter ſentiẽtes, ita bonis ſtudijs egregiè affecti erãt, ut cũ uiris doctiſſimis uerſari aſſiduè, & cõgredi nõ dubitarint: cuiuſmo

rÿ generis edulia pari ordine litterarũ prænotabat, in quo uiſus eſt uoluiſſe aliqua in parte L. Luculli cœnas, atq; ordinẽ imitari. Hoc autem de imperatore Geta Aelius Spartianus ad Conſtantinum Auguſtum rettulit.

CAPVT XII.

Quòd nullæ deorum imagines per clx annos in urbe Romana fuerint ex Numæ doctrina. Et quòd Hebræi quoq; nullas in templis imagines haberẽt, aliaq; de templis atq; imaginibus memorāda.

Res digna memoratu eſt, quæ à Clemente Alexandrino traditur, de Numa rege Romanorum eiusq; religione. Refert enim, cum is fuerit Pythagoricus, Moſis præcepta, & ritus ab eo magna ex parte ſeruatos: nam Pythagoras quidẽ ad Aegyptios acceſſit, eorumq; ſacra, & myſteria diligẽter ꝑquæſiuit. Ex quo idem Numa inquit apud Romanos lege cõſtituta ad exemplũ Moſis, necubi dÿs imago ulla tribueret. Factumq; ob id, ut ꝑ clx annos ab urbe cõdita, nulla ꝓrſus Romæ aut depicta, aut inſculpta deorũ imago uiſeretur. Quod ipſum Auguſtinus & Euſebius Pamphilus ꝓbant, cum de Iudæorũ ſacris, & religione diſſerunt. Sed eñ in eorũ tẽplo, quod in Solymis nobiliſſimũ foret, nullã fuiſſe imaginẽ cõſtat quod & Cor. Tacitus in hiſtoria Iudaica nõ negat: etſi ut loquacior à Chriſtianis inceſſit. Septimus uerò Tertullianus ſic in apologetico: Cor. (inquit) Tacitus, ſanè ille mẽdaciorũ loquaciſſimus, in eadem hiſtoria refert Gn. Pompeiũ cum urbem Hieroſolymam cepiſſet, proptereaq; templum adiſſet, ſpeculandis Iudaicæ religionis archanis nullum illic reppcriſſe ſimulacrũ. Et utiq; ſi id colebatur, quod aliqua effigie repræſentaret, nuſquàm magis, q̃ in ſacrario ſuo eſſet, exhibitum, eò magis, quia nec uerebat̃ extraneos arbitros, quanquàm uana cultura. Solis enim ſacerdotibus adire licitum, conſpectus aũt cæterorũ uelo oppanſo interdicebatur

Corn. Tacitus reprehenſus.

tur: hæc Tertullianus. Zenon uero Citieus in libro, quē de moderanda repub. ſcripſit, apertè oſtendit, ea prorſus contemnenda, quæ cura & ſtudio hominū perficiantur. Sacella (inquit) ac templa conſtruere, nihil quidem neceſſe eſt. Nihil enim ſacrum iure exiſtimandum, neq; pro ſancto habendum, quod ipſi homines conſtruxerint. Sed & Xerſes traditur omnia quidem templa in Græcia combuſiſſe, ſuadentibus hoc magis, quòd impium ac nefarium foret deos ipſos parietibus includere.

CAPVT XIII.

An uerum ſit, quod de Numa, & Pythagora notauimus, ac ibidem probatum habuiſſe Romanos temporibus Numæ regis imagines deorum.

CONſiderandum melius eſt, quod in ſuperiori capite notauimus de Numa rege, & eius diſciplinis. Nam quæ traduntur à Pamphilo Euſebio, & Clemente Alexandrino, eundem Numam, præceptore Pythagora Hebræos ſequutum: necubi Romanus populus deorū imagines haberet, authores quidem hac in re magni nominis & doctrinæ diſſentiunt. Dionyſius enī Halicarnaſſeus eruditè probat, Numā regem ante philoſophū Pythagoram, quattuor penè ætates uixiſſe: neq; ullo modo eius diſciplinis affuiſſe: quod & M. Cicero & Plutarchus Cheroneus, atq; Manetus uidentur concedere, quoniam Numas ante Crothonam, & Sybarim urbeis conditas, Romanū imperium rexit XVI Olympiade. Pythagoras autē ſexageſima quarta, Tarquinio imperāte, qui ſuperbus eſt cognominatus. Sed illud penitus à ueritate abhorret, quod iſti afferūt de Romanis imaginibus: ſiquidem Numæ regis tēporibus (ut C. Plinius tradit) ſimulacra quædā, & imagines Romæ extiterūt, quādo idem Numa Ianum geminū dedicauit, qui pacis, belliq; argumēto in urbe

coleret, cuius effigies foret digitis ita cõpoſitis, ut adnotatione ccclxv dierũ, per ſignificationẽ anni, atq; tẽporis deũ ſe deſignaret. De quo ſimulacro etiam Prætextatus in cœnis Macrobianis diſputat, cũ Ianũ ipſum pro ſole accipiẽdum eſſe copioſè exequit̃. Neq; dubiũ eſt, Romanorũ regũ tẽporibus, lignea quidem ſimulacra, & fictilia in urbe fuiſſe, qđ & C. Plinius exiſtimauit, & ſi Auguſtinus longè aliter ſentit Varrone authore: Cuius (inquit) uerba clariſſimè teſtantur nullum fuiſſe in urbe ſimulacrũ deorũ per annos clx, factumq; deinceps ut ex imaginũ ac ſtatuarũ multitudine, religionis cultus negligentior, atq; contemptior haberetur.

CAPVT XIIII.

De Aſclepiade medico, qui lectos ægrotis ſuſpenſileis primus excogitauit, ac de triclinijs uerſatilibus imperatoris Heliogabali.

COmplura ſcripta ſunt à ueteribus de Aſclepiade medico, qui ætate Cn. Pompeij uixit, deq; eius ingenio atq; diſciplinis. Is eñ præter alia multa documenta, quæ ad artẽ medendi pertinerent, blandimẽta etiã, & quaſi lenocinia cõmentus eſt, ad ægrorũ gratiã atq; iucunditatẽ: ſiquidẽ & balneorũ conſuetudinẽ celebrẽ fecit, primusq; lectulos excogitauit ſuſpenſileis, quorũ molli, faciliq; iactatione, aut alliceretur ſomnus, aut morbi ipſi magis extenuari poſſent, quod à C. Plinio relatũ eſt ex M. Varronis cõmentarijs. Idẽ præterea Aſclepiades ꝓmulta in arte medendi cõmutauit, quod & Themiſon eius ſucceſſor ſectatus eſt. De Vario autẽ Heliogabalo (qui ſupra oĩa rerũ prodigia molliſſimus fuit) traditũ eſt, eũ uerſatilia triclinia habuiſſe, in q̃bus quãdoq; amicos ſuos ponere conſueuit, eosq; uiolis & floribus obrutos opprimere, ſic, ut aliqui animã efflauerint, quod in hiſtoria Lampridij memoratur ad imperatorem Conſtantinum.

Finis libri decimiquarti commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSQVINTVS.

CAPVT I.

Hiſtoria de Cleomede Pyſte, & quibus geſtis atq; honoribus claruerit, ex Theodereto & alijs authoribus.

CElebratus eſt à C. Plinio Euthimus Pyctes inſignis, qui oraculo etiam ſummi Iouis conſecratus traditur: quoniam ſemper Olympiæ uictor, & ſemel uictus fuit. Qua in re cõplura ſunt allata à doctiſſimo uiro Hermolao ex Pauſaniæ lectiones, & ſi de oraculo hoc nihil omnino apud Pauſaniam comperies. Legimus autem apud authorem Theodoretum nomen Pyctę alterius, cui nomen Cleomedes, quem Pythius Apollo, ut deum coli iuſſerit, ſicuti Pythiæ carmine probatum eſt:

Υστατος ἡρώων Κλεομήδης ἀστυπαλαιεύς.
Ον θυσίαις τιμᾶθ' ὡς οὐκ ἔτι θνητὸν ἐόντα.

Puto autem non iniocundum fore legentibus, ſi ea hoc loco referamus, quæ ad hiſtoriam hanc Cleomedis pertinent. Is igitur aduerſariũ unico ictu cum percuſſiſſet, latera eius adaperuit, atq; iniecta manu, inteſtina eduxit. Sed cum iudices hi, qui certamini præſidebant, nimiam illam crudelitatem mirati eſſent, mulctandum quidem Cleomedem putarunt. Is uerò grauiter iratus, diſceſſit. Ac dum iter per forum capeſſit, columnam diſiecit, qua tectum litterarij ludi ſuffulciebatur, eaq; ruina pueros omnis (qui in eo ludo ſeſſitabãt) perobruit. Quibus geſtis, factum eſt, ut eum Pythius inter deos rettulerit (ut eſt author Theoderetus) Oraculi autem

ipſius

ipſius (quod ſupra retulimus) ſentẽtia hæc eſt: Vltimũ herorum Cleomedẽ Aſtypalẽſem, colendumq́; ſacrificijs, quando mortalis eſſe iam deſierit. Sed & Pauſanias à Cleomede refert lxxi Olympiade in pugilatu Iachum Epidamniũ fuiſſe occiſum. Cumq́; damnaſſent eũ iudices, quòd iniquius ſe geſſerit, palmamq́; illi abſtuliſſent, mœrore nimio affectus ad inſaniam redactus eſt, & Aſtypaleam rediјt, columnãq́; ibidem euertit, qua litteratarius ludus fulciebatur, eoq́; caſu ſexaginta fermè pueri traduntur in ludo extincti. Quocirca cum illum ſui ciues lapidibus impeterent, in Mineruæ templum ſe recepit, atq́; arcam ingreſſus, quæ fortè in templo aderat, operculo ſe obtexit, diuq́; fruſtra laborarunt Aſtypalenſes, uti eam arcam aperirent. Verùm confractis tandem arcæ illius lateribus, nuſquam Cleomedem compererunt. Itaq́; in re tam mirifica Delphos miſerunt, qui oraculũ conſulerent, ſuper his quę Cleomedi eueniſſent. Reſponſumq́; à Pythia eſt idem carmen, quod ex Theodereto attulimus. ut Aſtypalẽſes diuinos ei honores exhiberẽt, & ueluti deũ colerent. Quod ego cum diligentius aduerto, miratus penè ſum, à Plinio fuiſſe prætermiſſum, uiro in omni antiquitate perquirenda diligentiſſimo. De hoc ipſo Cleomede, Plutarchus, Celſus, & Enomaus, permulta referũt, & ſi alicubi Diomedem, pro Cleomede reperias. *Iachus Epidamnius.*

CAPVT II.

Nobile exemplum de Alexandro Macedone, contra inutiles labores, & nimis curioſam ſedulitatem.

PErſæpe in uita id accidit, ut nõ pauci operã ac ſtudiũ in his rebus collocẽt, quæ etſi difficulcultatis multũ atq́; laboris pręſeferãt, nihil tñ utilitatis & emolumẽti habẽt. Nec em̃ ꝓbare illa primo aſpectu debemus, quæ non ſine ſummo etiã conatu, atq́; uigilijs

conſequi

conſequi poſſumus. Siquidem non ſemper in arduis ac difficilioribus uirtus uerſatur, quod ab ipſis etiam ſtoicis aſſeritũ eſt. Sed Alexander ille Philippi filius, exemplo quidẽ honeneſtiſſimo idem cõprobauit. Nam cum militẽ quendam in exercitu haberet, qui ex diſtãte ſpacio, grana ciceris miſſa in acum ſtatim ac ſine fruſtratiõe inſertaret, ſimulq; rem hanc pleriq;, ut arduam & mirificã ſpectabundi efferrent: tum rex (ut egregia uir prudẽtia) eiuſdem leguminis modio militem illum donauit: digniſſimũ ſanè illo opere præmiũ. Haud enĩ ad cuiuſquàm id uſum, atq; emolumentũ pertinebat. Neq; uerò deſunt qui inepto ambitu, laboreq; inutili ac ſuperuacuo, tempus optimũ conterant iſtis nugis, quæ uana quidẽ ſedulitas perelegãti uoce à Græcis ματαιοτεχνία eſt appellata. Id aũt de Alexandro rege exemplũ, & Fabius ad Marcellũ Victoriũ refert, quo maximè loco exponit, an ſit uirtus rhetorices.

CAPVT III.

Quid ſint apud iureconſultos reliquatores, & quid item reliquari & reliquatio: ac loci aliquot in iure ciuili expoſiti.

IN libris digeſtorũ, quo loco de publicanis & uectigalibus agitur, uerba hæc ſunt: Ad cognoſcendũ uectigal, nemo inuitus cõpellitur: & ideo impleto tempore cõductionis ea locanda ſunt: reliquatores uectigaliũ, ad intuendã conductionẽ, ante quã ſuperiori conductiõi ſatisfiat, admittendi nõ ſunt. Hæc eſt aũt uera & genuina in libris uetuſtioribus lectio, quæ peruerſa, interpolataq; in uulgatioribus habẽt. Nam pro illo, quod & nos legimus ea locãda ſunt: inuenies licitatores alloquẽdi ſunt, quod Accurſius quoq; Florentinus agnoſcit. Et quo loco nos reliquatores, illi ſubdiderunt licitatores. Sicuti quod in principio legis huius erat locatio, ſubdiderunt iſti licitatio. Neq; obſcurus admodum, ſed perfacilis eſt uerborum intel-

lectus

lectus, ſatis fore ex uſu, quoties dies exacta ſit, in qua uecti-galia quis publicè cõduxit, iterũ ea locare auctione, nec eñ iniuriã cuiq; fieri, ſi maius precium quæratur locandis uecti galibus: quando nemini liberũ non ſit, abſtinere conductio ne. Sunt igitur ea locanda impleto tempore conductionis. Neq; debent (inquit) admitti ad retinendam conductionẽ, hoc eſt, ad licitationem alterã reliquatores, id eſt, qui non-dum integrum ſoluerũt, ſed reliquũ ſibi aliud ad ſoluendum fecerint. Nam hi ſunt propriè reliquatores, qui quod alicui debent, ex aſſe & integro nõ perſoluunt, ſed alicuius partis debitores adhuc remanẽt. Quod etiam ad illos referri poteſt qui malam rationem reddunt. Hinc uerbum deductum eſt, reliquari, id eſt, reliquũ ac ſolutionem facere. Et reliquatio quæ in noſtris iurecõſultis haud infrequenter cõperias. Habes id in Scæuolæ uerbis: Ea (inquit) quæ mala ratione reli-quatus eſt, quaſi furatus repoſuerat. Pro quo uulgati codi-ces habẽt: Ea quæ mala ratiõe reliquaq; curatus eſt. Et apud eundem: Humanũ eſt reliquari uſuras, neq; ab ipſo qui ex adminiſtratiõe, neq; à fideiuſſore eius, & multò minus à ma giſtratibus, qui auctione acceperint, exigi oportet. Pro illo aũt reliquatus eſt, aut relinqu t, aut relictus eſt, in cũctis ferè exẽplaribus inuenies, unde nullus om:no ſenſus elici poteſt q ſ ſicubi etiã integrũ adhuc ꝑmaneat, & reliquari uerbũ & reliquator, neſcio tñ quo pacto mutare hoc interp̃tes (ita cre uit inſcitia) & inuertere conanẽ. Sic aũt Paul. in iure ciuili cõ ſultiſſimus: Legatarius (inq̃t) ꝓferebat manu patrisfamiliæ reliquatũ. Quod Accurſius reliquarũ legit, quin & idẽ Pau lus alibi. Si pupillus (inquit) poſt ſuã libertatẽ rationibus cõ tentiõe acceptis, reliquationẽ eius ſequutus uſuras accepta uerit, priuilegiũ ſuũ nõ admittit. Et paulopòſt: Quod ex cõ ditione reliquatus eſt accepiſſe inde uidet̃. Sed & Scæuolæ uerba de inſtrumẽto legato hæc ſunt: Reliquatus eſt amplã

ſubdiderunt, ignorantes arbitror illud, quàm de, apud ueteres perinde ualuiſſe, ac quàm cõparationis dictionem. Nam & locum hunc Sex. Pompeius ſignauit, in libro de priſcis uerbis XVI. Tum prolatis ueterum exemplis exponit, qui hoc idem dixerunt: Et Lucretius poëta (inquit) quàm de, pro quàm dixit, ſicuti etiam Liuius Andronicus poëta uetuſtiſſimus:

Muro magis fretus, quàm de manus impetu.

Iam & multa extima falsò indiderunt, quo loco pars multeſima ab eodem Lucretio ſcriptum eſt his uerbis:

Et uideas cælum ſummai totius unum:

Quàm ſit paruula pars, & quàm multeſima conſtet.

Qua in re grammaticorum nobis authoritas patrocinatur, quando & centeſimus, & milleſimus probè dicitur. Partem multeſimã inquit Nonius, nouè poſitum eſt à Lucretio pro minima, ne quis fortè paulò incautius, atq; audacius à ueteribus decedat. Quæ à me uel ob eam rationem ſunt adnotata, quoniam Marullus Bizantius ætate noſtra, uir alioqui diligens, paulò improbius delere hæc, & alia pro ingenio ſubdere tentauit, quæ ab eius quoq; ſectatoribus recepta ſunt pro uerißimis.

CAPVT V.

De Hadriani imperatoris ingenio & urbanitate, & qua talione Florum poëtam repreſſerit, uerſiculis eiuſdem relatis.

HAud hercle immeritò in Romanis litteris ꝑmultùm commendatur Hadriani cæſaris ingenium, tum eiuſdem quædam, ueluti peculiaris urbanitas, inter alia uerò complura, non ſine magna ac mirifica oblectatione legi reſponſum illius ad poëtã Florũ. Nã Florus ipſe, homo, tum dicacior, cũ diuum Hadrianum inter Scythias ac Britannos uerſantẽ uideret, atq; in locis ad-

modum remotioribus, aſperrimisq́ agentẽ, de eo ſic luſit:

Ego nolo cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

At noſter Hadrianus cum iſtiuſmodi uerſiculos legiſſet, ſtatim perurbanè Florum retaliauit, ſed adeò lepidè, adeò eleganter, & uenuſtè, ut Hiſpanum certè acumen, atq; innatam eius feſtiuitatem agnoſcas. Sic autem ad Florum:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Idipſum & Helius Spartianus ad imperatorem Diocletianum rettulit, certare enim Hadrianus cum philoſophis, & poëtis conſueuit. Etſi diſciplinarum profeſſores fer[illegible], ut doctior (quod inquit Spartianus) riſit, contempſit, obtriuit.

CAPVT VI.

Dici ſolitum apud ueteres, trabes,, canes, duces in ſingulari pro eo quod eſt trabs, canis, & dux, & alia eiuſcemodi obſeruata ex M. Varrone & alijs.

PArum æquo animo minutiora quædam notarẽ, niſi quorũdam eſſet inſcitiæ occurrendum. Qui cum paulò indiligentius obſeruẽt ipſam antiquitatem, ſiquid minus peruulgatũ, ac protritũ dicatur, ſtatim perinde atq; inſolens & barbarũ reijciunt, & contemnunt. Comperies autem in ueterum ſcriptis frequenter hæc, ut trabes, canes, plebes, & his ſimilia, in ſingulari numero: ſicuti & ſepes animal apud Vergilium, ut notauit Auſonius, cum ſeps à M. Cicerone dicat. Nec ẽm aliter ferè uetuſtiores illi poſuerũt, ut Gn. Neuius, Accius, Plautus, Attilius & alij. Vnde illud Q. Ennij uulgariſſimũ de Argo nauí. *Sepes.*

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus

Cæſa

Caſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Et item in eiuſdem annalibus:

Labitur uncta trabes, remis roſtrata per altum.

Iam & plebes multò etiam frequẽtius reperitur, cum & ipſe quoq; poëta Auſonius (qui ſub Valentino Augu. floruit) ſæpius protulerit:

Læta operum plebes (inquit) *feſtinanteſq; coloni.* Et alibi:

Conſona quem celebrat modulato carmine plebes.

Hinc & tribunos dicimus plebei, caſu patrio, ſicuti ex grammaticis uetuſtioribus colligit̃. Canes uerò, & duces dici in ſingulari certũ eſt, authoritate M. Varronis, in libris ad M. Ciceronem de Latina lingua, qui & Q. Ennium in hoc, & Lucilium aduocat, ex quo uerſiculus Ennianus:

Tantundem quaſi fœta canes ſine dentibus latrat.

Et affirmare quidem uidet̃ idem Varro, fuiſſe apud uetuſtiores in uſu, ut ita proferrent, quoniã natura ipſa in quaq; re magis ab incorrupto principio, quàm à libidine hominum incepit. Videmus (ut inquit Varro) ex his uerbis, trabes, duces, de extrema ſyllaba e litterã incluſam, & ideo in ſingulari factum eſſe trabs, & dux, contrà ex ſingularibus nõ tam uidemus quẽadmodum facta ſint ex b, & s, trabes: & ex c, & s, duces. Sed hæc ſatis, ne paulò minutiora conſectari auidius uideamur, etſi hæc ipſa rerum, litterarũq; diſcrimina diligẽter, & accuratè examinent̃ interdũ à doctioribus, quod & Iulij cæſaris analogici ad Ciceronem libri affirmant.

CAPVT VII.

Qui ſint apud iureconſultos pedanei iudices, & qui item pedarij fautores, & ſenatores ex commentarijs Atticis.

QVi ſint pedanei iudices in ueterũ ſcriptis non facilè comperies, qui tibi exponat, niſi ad ipſos accedamus iureconſultos, in quorũ uidelicet cõmentarijs ſcriptũ eſt, eos appellari iudices pedaneos,

qui minores cauſas, ac negocia humiliora obeant, quando alij nuncupati ſunt, aut honorarij, aut etiam prouinciales, qui detineri conſueuiſſent in maioribus officijs, & honeſtioribus cauſis. Solebat enim ſenatus, populusq; Romanus habere prouinciarũ præſides, quorum erat officium, uarias, multiplicesq; cauſas abſoluere. Quod ſi ijdem nimium fuiſſent rebus publicis occupati, permiſſum his erat, alios iudices ſubrogare, qui in reliquas cauſas incumberent, & hos quidẽ pedaneos appellarũt. Ex quo Diocletianus, & Max. a.a: in hunc modum præceperunt: Placet nobis præſides de his cauſis, in quibus eò quod ipſi non poſſent cognoſcere, ante hac pedaneos iudices debeant notionis ſuæ examẽ adhibere: ita tamẽ, ut ſi uel propter occupationes publicas, uel propter cauſarum multitudinem, huiuſmodi omnia negocia non potuerunt cognoſcere, dandi iudices habeant poteſtatẽ. Quod etiam Iulianus imperator ad Pręfectum prætorem cõmodius uidetur expoſuiſſe. Quædam (inquit) ſunt negotia, in quibus ſuperfluum eſt moderatorem expectari prouinciæ, ideoq; pedaneos iudices, hoc eſt, qui negotia humiliora diſceptent, conſtituendi damus præſidibus poteſtatem. Hactenus de pedaneis iudicibus in conſtitutionibus Auguſtalibus. Pedarij autem fautores hi à quibuſdam ſunt appellati, qui in alicuius ſententiam pedibus irent, eoq; ſuffragio ſtudiũ, ac fauorem præſtarent. Vnde & pedaria ſententia, ſicuti in Laberianis mimis notatum eſt, cum non uerbis quidem, aut punctis, ſed pedibus in alienã irent ſententiam. Neq; aũt me latet, quod equites pedarij, ſenatoresq; alia ratione dicti ſunt: ſicuti C. Baſſus affirmauit. Nam Romæ erant ſenatores curules, id eſt, qui ſella curuli honoris ac decoris ergò, in ſenatu uehebantẽ. Tum erant etiam qui nõdum curulem dignitatem cepiſſent: quoniamq; pedibus in ſenatũ pergebant, ob id appellarũt eos pedarios. Sic & equites

Pedaria ſententia.

tes, qui cum nōdum eſſent à cenſoribus in curiam lecti, etſi poterant in ſenatum accedere, & ius habebant ſententiæ, non tamen ſenatores erant, atq; ob id in aliorum ſententiam ferè deſcendebant, quam ſenatus principes rogati eſſent, de quo permulta etiam à Gellio referuntur in Atticis lucubrationibus.

CAPVT VIII.

Quàm eruditè à noſtris iureconſultis uerba Latina exponantur, & quomodo apud eos liberi, & parentes accipi debeant, non aſpernanda obſeruatio.

VErum profectò eſt, quod à uiris eruditioribus affirmari ſolet, ueteres quidem iureconſultos, in cognoſcendis, examinādiſq; uerborum uiribus maximè præſtitiſſe. De his nunc agimus, qui ante Vlpiani ætatem uixerunt: quoniam Romanorum tūc eruditio, & quaſi puritas deformari atq; infici cœpta eſt. Sed cū nuper Iuſtiniani principis Augu. commentaria legeremus, quæ per ſatyrā penè collecta ſunt, nos illud cum primis tenuit, quod haud paucas uoces, quàm à noſtris grammaticis apud eum aliter explicari inuenio, cuiuſmodi hoc eſt: Quonam ſignificatu parētes, & liberi accipi debeāt. Dicunt em̄ ralatione quodam referri filios ad patres, eoſq; ſimili uoce & liberos, & parentes appellitari. Sed apud ipſos iureconſultos, parentes accipimus eos, qui ad quintum uſque cognationis gradum deueniunt: ſicuti etiam liberos. Nam pater, auus, proauus, atauus, tritauus, parentum nomine cenſentur. Liberos uerò dicimus filios, nepotes, pronepotes, abnepotes, adnepotes, trinepotes. Ex quo Paulus iureconſultus in libro de cognationibus: Parentes (inquit) uſq; ad tritauum apud Romanos proprio uocabulo nominantur: ulteriores

alteriores qui nõ habent ſpeciale nomen, maiores appellan tur. Item liberi uſq; ad trinepotẽ. Vltra hos, poſteriores uocã tur. Vulgatum uerò quod à Cælio Placido & A. Gellio de liberis traditur, hac uidelicet uoce & unicũ ſignificari etiam filium, quoniã in ſingulari ualeat, & ſi in plurali proferatur, quod Aſellio in Romana hiſtoria & Seruius Honoratus in Vergiliano commentario aſſerunt.

CAPVT IX.

Quinta calamitas rei Latinæ acceſſerit ex interitu Hermolai Veneti Pici Mirandulæ, & Angeli Politiani de liberalitate Laurentij medicis erga Hermolaum: ac de iniquitate ſui temporis.

NEſcio quo fato ſuperiore anno euenerit, quo Frãcorum rex Carolus Italiam cũ infeſto exercitu & inſtructis copijs inuaſit, ut principes uiri in litteris atq; in ſummis diſciplinis clariſſimi perierint, hoc eſt, Hermolaus Barbarus, Ioannes Picus Mirandula, & Angelus Politianus, qui omnes in ipſo ſtatim Francorũ aduentu & conatibus immaturo obitu ad ſuperos conceſſerũt. Sed enim litteræ ipſæ, ac ſtudia bonarum artiũ, ſimul cum Italiæ libertate cœperunt paulatim extingui, barbaris ingruentibus, cum deeſſent hi homines, qui illis ſuo patrocinio, aſſiduisq; ſtudijs mirificè fouerent: qualis inter alios uir ſumma ſapientia, & egregio animo Laurentius medices. Quod ego libentius refero, ut agnoſci poſſit, uel hoc uno exẽplo, quàm feliciſſimè tũc ageretur, cũ litteris atq; litteratis. Nam cũ Hermolaus Barbarus reipublicæ Venetæ nomine legationes fortè per Italiam obiret, & ad urbem Florentiam obiter accederet, Laurentius medices (qui Florentinam rempublicam nõ minore tum conſilio quã fortuna gubernabat) ſtatim tanto uiro cum amicis pluribus (ut fit) obuiam procedit, nihil uerius, quòd ægros pedes haberet, ac ſummis doloribus uexaretur,

tur. Tum in Caiana uilla(quã infinitis propè ſumptibus ædificabat)honorificentiſſimè illum accepit, ſimulq́ꝫ tanti hominis ingenio, & doctrina ſingulari prouocatus, eam quoqꝫ liberaliſſimè ſtudiorum nomine illi obtulit, cum inſigni atqꝫ inſtructiſſima bibliotheca, quam ad exemplum Philadelphi mira tum induſtria parauerat: ut in eo quaſi Muſarum ſeceſſu, ſimul cũ Pico Mirandula honeſtioribus diſciplinis, ac philoſohiæ ſacris pro arbitrio incumberet. In quo Hermolaus Barbarus(ut homo maximè humanus) libenter ſe dixit & ſtudiorũ cauſa, & Laurentij meritò talem animum agnoſcere, uillamq́ꝫ ipſam(ſi per publicas curas liceret)excipere. Quæ res monere interdum me ſolet, quã breui tempore fortunæ ratio commutetur, quanquam iniquè nũc agatur cum bonis ſtudijs, ſiquidem pro melioribus diſciplinis uitia, pro humanitate & officijs bella & cædes ſuccreuerũt: ut illud Arbitri iure optimo probari poſſit.

Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur auro.
Vilis adulator picto iacet ebrius oſtro,
Et qui ſollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinoſis horret facundia pannis:
Ac inopi lingua deſertas inuocat artets.

CAPVT X.

De dijs ipſis, eorumq́ꝫ nominibus in Romanis ſacris, qui ſegetibus, ac frumentis præſiderent. ex Varronis & Auguſtini libris.

SCripta ſunt ab Auguſtino complura de Romanis dijs, quæ magna ex parte accepit ex libris M. Varronis. Quo autem loco de minoribus dijs ac plebeis(ut uocat)agitur, in hunc modum diſſerit: Proſerpinam(inquit)ueteres frumentis germinantibus præpoſuerunt, geniculis uerò, nodiſq́ꝫ culmorum deum Nodinum, Inuolucris autem illis folliculorum deam Volutinam *Proſerpina* *Nodinus.* *Volutina.*

præpauido, & ad omnia uitæ momenta inconſtantiæ ſingularis. Duos namq; ſeruulos ſemper apud ſe cõtinere ſolitus eſt, qui ſcutum æneum ſupra ſuũ caput ſublatũ geſtarent, ne quid fortè in eum deſuper poſſet excidere. Quod ſi quando proprios lareis egrederetur, uerſatili lectica circunferri conſueuit. Neq; nos præterit eundem pro fabro à quibuſdam habitum, ac loripedem creditum, quæ omnia (ut eſt author Plutarchus) abundè refelluntur ab Heraclide. Huius Artemonis imaginẽ Phidias marmore abſoluit, quę à C. Plinio magnopere cõmendatur, quo loco aſtragalizõtes, diadumenum & doryphorũ eiuſdem magnis laudibus extollit.

Finis libri decimiquinti commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSSEXTVS.

CAPVT I.

Quæ fuerit origo Hetruſcæ diſciplinæ, ac de Tagete uate, qui è glebis extitit, eiuſq; libris diligenter obſeruatũ.

Quæ fuerit apud populũ Ro. Hetruſca diſciplina et quæ nã eius origo, in quibuſq; maximè cenſeret, uiſum mihi eſt breuiter adnotare, quoniã ſenatus populusq; Rom. nihil propè magnum, aut memorandum faceret, quin illud ipſum Hetruſcis antea monitionibus atque decretis probaretur, ſed prius de origine ſicuti Marcus quoq; Cicero, alijque permulti abſolutiſſimè tradiderũt. In agro igitur Tarquinienſi, cum terra ipſa paulò altius araretur, ſulciq; altiores imprimerentur, Tages

CAPVT II.

De ſerpentum natura & ingenio in Aegyptia theologia, & qua ratione accipitris caput illis addatur, aliaq; de accipitre memoranda.

Mirum profectò eſt, quod ab Aegiptijs de natura & uiribus quorundam animantium traditum ſit. Quod ut magis illi poſteris comprobarent, inter notas hieroglíphas ſiue ſacerdotaleis (ut quidam uocāt) rettulerūt, ſicut de ſerpēte, & accipitre nūc ſubit. Nam fuiſſe diuinum animal, ac diuinam ſerpētis naturam nō Taus modo, qui & Thoth ab Aegyptijs dicitur, in Phœnicum theologia teſtatus eſt, ſed etiā Phœnices atq; Aegyptij, qđ in eo ſupra cætera quidem animantia, ſpiritus acrior, atq; amplius ignis exiſtat. Quæ res cum ex illo celeri greſſu oſtenditur, ſine ullis pedibus, manibusq;, uel alijs inſtrumētis, tum quòd ætatem ſubinde cum exuuijs renouant ac iuueneſcūt. Itaq; Phœnices populi dæmonem hunc felicem, Aegyptij Eneth appellarunt, cui caput accipitris adijcientes, celeritatē illius præcipuam indicabant quod & Philon Biblius ſcribit: qui Sachionati hiſtoriam ex Phœnicum lingua in Græcum ſermonē cōuertit. Epies uerò (qui apud Aegyptios deorum maximus interpres eſt habitus) cum naturā accipitris, & anguis referret. Diuiniſſimum (inquit) animal ſerpens, & accipitris habens caput, perquàm mirificū eſt. Nam ſicubi ſublatis palpebris effingebant, tum omnem Aegyptij regionē ſuo lumine complebat. Sin clauſis oculis fuiſſet, tenebras circūfundi notabatur: ut nihil dubium ſit, naturam eius maximè igneam exiſtimaſſe. Idem prætereà Aegyptij totius orbis molem demōſtrantes, inter circulum aëreum & igneum ſerpentis effigiem, cum capite accipitris circumducunt, ut inſtar ſit Græcę huius litteræ θ quæ theta dicitur. Per circulum enim magnitudinem ac formam totius orbis intelligunt. Peran-

guem uerò(qui medium interſecat)bonum dæmonẽ, cuius
merito ac beneficio,omnia alantur,uigeant,atq; contineant
Quin & Zoroaſtres ille Oromaſi filius, qui apud Perſas
maximè ſapiẽtia præſtitit, in ſacra hiſtoria de rebus Perſicis
in hunc modũ de hac re meminit; Deus(inquit)accipitris ca
put habet. Is em̃ inter omnia quæ labẽ nullam aut corruptio
nẽ ſentiãt,primus ingenitus, nec interiturus unq̃, partiũ ex-
pers,ſibiq; ipſi ſimillimus,omniũ bonorũ auriga & author,
rerum pater omniũ, optimus ac prudentiſſimus,ſacrũ iuſti-
ciæ lumen, abſolutiſſima naturæ perfectio, eiusq; inuentor
& ſapiẽtia, quæ omnia copioſè proſequitur Pamphilus Eu-
ſebiꝭ ad epiſcopum Theodôrum.

CAPVT III.

De fœdere inter Gabios & Romanos, quòd in corio bouis inſtar clypei exaratum fuerit, & unde clypeis nomen, & quid item clypeare uerbum deſignet.

FActa eſt mentio in ueterum ſcriptis,de eo fœdere
quod inter Gabios & Romanos actum eſt, Tar-
quinio Romanũ imperiũ regẽte. Sed illud in pri-
mis notandum, quod in corio quidem bubulo ei
us capita & conditionẽ exararũt priſcis litteris, ut refert Dio
nyſius. Cunq; inſtar clypei foret, in templo Iouis locarunt.
Qua in re Pompeius Sextus Dionyſio accedit, ut in eius cõ
mentarijs probatur, quos à Verrio Flacco collegit, etſi iura-
mentũ Dionyſius uocat, in quo ſanciendo eximiũ bouẽ im-
molarũt. Clypeũ (inquit Pompeius) ob rotunditatẽ ueteres
coriũ bouis appellarunt, in quo Romanorũ fœdus cum Ga
bijs foret deſcriptum. Subit aũt ex his clypei formã fuiſſe ꝓ-
Clypĕodes. pè rotundam, unde & clypeodes gemma apud priſcos no-
bilis, etſi de forma quidem diſſentiunt. Dictum uerò à cluen-
do clypeum, multis uideo perſuaſum, quod apud ueteres

pugnare

pugnare ſignificat. Alij à cælatura ipſa affirmant, id eſt, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quòd in clypeo imagines forent. C. certè Plinius, uir in bonis diſciplinis acri iudicio, ab ipſis imagnibus dictum refert, qualibus in Troiano bello pugnatum ſit: non autem à eluendo, ut peruerſa grãmaticorum ſubtilitas uoluit. A clypeis uerò deductũ eſt uerbum clypeare, pro eo quod eſt clypeo ſe protegere: ut apud poëtam Pacuuium lectum eſt, de quo & Varro Terentius ad Marc. Ciceronem rettulit: Pacuuianum eſſe uerbum clypeare, qua figura & à cinna dictum eſt galeare, ita enim Pacuuius in fabula quæ inſcribit̃ Hermio:

Chlamide contorta aſtu clypeat brachium

Quod ipſum etiam Nonius obſeruauit, etſi apud hunc parũ integra uerborum fides ſeruetur.

CAPVT IIII.

De uiribus & ægritudine amoris, ac de eius remedijs copioſè relatum ex Arabum commentarijs.

QVi de morbis hominũ ſcribunt, eorumq́ remedijs, inter alia morborũ genera, amoris etiam tabem atq́ ægritudinem referũt, ſicuti Græcorũ fere, atq́ Arabũ cõmentarij teſtantur. Nam in his multò maior atq́ copioſior eius diſciplinæ cognitio reperit̃. Quod equidẽ ſatis ꝓbaui, cũ ea nuꝑ legerẽ quæ de morbo ipſius amoris, ac de remedijs apud Arabes tradita ſunt. Ad hanc enim prope ſentẽtiam, de amoris morbo edifferunt. Nihil eſt aliud amoris ægritudo, quã nimius animi affectus, atræ bili affinis atq́ conſimilis, qui mentem aſſiduè agitans perurit, ex imagine et forma alicuius pulchritudinis quæ oculis et animo amãtis inſidens incumbit. Is aũt magis ſubinde inardeſcit, inſiti deſiderij fomẽtis acceſſus, donec uotũ conſeq ualeat. Huius uerò morbi hęc ſigna, ſicubi

profunditas

cenſeri debet, quo & animo, & corpore facilius conualeſcat. Quod ſi fieri ullo modo id nequit, ut coniugant̄, alia quoq; remedia excogitāda ſunt, quibus illa tabes, & animi affectus tollatur. Permulta uerò ſunt, quæ in Arabum monimentis traduntur, ſed nullum certius, aut præſentius, quàm in aliam grauiorē curam, magisq; anxiam diſtrahi, quouſq; inſidens illa mentis cogitatio & feruor intepeſcat, aut etiam in multis paſſim, uarijsq; congreſſibus ueneri incumbere: quod & T. Lucretius apud nos præcipit his uerſibus:

Sed fugitare decet ſimulachra & pabula amoris
Abſterrere ſibi, atq; aliò conuertere mentem.
Et iacere humorem, collectum in corpora quæq;
Nec retinere ſemel conceptum unius amore
Et ſeruare ſibi curam, certumq; dolorem.
Vlcus enim uiueſcit, & inueteraſcit alendo
Inq; dies gliſcit furor, atq; ærumna graueſcit
Si non prima nouis conturbes uulnera plagis
Volgiuagaq; uagus uenere ante recentia cures
Vt aliò poſſis animi traducere motus.
Nec ueneris fructu caret is, qui uitat amorem
Sed potius quæ ſunt ſine pœna commoda ſumit.

CAPVT V.

M. Varronis oraculum de Romano imperio: quod ex augurio duodecim uulturum per mille ducentos annos futurum eſſet.

Copioſè in epiſtolicis noſtris, de ueterum auſpicijs, ac portentis ſcripſimus, nunc aūt minimè indignum exiſtimaui, eam partem repetere, in qua de urbe ipſa, eiuſq; imperio Romani augures præiudicium fecerint: quādiu uidelicet tam excelſa reipublicæ dignitas ſeruanda eſt.

Auguſto augurio poſtquàm inclita condita Roma eſt.

Scripſit enim Varro Terentius in libris antiquitatũ, fuiſſe Romæ Vectium in augurandi diſciplina nobilẽ, eumq́ⱺ affirmaſſe futurum Rom. imperij terminũ, poſt M. & CC. annos, ſi modò (inquit) uerum foret, quod in hiſtorijs, annalibusq́ⱺ Romanis tradatur de XII uulturibus, quas poëta Ennius corpora ſancta appellat. Sic autem Varro: Si uerũ eſt quod de Romuli augurio traditum, in condenda urbe, deq́ⱺ XII uulturibus, ad M. & CC. annos Romanus populus perueniet, cum CXX annos incolumis præteriſſet. Qua in re factum eſt quidem iudicium ex numero alitum, ut ſingulæ uultures centenos annos protenderent. Cenſorinus uerò in perquirendis ueterum monimentis uir diligens, & qui M. annos ab urbe cõdita uixit, minimè ad ſuum iudiciũ pertinere aſſeruit, hoc ipſum dijudicare, ne in re parũ comperta, minus prudẽter poſteritati faceret impoſturã. Quod his ferè hominibus accidit, qui maiore ſtudio, quàm conſilio fortunæ aleam penſant, temporumq́ⱺ uarietatem cõſiderant. Cæterum tali ſententiæ Vectij uidetur annorum numerus conuenire, ſiquidem CC annis poſt authorem Cenſorinum adiectis, imperãtibus cæſaribus Conſtantijs, Romana illa dignitas conſumpta eſt, quæ Italiæ fineis egreſſa, Bizantium urbem ſe recepit. Nam ingruentibus in Italiã Vnnis, Vandalisq́ⱺ & Gothis, tum maximè Rom. imperiũ cladibus multis affectum eſt atq́ⱺ deletum. Quod autem duodecim uultures auſpicij felicitatem Romulo prænotaſſent, cum hiſtoriæ multorum teſtantur, tum Q. Ennius in annalibus: Qui Romulum (inquit) ipſum in Auentino monte ſeceſſiſſe, ad auſpiciũ capiẽdum de urbe cõdenda, nomine imponẽdo, itaq́ⱺ ſtudijs ſummis de hoc inter eos peractũ refert:

Certabant urbem Romàm ne, Remàm ne uocarent:
Omnibus cura uiris, uter eßet induperator.

Vectius.

Cenſorinus.

CAPVT VI.

Qui fuerint apud ueteres Adamiani, & Nyctages hæretici, ac de Lychnobijs etiam hominibus, & Horatij locus expoſitus tum de his, qui Himerobaptiſtæ dicerentur.

IN Chriſtiana philoſophia cum uariæ primò ac multiplices authorũ de ipſa religione forent opiniones, permulti quidem extiterunt, qui à Chriſtianis hæretici ſunt appellati, quoniã uidelicet ab optimo religionis cultu, & ueritatis ratiõe, detorſiſſent. Hi enim (ceu peſſimum uirus ſenſim per arterias illapſum in præcordia) mox nõ minore impetu, quàm damno ſæuiebant. Inter cætera uerò quorũdam præcepta atq; diſciplinas, nobiles aliquãdo fuerunt illorum factiones, qui Adamiani, atq; Nyctages appellati ſunt: de quibus cum in ueterum commentarijs mentio ſit, eorum ridiculam, & perinde inſanam ſuperſtitionem libitum eſt paucis referre. Nam Adamiani ob id nomẽ hoc acceperũt, quoniã exemplo Adam, nudi, ac ſine ullis ueſtibus degerent. Eoq; modo cum fœminis uerſari, atq; etiam orare conſueuerũt, aſſerentes illud ipſum in uita melius extimãdum, quod ad naturam magis accederet, cum in ea re, nullam prorſus modeſtiæ, aut uerecundiæ rationem haberent, quæ mortaliũ uitam (ut inquit Plato) pari iure inſtruit, atq; exornat. Nyctages uerò, quoniam uniuerſam noctem ſomno, & quieti concederẽt, neq; ipſo noctis tempore uigilandum eſſe putarent, naturæ Genium uiolari, atq; corrumpi opinantes. Qui autem noctes euigilant, dies integros dormiũt. A Pedone Albinouano Græca uoce λυχνόβιοι, ab Anneo Seneca lucifugæ appellati ſunt, ex quo illud Horatij ad Mecœnatem:

Huic parco paucis contento, quinq; diebus
Nil erat in loculis, noctes uigilabat ad ipſum

Mane diem totum ſtertebat, nil fuit unquam
Sic impar ſibi.

Quo loco ad iſtos certè Lychnobios poëta Horatius reſpexit, cuiuſmodi à ueteribus quidam imperatores notantur, qui peruerſo naturæ ordine, noctes totas peruigilarent. Sed & Butas Acilius, atq; Spu. Pauſa (ut apud eundem Anneũ eſt) inter lucifugas reponuntur. Vnde elegans dictum Tib. imperatoris de Acilio Buta celebratur. Nam cum patrimonium ingens conſumpſiſſet, & paupertatẽ ſuam apud impe peratorem fateretur: Serò inquit Tiberius ó Buta experrectus es. Hi enim homines (ut refert Seneca) qui ſe tenebris dicarunt, uelut antipodes ſunt, quibus cõtraria quidem nõ regio, ſed uita, qui Solem nunquam orientem, aut occidentem aſpiciunt. Sed enim defunctorum loco habendi ſunt, neq; à funere abſunt, qui ad faces, atq; cæreos uiuunt, quorum uidelicet contrarius uſus atq; præpoſterus, Varo equiti Rom. occaſionem perelegantis dicterij præbuit. Himerobaptiſtæ autem apud Iudæos hi uocati ſunt hæretici, qui quotidie ſe ipſos, ac ſua etiam ueſtimenta abluere conſueuerũt. Verùm de re hac, ſecreto opere complura attulimus.

CAPVT VIII.

Quibus rationibus Ageſilaus princeps, & Plotinus philoſophus, ſuas imagines effingi noluerunt, ac de Alexandro item Macedone nonnihil.

SCriptum eſt in ueterũ hiſtorijs de Ageſilao Lacedæmonũ principe, quòd is quidem perpetuo edicto cauit, ne quis eius imaginem ullo modo exprimeret, quòd exiſtimaret à nullo prorſus opifice, ſingularem eius formã poſſe abſolui. Alexander autem Macedo (qui fortunæ aleam pro uoto rexit) imperaſſe omnibus tradit, ne illius imago à pluribus effingeret, q̃ ab

Apelle, Pyrgotele, & Polycleto, q̃ in ſua quiſq; arte quàm abſolutiſſimi forent, ne tanti regis effigies (ut inquit Apuleius) à multis paſſim artificibus contaminaretur. Itaq; tantũ permiſit, ut eam Polycletus ære duceret, Apelles coloribus deliniaret, Pyrgoteles cælamine exculperet, quod & C. Plinius & alij complures referũt. Vnde illud Horatij Flacci ad Auguſtum Octauianum de rege Alexandro:

Edicto cauit ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius, Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri uultum ſimulantia.

In quo tamen Lyſippũ Horatius pro Polycleto adiecit. Plotinus aũt philoſophus, cum eius imaginẽ quidã cuperet à pictoribus pfici, acerrimè reſtitit, minimè paſſus (ut dicebat) effigiẽ corporis exprimi, animũ nõ uideri. Amelius certè (qui & Gentilianus eſt dictus) nulla ratione ab eo id potuit exorare, quamq; Plotino ipſi ſtudiorũ & beniuolentiæ cauſa maximè inſediſſet, ut qui annos ſupra xx familiariter cũ illo uerſatus foret, quod & Porphyrius teſtatur. Primus autem Aſinius Pollio apud Roma. in bibliotheca ipſa, imagines collocauit, cum eam dedicaret, & ingenia hominum (ut eſt author Plinius) rempublicam fecit. *Amelius.*

CAPVT VIII.

Qui abecedarij, ſyllabarij, ac nominarij ſint apud Hieronymũ, ac de abecedario ex uerbis Hieronymi & Auguſtini.

De Hieronymi doctrina & ingenio, ſæpe aliâs diximus, in tanto enim uiro non minus laudari debet uitæ, morumq; integritas, quàm ueterum omnium diſciplinarum egregia eruditio. Nam & idem uoces aliquot apud Latinos tam feliciter adinuenit, quàm apertè & commodè cõpoſuit: ſicuti hæc ſunt, quibus diſcentium profectus in ipſa litteratura, ſeu litteratione de-

ſignatur Abecedarij, ſyllabarij, & nominarij, ita eos appellat, qui per ſuos diſciplinæ gradus promoueant. Abecedarios qui litterarum ſeriem atq; ordinem proſequantur. Syllabarios uerò, qui ſyllabas ipſas colligere, & ſyllabatim legere incipiant. Nominarios eiuſmodi homines, qui integra nomina proferant: ſiquidem ita diſcentium claſſes à ueteribus inſtitui conſueuerunt, quod etiamnum in litterarijs ludis apparet. Sed hoc totũ perquàmeleganti deſcriptione ab Hieronymo traditum eſt, in cõmentario Moſayce philoſophię, quo Adamantium Origenem interpretatur: Dabimus (inquit) in noſtra etiam lingua ſimilitudinem, qua conſequentiæ huius ratio pateſcat. In litterario ludo, ubi pueri prima elementa ſuſcipiunt, abecedarij dicuntur quidem, alij ſyllabarij, alij nominarij, alij iam calculatores appellãtur. Et cum audierimus hęc nomina, ex ipſis qui ſint in pueris profectus agnoſcimus. Similiter & in liberalibus ſtudijs, cum aut locum recitare, aut allocutionem, uel laudem, aliasq; per ordinem materias audierimus, ex materiæ nomine profectum adoleſcentis aduertimus. Hactenus Hieronymus. Sed Auguſtinus item abecedarium uocat ordinem illum litterarũ, quem puerull condiſcunt, quod & Fab. itidem Fulgentius in mythologicis ſequitur. Ordinem autem hũc litterarum, ſyllabarum, & nominum, diligenter ac doctè Mallius expreſſit his uerſibus:

Vt rudibus pueris monſtratur littera primùm
Per faciem, nomenq; ſuum componitur uſus,
Tunc coniuncta ſuis, formatur ſyllaba nodis:
Hinc uerbis ſtructura uenit, per uerba ligandi
Tunc rerum uires atq; artis traditur uſus.
Perq; pedes proprios naſcentia carmina ſurgunt
Singulaq; in ſumma prodeſt didiciſſe priora.

CAPVT

CAPVT IX.

De Romanis uatibus antiquiſsimis, eorumq́; hymnis & canticis, tum qui dicerentur Mineruij, Ianales, & Iunonij uerſus.

PRimos fuiſſe apud Rom. populū uates Publiū, Galenū, Martiū, & Liuium Andronicū, ueterū cōmentarij tradunt. Hi eñ eiuſmodi uaticinia ac uerſus effuderūt (ut eſt author Cicero) quos Fauni, uatesq́; canebant. Sed enim illorū carmen ferè, aut ad laudem deorū referebatur, aut ad ciuitatis luſtrationem & prodigia expiāda. Liuius aūt Andronicus eos uerſus cōpoſuit, qui à ter nouenis uirginibus per urbem celebrati ſunt, in Iunonem reginam, data reſti per manus, ut copioſè relatū eſt à Liuio, in rebus geſtis Romani populi, qui carmē illud ueluti abhorrens, & inconditū prætereundum putauit. Sed & mox P. Licinius tegula ad expianda prodigia, carmen itidē conſimile effecit, idq́; ex reſponſo decemuirali tradit̄ abſolutum. Zoſimus quoq; diligenter obſeruauit, quibus hymnis & pæanis in templo palatini Apollinis Romanus populus uteretur, tum quo ritu ter nouē pueri nobiles patrimi & matrimi cū totidem uirginibus illos decantarēt. Nec illud omittendum Iunonios quidem uerſus, Mineruioſq́;, & Ianaleis propterea dictos à priſcis, quod eorū numini ac maieſtati dicarent̄, de quibus Var. Terentius, alijq́; authores mentionē faciunt.

CAPVT X.

De M. Antonio, qui leonibus ad currum iunctis uehi conſueuit ac de Heliogabali portentoſo ingenio, qui leones, tygresq́; & mulieres ad currum iunxerit.

MAr. Antonius primus (ut inquit Plinius) iugatos leones ad currum iunxit ciuili bello poſt pugnam Pharſalicā, & ab illis uectus eſt cum Mima citharœda. De Antonio aūt Heliogabalo, qui

qui orbis terrarum (ita dijs placuit) imperator fuit, ſic à Lampridio ſcriptũ eſt. Quaternos (inquit) canes ad currũ iunxit, eoq́ modo uectatus eſt. Idem quoq́ iunctis quatuor ceruis, in publicum proceſſit: ſed & leones coniunxit Cybelem ſe appellans. Iunxit & tygres, Liberum patrem ſe uocans. Habuit gemmata uehicula & aurata, atq́ ut inſaniam libidini adderet, iunxit etiã quaternas mulieres, nudusq́ à nudis per uectus eſt. Firmo imper. qui robuſtiſſimus eſt habitus, & illud ab Aurelio liberto ſcriptũ eſt, eum fuiſſe uectum ingentibus ſtruthionibus, adeò ut magis uolare, quàm geſtari uideretur. Quæ res à Vopiſco etiam refertur.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSSEPTIMVS.

CAPVT I.

Quot apud ueteres idiomata celebrarentur, ac de illorum inuentoribus: tũ perelegantes ſenarij appoſiti: & de Gordiani imperatoris ſepulchro.

QVoniam ſæpe in quæſtionem uenit, quot apud ueteres idiomatũ genera fuerint, quæq́ maximè celebrata putaui non indignum fore, ſi ſenariolos quoſdam de ſeptem linguis ſubijciam, quos equidem in peruetuſto codice legi ex bibliotheca ſeptimana. In eo eñ libro multiplex linguarum uarietas demõſtratur: tum quòd ſeptem litterarũ genera præcellant: ut Hebraicæ, Atticæ, Latinæ, Syriæ, Caldeæ, Aegyptiacæ, ac Geticæ. Sed audiamus ueteres uerſiculos, ne impendiò longius euagemur.

Moyſes primus Hebraicas exarauit litteras.
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas

Quas

Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.
Abraham Syrus, & idem repperit Caldaicas.
Iſis arte non minore protulit Aegyptias.
Gulfila prompſit Getarum quas uidemus ultimas.

Notum uerò & illud quod Auguſti Gordiani ſepulchrum apud circeum caſtrum titulum diu ſeruarit, uarijs linguis decoratum: litteris quidem & Græcis & Latinis, & Perſicis & Iudaicis & Aegyptiacis. Epitaphiũ autem id eſt: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPI. De qua re alibi commodius dictum eſt.

CAPVT II.

De Maximini imperatoris ſæuitia, & uerſiculis contra eum uulgò prolatis.

Diocletiani imperatoris dictum celebre eſt: Nihil propè in tota uita eſſe difficilius, quàm imperatorē bene imperare. Quod ab eo tamen dictũ creditũ antè quàm factus eſſet imperator. Et ſanè ex annalibus antiquorum, facillimè quiuis intelligit, quã pauci omnino fuerint, ex tanto principum numero, qui optimè imperiũ adminiſtrarint. Siue enim licentia & libido, ſiue rerum omnium copia eorum animos immutaret, mirum certè, quã breui ad ſceleſtiſſima quæq; proruerent: quod ipſum ex Claudijs, Vitellijs, Caligulis & Neronibus apertiſſimè conſtat. Nam quid ego de Heliogabalis nunc & Maximinis atq; Cõmodis dicam, quorũ ſcelera, ac monſtroſa prodigia, in ipſius naturæ conuitium excreuerunt? Sed libitum mihi eſt uerſus aliquot contra imperatoris Maximini ſenioris apponere. Is enim tam feri ingenij, tamq; immanis fuit, ut illũ Cyclopem & alibi Buſiridem, Typhonẽ, alij, aut Gigem appellitarent. Verſus hi ſunt, quibus Thracenſi ſæuitiæ illuſum eſt:

Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Elephas quidem grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & tamen occiditur.
Tygris acerrimus eſt, & occiditur.
Caue multos, ſi ſingulos non times.

Id autem carmen ex Græco uerſum, ob eam præcipuè cauſam appoſui, ut ſi quando in Græcum incidamus, & illud æquè adijciatur. Habes hoc apud Iulium quoq; Capitolinum ad imperatorem Conſtantinum.

CAPVT III.

Horatij carmen expoſitum de Cyclope in ſcena ſaltante, & de Cyclopeis ludis, ex ueterum authoritate, ac Lucilij uerſus de Polyphemo.

NOn defuerunt apud Græcos, quí de ludis, & eorum uarietate p̄multa ſcriberent, ſicutí ex noſtris Anneus Seneca, & Suetonius Tranquillus. Inter cæteras autē uoluptates ſcenicas, celebrari uideo Cyclopea: ſic enim uocarunt, cum ipſum Cyclopem in ſcena ſaltantē proferrent, habitu, & ornamentis, quibus Polyphemus apud ipſos maximè poëtas decoratur. Quod ego duxi obſeruandum, ut apud Flaccum Horatiū locum interpretemur, paulò indiligētius ab alijs expoſitum. Itaq; ſic alluſit, cū de Sarmento ſcurra, & Meſſio Oſco, eorumq; litibus diſſerit, ac Meſſium ore fœdo, & facie turpi ſimilemq; laruæ reddit:

Campanum (inquit) *in morbum, in faciem permulta iocatus*
Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa rogabat,
Nil illi larua, aut tragicis opus eſſe cothurnis.

Quo loco ſaltare Cyclopa nihil puto aliud ab Horatio intelligi, quàm & fronte, & habitu talem fuiſſe Meſſium, ut Polyphemū in ſcena ſaltantē poſſet exprimere, ac riſum de ſe ſpectantibus facilè commouere. Sed eorum nomina refe-

ram,

ram, qui hoc in ſcena ſpectaculum exhibuerũt: Carinus quidem imperator (ut Flauius Vopiſcus in tertio ad Baſſum libro tradit) ludos fecit apparatiſſimos, ac mimos undiq; aduocauit. Exhibuit etiam ludum ſarmaticum, quo dulcius nihil eſt. Exhibuit & Cyclopem adornatum. Trebellius item Pollio (cum Galienus imper. decennia uarijs ludis celebraret) Cyclopem (inquit) etiam luſerunt omnes arenarij, ita ut miranda quædam & ſtupenda monſtrarent. Lucilius aũt poëta (qui primus condidit ſtili naſum) Homerica imitatione ita in ſatyris de Polyphemo iocatus eſt:

Multa hominum portenta in Homero uerſificata
Monſtra putant, quorum imprimis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes, huic porrò maius bacillum
Malus maximus ſit quàm in naui, & corbita in ulla.

CAPVT IIII.

Quo habitu ac figura ſtilus eſſet apud ueteres, ac de parte eius deletili, & quid item ſit ſtilum uertere, ex Auguſtino, Hieronymo & alijs.

IN libro ſermonũ primo ſic apud Horatium legitur, quo loco poëtæ Lucilij carmen, ut minus cultum & incompoſitum reprehenditur:

Sæpe ſtilum uertas, iterum, quæ digna legi ſunt
Scripturus, neq; te ut miretur turba labores
Contentus paucis lectoribus.

Id ego ſolitus ſum ad hunc ferè modum interpretari: Vertere ut ſtilum quis dicatur, cum ſcripta ipſa inducuntur ac delentur: quoniam qua parte aculeatus is eſſet, atq; ſubulatus, ea potiſſimùm exararent. Qua uerò parte latiuſcula acies foret, hac delere aliquid (ſicubi uſus peteret) conſuerunt. Tales autem ſtilos etiamnum graphiarij noſtri habent. Sed quoniã priores parteis agit ſcriptio, quàm litura, propterea cum delebant, hoc eſt, latiorem, ac deletilem ſtili partem *Vertere ſtilũ.*

conuertebant, uertiſſe ſtilum dicebantur. Quod etiam à diuo Hieronymo notatum eſt, qui meliorem ſtili partem nominat, quæ peiora de authoribus expungat, ſicuti & Ruffinus in eundem Hieronymum recenſet: Stultus ego (inquit) qui me putarim hoc abſq; philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorē ſtili partem elegeram eam, quæ deleret, quàm quæ ſcriberet. Fruſtra Alexandri commētarios uerti, & Porphyrij Iſagôgen expendi. Sed hoc idem ex uerbis Auguſtini multò copioſius elicitur, quæ ſunt in libro de quantitate animæ, quo loco rem minimam, ſed admirabilem tamen, tam preſsè, tam ſignificanter deſcripſit homo ille, non ſanctitate minus, quàm doctrina ſummus, ut ob id etiam indicaſſe mihi uideatur, quantum in Romana eloquentia potuiſſet, niſi nimis interdum ad audientium aureis & menſuram ſubmiſiſſet. Sed aſcribam uerba ipſa Auguſtini, idq; paulò prolixius, quoniam cęteris quidem credo uſu euenturum, quod & mihi accidit, ut cum uoluptate mirifica perlegātur: Ab hoc (inquit) me reuocat, quod hiſce hauſi oculis penè ſerius, ꝙ credi poteſt, ſed certè non ſerius quàm deberet. Cum enim nuper in agro eſſemus Liguriæ, noſtri illi adoleſcentes (qui tunc mecum erant ſtudiorum ſuorum gratia) animaduerterunt humi iacentes, in opaco loco reptantem beſtiolā multipedem, longum dico quendam uermiculum, uulgò notus eſt. Hoc tamē quod dicam, nunquam in eo expertus eram. Verſo namq; ſtilo (quem fortè habebat unus illorum) animal medium percuſſit. Tum ambæ partes corporis ab illo uulnere in contraria diſceſſerunt, tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore niſu, quàm ſi duo huiuſcemodi animalia forēt. Quo miraculo exterriti, cauſæq; curioſi, ad nos ubi ſimul ego & Alipius conſidebamus, alacriter uiuentia fruſtra illa detulerunt. Neq; nos parum commoti, ea currere in tabula quáqua uerſum poterant cernebamus. Atq; unū ipſo

rum

rum ſtilo tactum contorquebat ſeſe ad doloris locum, nihil ſentiēte alio, ac ſuos alibi motus pagente. Quid plura? Tentauimus quatenus id ualeret, atq; uermiculum, imò iam uermiculos in multas parteis cōcidimus. Ita omnes mouebantur, ut niſi à nobis, illud factum eſſet, & comparerent uulnera recentia, totidem illos ſeparatim natos, ac ſibi quemq; uixiſſe crederemus. Hæc Auguſtinus. Vides autē uerſo ſtilo diſſectum fuiſſe animal, hoc eſt, parte eius deletili, qua ſcriptorū quoq; emendatio perficitur. Hinc illud Fabij ad Marcellum: Stilum ipſum non minus agere cum delet. Qua in re uel Ange. Politiani manibus habenda eſt gratia, à quo ſimilia his aliquando audiuimus.

CAPVT V

Quæ ſint ſerperaſtra in geniculis puerorum alligata, & Ariſtotelis uerba in Politicis, ex Varronis ſententia expoſita.

SCribit Ariſtoteles copioſē in politicis, qua ratione proſpiciendnm ſit his hominibus, qui in tenera adhuc ætate uerſentur, quibusq; cibis maximè nutriendi, quo magis coaleſcere poſſint, eorumq; uireis reddi auctiores, atq; ſolidiores. Tum explicat etiam adhibendam diligentiam, ut ambulare infantes doceantur: exemplo uidelicet quorundam populorum, ne membra (ut idem inquit Ariſtoteles) in tenera ætate deprauata ac diſtorta reddantur. Itaq; inſtrumentis ac machinis quibuſdā utuntur, quo puerorū corpus & ualidius & rectius ſeruet. Quod ego ob id putaui referēdum, quoniam M. Varro Latina uoce ſerperaſtra appellat ea inſtrumenta, quibus adhuc infantes anniculi ad greſſum ſubriguntur, & ambulando facilius pgunt: ne in torta crura ſint, uel inæquali gradu inambulent. Nam genu alligare illa Romani conſueuerunt, ne uaciæ (ut inquit Varro) aut compernes fierent. Verba eius

mitiano item: Venationes (inquit) & gladiatores noctibus ad lychnouchos exhibuit. Ita enī ueteres & ꝓbati codices in Vaticana etiam bibliotheca habēt. Necꝗ eſt aliud lychnuchos, quàm laterna, quæ Græcè φανὸς aut λύχνη, etſi facem uel lucem quidam interpretantur. De quibus permulta ſunt in Suidæ collectaneis, ſed & Pollux ad Cōmodum, & Athenæus in dipnoſophiſtis meminit, tum multos ad id authores aduocat, ut Alexim & Ariſtophanem ueteres poëtas, apud quos pro laterna uideatur lychnuchus accipiendus. Et Alexis quidē perlepidè ſic iocatus eſt de lychnucho in fabulis:

Qui primus excogitauit, ut noctu cum lychnucho deambularet:
Is profectò amator aliquis digitorum fuit.

Dictum uerò id uerbū eadem figura, qua ceruchon, ſeptruchon, ophiuchon, & alia eiuſdē generis. Sed & poëta Lucretius nihil aliud nobis inſinuat, quàm iſtos lychnuchos, qui in ædibus nobiliorum uiſerentur, unde lumen ad nocturna conuiuia ſuppeditari poſſet:

Si non aurea ſunt (inquit) *iuuenum ſimulacra per ædes*
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris
Lumina nocturnis epulis, ut ſuppeditentur.
Nec domus argento fulgens, auroq; renidet:
Nec citharis reboant laqueata, aurataq; templa.

Nam & C. Plinius lychnuchos penſileis, nominat, ubi lychnos falsò legebatur, quod Hermolaus fatetur. Ex quo etiānum Romæ lapis hoc titulo inſculptus: PANTHEI CVM SVIS PARERGEIS: ET CVPIDINES DVO CVM SVIS LYCHNVCHEIS. Locum uerò Suetonij, & Politianus agnouit, uir et ingenio acri, & lectione multiplici excellens. De xylolychnio autem & obeliſcolychnio aliás dictum à nobis eſt.

CAPVT VII.

Quid in ueterum numis ſit A.A.A.F.F. *ac de tribunitia poteſtate ad numos ſignandos, tum locus ex decemuiralibus tabulis.*

IN ueterum numis litteras quandoq; eiuſmodi cõperias, uix ut ſenſum ſatis poſſis colligere ex illis: qualis hæc inſcriptio alicubi inuenitur, quæ ad imperij Romani amplitudinem atq; dignitatem pertinet A.A.A.F.F. In his autem litteris (niſi fortè decipior) id ſignificatur: ære, argento, auro, flando, ferũdo, quod in quorundam commẽtarijs etiam deprehenditur, in quibus de poteſtate ac uiribus notarũ agitur: quẽ ego librũ haud equidem Probo Valerio aſcribendũ exiſtimo, qui de notis Cæſarianis præter alia multa commentarium fecit, quod à Gellio in Atticis refertur. Libuit hãc rem, ob eam præcipuè ratiõnẽ adnotare, quoniam iſtiuſmodi inſcriptio aliter ferè à multis exponitur. Illud aũt diu ſeruatũ eſt à ſenatu populoq; Romano, ut argentum deuictis gentibus duntaxat imperarent, quod & Plinius Nouocomenſis teſtatur. Signandi uero numi poteſtas ad ipſos tribunos relata eſt, ſicuti & leges decemuirales probant: in quibus uerba ipſa ita ſe habent, ne quis maiorem in hoc diligentiam deſideret:

Tribuni ſunto, domi pecuniam publicam cuſtodiunto:
Vincula ſontium ſeruanto, capitalia uindicanto:
Aes, argentum, aurúmue publicè ſignanto.

Quod ipſum à M. Tul. & C. Plinio in metallicis approbat.

CAPVT VIII.

Qui ſint apud iureconſultos directarij & dirigere: ac reſtituta in pandectis uerior lectio, tum quid apud Græcos tichobates intelligatur.

DIrectarij qui ſint apud iurecõſultos, ipſi nobis digeſtorum libri indicant. Nam & in Vlpiani uerbis poſitũ id eſt, quo loco de ſaccularijs & directarijs mentio habetur, quanquã in uulgatis codicibus

dicibus, ꝑ directarijs detrectarios ferè inuenias. Quin & hoc idem docet alibi Vlpianus, etſi falsò dietarij ſcriptũ eſt. Quē locũ uiri paulò diligentiores non improbabunt, quando & Pandectarũ libri ipſi antiquiſſimi, qui Florētiæ in Marciana bibliotheca, huic ſententiæ adſtipulanť. Verba aũt Pauli hęc ſunt: Cũ de criminibus extra ordinarijs agitur, ſaccularij, qui uetitas arteis exercentes, in ſacculos partem ſubducunt, partem ſubtrahunt. Item qui directarij appellãtur, hoc eſt, hi homines, qui in aliena ſe cœnacula direxerint, furandi animo, pluſquàm fures puniēdi ſunt. Vtrobiq; autem ridiculus eſt Accurſius, niſi ueniam dare homini malis, quoniam rudi ſæculo, ac prorſus illiterato natus eſt. Sed retineri tamē eius nugas, & hac ętate à noſtris iurecõſultis defendi, qua litteræ oēs ac honeſtiores diſciplinæ, permultùm incrementi acceperũt, id ego uix ferendum exiſtimo, ab his præſertim, qui bonarũ litterarũ, ſacris initiati, & exculti ſunt. Sed hoc ipſum dijs iuuantibus cõmodius aſſeremus. Multa enim in iure ciuili accepta perperàm, & ineptè expoſita, ſentētias perſæpe afferũt uiolentas & falſas, quas defendere nemo ipſorũ poſſit: cum ſint adeò noſtri leguleí à Romanis ſtudijs & melioribus diſciplinis abhorrentes. Qui aũt directarios fures iſtos nominarint, à dirigendo arbitror uocem hanc inflexerũt, quod in alienam domum ſe dirigere perinde ſit, atq; ingredi. Eoſdem uerò eſſe directarios quidam dixerunt, qui τειχοβάται a Græcis uocantur, apud quos frequens hoc uerbum comperies: tãetſi Flauius etiam Vopiſcus hac uoce uſus eſt in libro hiſtoriarum tertio ad Baſſum. De Charino (inquit) & Numeriano a. a. memorandum id eſt, quòd ludos populo Romano ſpectaculis ornatos dederunt. Inter alia enim exhibitus eſt τειχοβάτης, qui per parietem urſo eluſo cucurrit.

CAPVT IX.

De Tertulliani eruditione, ac eius uerba contra Marcionem hæreticum relata, & quo modo Hieronymus ea tranſtulerit.

Libros aliquot eruditè atq; acriter ſcripſit Septimius Tertullianus contra Marcionem hæreticum, qui ſtoicorum diſciplinam ſecutus, bina principia, binosq; deos ponebat: bonum & malum. Sed in his quidem libris Tertullianus eleganter interdum et copioſè leuitatis, inconſtantiæ, atq; improbitatis, Marcionē accuſat: cuiuſmodi ſunt hæc quæ ob ipſam gratiam oratiōis καὶ δύναμιν uolui ſubſcribere: Noſter (inqt) Marcio, Scytha deterior, Amaxobio inſtabilior, Meſſageta inhumanior, Amazonia audatior, nubilo obſcurior, hyeme frigidior, Iſtro fallacior, Caucaſo abruptior. Quem locū diuus Hieronymus (ut alia multa) ſecutus eſt, tranſmutatis quibuſdam uerbis, atq; tranſpoſitis, in libro contra Vigilantium, quem per antiphraſim Dormitantium uocat.

CAPVT X.

Mos ueterum de mittenda imperatoris imagine ad urbem, ſiquando in abſentia crearentur, & quod ipſi Iudæi nullas imagines cæſarum recipere uoluerūt.

Relatum in litteris eſt, quemadmodum Romani imperatores, cum hoc nomē, & auguſtam dignitatem in abſentia conſequerentur, ſoliti ſunt propriam effigiem ad urbem mittere, quo ſeipſos ſenatui, populoq; Romano facilius inſinuarent. Hoc ego putaui ob eā cauſam obſeruandū, quoniā ante Antoninorum imperium, nemini (ut opinor) legitur accidiſſe. Permulti aūt id effecerunt, ſubſequentibus annis, qui ſuam imaginem ad urbem miſerūt, quod Ammianus Marcellinus, & Zoſimus hiſtoriæ Romanæ authores teſtanē, nā & Conſtantij imper. imago recepta in urbe eſt, et item Galerij. Quin & Maxentius

tius effigiem ſuam Carthagini deſtinauit, ut ſuo nomini atq; authoritati magis conciliaret Cathaginienſem populũ· quod à copijs & militibus Galerianis prohibitum fuit, renuentibus dignitatem Maxentij fieri ampliorem, ſicut à Zoſimo traditum eſt. Illud autem minimè omittam, quemadmodum C. Cæſar cum Iudæis populis imperaſſet, ut eius effigiẽ in templo reciperent, nullis rationibus adduci potuerunt, ut hoc perficerent, ſed arma potius ſumpſerunt, quàm ut illud animo Ceſaris concederent. Seruatum eſt enim à Iudæis magna religione, ut nullam prorſus imaginem, aut ſimulacrum, in templis haberent, ſed unum duntaxat deum, mente ipſa concipientes, colere conſueuerunt. Quod Aegyptij contemnentes, uarias, ac multiplices animalium formas pro dijs habuerunt. Itaque ſic Tacitus Cornelius de Iudæis: Vnum (inquit) numen ſola mente intelligunt, prophanos credunt, qui deûm imagines mortalibus materijs in ſpecies hominum effingant, ſolum illud, & æternum, neq; mutabile, neque interiturum. Nulla igitur ſimulacra ſuis urbibus, nedum templis ſunt. Non regibus hæc adulatio, non cæſaribus honor. Neq; illud quidem ignoratur, morem fuiſſe Romanis imperatoribus, ſuas quoq; imagines in templis adorandas apponere quod à Septimio Tertulliano magnis conuitijs accuſatur atq; exibilatur.

CAPVT XI.

Qui ſint apud Aelium Lampridium bene naſati homines, ac de imperatoris Antonini Heliogabali flagitioſa & infanda libidine.

NOn committam, quo minus apud Aeliũ Lampridiũ exponamus, qui nam ſint homines bene naſati in uita Antonini Heliogabali imper. qui bene naſatos homines frequẽter appellare conſueuit, cũ mutonſatos beneq; mẽtulatos ſignificabãt: quod equidẽ

propterea cenſui adnotandum, ut eorum inſcitiæ ac ineptijs occurratur, qui bene uaſatos improbiſſimè & legunt & exponunt. Flauius certè Blondus, naſatos homines apud Lampridium pro his inſcitiſſimè accipit, qui admodum dites & opulenti forēt. Nemini aūt non conſtat, Anthoniū quidem Heliogabalum, in tota uita fuiſſe tam extremi luxus, ac nefandæ libidinis, ut potius ſeipſum naturæ portentum, quàm Romanum imperatorem probaret. Inter alia enim uitæ ſcelera atque flagitia, lenones, meretrices, exoletos ac ſubactores propè innumeros collegit, illiſq; naſatos homines adiecit: hoc eſt (ut Aelius Lampridius notauit) uiriliores, quoniam illis Heliogabalus ad libidinem & flagitium ſceleſtiſſimè utebatur. Quo circa ſic Lampridius ad Conſtantinum imperatorem de prodigioſa eius libidine: Quis ferre poſſet (inquit) principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem, cum ne beluam quidem talem quiſquam ferat? Romæ denique nihil egit aliud, niſi ut emiſſarios haberet, qui ei bene naſatos perquirerent, eóſque ad aulam perducerent, ut eorum conditionibus frui poſſet. Sed hanc ipſam uocem ſæpius apud eundem comperies, facilè ut appareat, quantum hi homines incurrant, qui ſunt in legendis penſandiſq; authoribus oſcitantes atq; ſegniores. Nam & maioris peculij eoſdem uocat, quoniā uiriliores ferè uiderētur: unde & puerbium uulgo detritū de naſatorū peculio.

Naſatorum peculium.

CAPVT

CAPVT XII.

De Architæ columba uolatili ex mœchanica eius diſciplina, ac de Boëthij philoſophi pari ingenio & doctrina, ad mœchanica quædam miranda efficienda, ex Caßiodôri Varijs.

PErmultùm laudatur in ueterum cõmentarijs Architæ Tarentini eruditio & ingenium. Nam & Plato philoſophus eidem Architæ plurimũ conceſſit, cuius merito factum exiſtimatur, uti Plato idem à tyrãno Dionyſio ſeruaretur. In mœchanicis uerò magnopere Architas præſtitit, ſic, ut eius quoq; columbam ligneam ponduſculis quibuſdam inſtructam, mirificoq; artificio fabrefactam, uolitaſſe ſcribant, cum alij authores, tum Phauorinus, qui ut egregiè uir doctus eam celebrauit, ſicuti legitur in Atticis cõmentarijs. Id ego cum diligentius conſiderarem, offendi conſimile exemplum de Boëthio philoſopho, quod ab Aurelio Caſſiodôro relatum eſt in Variarũ libris. Is ẽm Caſſiodôrus cum ad eundem Boëthiũ ſcriberet ſimulacra eiuſmodi atq; mœchanica opera libramẽtis adhibitis, ſummoq; ingenio excogitata ab eo & cõfecta affirmat ut aueis deuolantes, & angueis exibilantes. Et hercle tã magno ingenio fuit Boëthius, tanq; multiplici eruditione, ut facilè ad id credendum animũ inducã: aſſerẽte hoc maxime Diodôro, qui fuiſſe traditur regis Theoderici à ſecretis. Sed apponenda ſunt eius uerba ex Varijs, quo facilius atq; cumulatius hoc totum pnoſcatur: Tibi (inquit) ardua cognoſſe, et miracula monſtrare propoſitũ eſt, tuæ artis ingenio, metalla mugiũt, Diomedes in ære grauius buccinatur, æneus anguis inſibilat, aues ſimulatæ ſunt, & quę uocem propriã neſciunt habere, dulcedinẽ cãtilenæ probantur emittere. Parua de illo referimus, cui cælum imitari fas eſt. Hæc in Varijs Caſſiodôrus.

CAPVT XIII.

Mirandum & adynaton uideri, quod à Ioſepho traditur, de Alexandro Macedone, ut huic perinde ac Moſi mare Pamphilicum patuerit, cum transfretaret cũ exercitu in Perſas.

DE Alexandro Macedone, eiusq́ maximis & feliciſſimis geſtis, permulta, & uaria apud ueteres ſcribuntur. Sed quod in Ioſephi hiſtoria comperrum eſt, id omnino uidetur maximè mirum, penecq́ incredendum, cum nemo alter ex antiquis (quod equidem legerim) talia de Alexandro rettulerit. Ioſephus uerò (quem Iudæorum uernaculum appellat Tertullianus) cum omnium Iudæorum hiſtoriam libris uiginti complexus ſit, de Moſe, eiusq́ uita & geſtis eadẽ propemodum refert quæ & in ſacra hiſtoria habentur, & apud Philemonem magna ex parte repetuntur. Quo autem loco (inquit) cæleſti conſilio, ac diuina poteſtate permiſſum, ut Moſes uirga accepta, mare Aegyptium diuiſerit, quo Hebræorum copijs atq́ militi peruium iter fieret, & expeditio facilior. Tantundem inquit Ioſephus de Alexandri Macedonis militibus ſcriptum fuiſſe, regem Pamphilico mari imperaſſe, cũq́ uniuerſo exercitu trãsfretaſſe, diſiuncto ac diuiſo mari, ut inuadens Perſiam uictoria potiretur: deuictis atq́ ſubactis populis. Quod equidem conſiderandum diligentius exiſtimo, ac maturo iudicio expendendum: Siquidem miracula illa Moſis, & inſignia facinora, minimè debent Alexandri geſtis comparari, ab his præſertim uiris, qui in præſidio Chriſtianæ militiæ à noſtris collocentur. Neque mirari admodum oportet, ſi pro loquaciſſimo homine, Tacitus Cornelius tantopere à noſtris inceſſitur, quando Iudæos ipſos dixerit ſuperſtitioni obnoxios, religioni aduerſos, atque ad omnem libidinem proiectiſſimos: cum & illi ſua inſignia & admiranda facinora, Græculorũ

Ioſephus Iudæorũ uernacul.

culorum commentis atq; mendacijs comparent, quorum ingenioſa probitas (ut authores cõueniunt) nihil non audet in hiſtoria, ſic, ut mendaciorum parentes ueteri prouerbio Græci cenſeantur. *Græci mendaces.*

CAPVT XIIII.

Aureliani imperatoris epiſtola ad Zenobiã Palmyrenorũ reginã & eius reſponſum quã alto & generoſo animo ad eundem ſit redditũ.

TEnent me commentaria quædam Græca, in quibus de Amalaſiunta, de Zenobia & Mammea agitur, quæ omnes & egregio quidem animo, & conſilio non uulgari præſtiterũt. Itaq; magna uoluptate, ſicubi incidit ea adnotamus in his commẽtarijs, quæ memoria digna ſunt: quale hoc eſt de Zenobia Palmyrenorum regina, quæ tam generoſi ſpiritus fuerit, ut Aureliani Auguſti imperatoris minas & dignitatem prorſus cõtemneret. Sed apponã utriuſq; epiſtolam, ne quid in hac parte poſſit deſiderari: Aurelianus Auguſtus, imperator Romani orbis & receptor orientis, Zenobiæ Salutẽ. Sponte facere debuiſti, id quod meis litteris nunc iubetur. Deditionem præcipio tibi, impunitate uitæ propoſita, ut illic Zenobia cum tuis agas uitam, ubi te, ex ſenatus ampliſſimi ſententia collocauero: gemmas, argentum, aurum, ſericum, equos, camelos, in ærarium Romanum conferas. Palmyrenis ius ſuum ſeruabitur. Ad hæc autem ita reſpõſum eſt: Zenobia regina orientis, Aureliano Auguſto Salutem. Nemo adhuc præter te, quod poſcis litteris, petijt, uirtute faciẽdum eſt, quicquid in rebus bellicis gerendum. Deditionem meam petis, quaſi neſcias Cleopatram reginã perire maluiſſe, quã in qualibet uiuere dignitate. Nobis Perſarum auxilia non deſunt, quæ iam ſperamus. Pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis Armenij Latrones Syrij exercitum tuum Aureliane uicerũt. Quod ſi

illa

illa uenerit manus, quæ undiq; ſperat, pones profectò ſuper cilium, quo mihi nunc deditionẽ quaſi omnifariã uictor imperas. Has autem epiſtolas, qui legere apud authores uelit, is Flauium Vopiſcum adeat, in libro ad Baſſum primo de imperatorum geſtis.

CAPVT XV.

Vnde rerum principia atq; effectus in uita exiſtant: & quomodo Aſtrologi: Phyſici, atq; Theologi inter ſe diſſentiunt.

NOrandũ & illud exiſtimo, quod ab Aurelio Auguſtino ſcribitur, de his commodis atq; incõmodis, quæ in uita ipſa mortaliũ eueniũt, quo pacto in tam uaria, multiplicíq; rerũ fortuna, pro diſciplinarũ decretis, principia atq; effectus habeantur. Aſtrologi (inquit) & hi qui Caldæi uocantur, omneis morbos atq; calamitates ſideribus ac cælo aſcribũt. Philoſophi autem Phyſici & Medici hæc eadem, aliaq; ſimilia ad naturæ uireis & maieſtatem referũt. Theologi uerò, uni deo, eiusq; poteſtati: quã imperare omnibus, & regere omnia meritò exiſtimamus. Hæc Auguſtinus. In quo tamen imprudẽtiæ ac mendacij omneis illos accuſat: qui non omnia ad unius dei poteſtatem: atq; numen referũt, quod ipſum & Origenes copioſè perſequitur, in libris quos de rerum principijs compoſuit.

CAPVT XV.

Qui ſit morbus tonſillarum: & in qua maximè parte corporis, qualiq; origine dicantur tonſillæ.

IN commentarijs medicorũ inuenio & illa remedia eſſe relata, quæ ad tonſillas pertinent, quo loco, non minus partem fauciũ debemus accipere quàm morbum ipſum, qui fauces occupat. Itaq; Cornelius Celſus de tonſillarum curatiõe in hunc modum

ſcribit

ſcribit: Si tonſillæ ſine exulceratione ſunt, ac per inflammationem intumuerunt, caput uelandum eſt extrinſecus. Isq́ue locus uapore calido fouendus, multa ambulatione utendum, caput in lecto ſublime habendum, gargarizandumq́ue ex reprimentibus. Radix quoq́ue ea (quam dulcem appellant) cõtuſa, & in paſſo, mulſo ue decocta, idem præſtat. Tum medicamina alia ſubijcit, quæ breuitati ſtudentes omittimus, cum plura à Claudio Galeno, alijsq́ue medicis de eodeem morbo referantur. Eſt autem hoc uerbum per diminutionem dictũ, ſicuti à Pompeio grammatico ſeruatum eſt ex Verrij, Flacci commentarijs. Tolles (inquit) pro tumore faucium accipitur, quam per diminutinonem tonſillas uocamus. Ariſtoteles uerò, & alij cõplures apud Græcos pariſthmia et Antiades uocarũt. Inflãmantur enĩ partes ſecundũ fauces abſceſſibus ulceroſis. Sed & M. Cicero palatum ac tonſillas nominat, cum de hominis partibus diſputat. C. Plinius tonſillas in homine conſtituit, in ſue glandulas, quo loco diſciplinam anatomicẽ explicat. Quod à nobis ob id repetitũ eſt, ut quorundam imperitiã deuitemus, qui de hoc morbo inſcitè atq́ue ineptè uerba habuerunt. Neq́ue illud ignoratur, quod & tonſas, tonſillasq́ue pro remis ueteres acceperunt, ut Accius poëta, Ennius, atq́ue alij, ex quo illud uulgatum ex Ennianis annalibus.

Pone petunt ex in referunt ad pectora tonſas.

Et item:

Tonſillas rapiunt configunt littus aduncas.

Finis libri decimiſeptimi commentariorum Petri Criniti.

Mm PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSOCTAVVS.

CAPVT I.

De Hormiſda Perſarum principe, & quo aſtu alq; cōmento è cuſtodia ſit liberatus ab uxore.

IIbet exemplum de Hormiſdæ fortuna, uiri ſummi referre, qui ex familia Perſarū regia fuit ſicuti & Zoſimus & Marcel. alijq; cōmemorant. Hic igit̃ Hormiſda in colle quodam relegatus, magno ſtudio cuſtodiebatur à Perſis, qui fratrem illius minorem natu contra legem in regno maluerunt. Euenit autem, ut Hormiſdæ uxor tale commētum excogitaret, quo uirum ſuum facilius poſſet ex uinculis eximere. Itaq; piſcem eximia magnitudine ad illum mittit, inq; eius alueo limam ferream recondit, ac ſimul fidiſſimo eunucho mandat, ne quo præſente piſcem illum comedat, tum eo utatur, quod in uentre inuenerit. Camelos quoq; uino, & cibis onuſtos, cuſtodibus mittit. Ille rei compos, ſtrenuè hoc facinus peragit, ac ſumpta ibidem eunuchi ueſte, per medios cuſtodes euaſit incolumis. Neq; me autem latet, alios quoq; ſimilia quædam effeciſſe, ſed hoc ipſum de rege Hormiſda non putaui omittendum, de quo alibi tamen complura rettulimus.

CA-

CAPVT II.

Vergilij carmen emendatum contra quorundam inſcitiam, furit intus aquai, ex Quintiliano & alijs authoribus.

FAbius Quintilianus libro inſtitutionũ ad Marcellum Victorium, Vnde pictai ueſtis (inquit) & aquai, Vergilius doctiſſimus uetuſtatis inſeruit. Sed illud aquai tulerunt è nouis codicibus indiligentes, imprudentesq́; librarij, procq́; eo ſubdiderunt aulai, cum ueteres omnino codices, & ille imprimis, quẽ ex Gallia Poggius in Italiam aduexit, aquai retineat. Fuit aũt cauſa librarijs adulterinam uocem pro uera ſubijciendi, quòd nuſquam apud Vergilium legerant aquai, cum aulai, & pictai legiſſent:

Aulai in medio libabant pocula bacchi. Et alibi:

Diues opum, diues pictai ueſtis & auri.

Sed ego cogitans, non ab re factum eſſe, ut in eãdem lectionem meliuſculæ fidei codices conſpirarent, cœpi curioſius indagare, an uſquam apud Vergiliũ potuerit eſſe aliquãdo hæc uox. Nec eñ pauca quorundã inſcitia, uel immutata hactenus, uel detracta adnotauimus. Inueniſſe aũt mihi uideor uel in Seruianis quidem cõmentarijs id ipſum, ut nihil prętereà dubitari debeat. Verſus igitur Vergiliani ſic in libro Aeneidos ſeptimo leguntur:

Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli
Ira ſuper, magno ueluti cum flamma ſonore Comparatio.
Virga ſuggeritur coſtis undantis aheni
Exultantq́; æſtu latices, furit intus aquæ uis:
Fumidus, atq; altè ſpumis exuberat amnis.

Quo aũt loco legimus aquæ uis, legẽdum eſt aquai, ad hũc (modum:

Furit intus aquai
Fumidus atq; altè ſpumis exuberat amnis.

Cuius me lectionis Honoratus Seruius admonuit, qui dixreſim

reſim eſſe hic factam dicit. Quod ſi quis codices Seruianos paulò meliores nactus fuerit, facilè in his aquai comperiet. Nam & in peruulgatis ferè ſic habetur. Hãc diæreſim Tucca & Varus fecerunt: nam Vergilius aliter ſcripſit. Quæ ẽm hoc loco fit diæreſis? niſi illud aquai reſtituat. Quin & hoc ipſum in Perſiano interprete (qui Cornutus dicitur) inuenias, cum Ennianum hoc exponit:

Lunai portum precium eſt cognoſcere ciues.

Lunai (inquit) dictum eſt, ſecũdum antiquã declinationẽ, ſicuti Vergilius:

Furit intus aquai.

Quod etiam Benedictus Philologus (cum de Vergiliana emendatione ad eum ſcriberem) comprobauit, uir unus ætate noſtra, qui de omni antiquitate ſit optimè meritus, cum in ea illuſtranda atq; excolenda aſſiduo ſtudio, ac mirifica diligentia incumbat.

CAPVT III.

Dictum Demoſthenis de ſua fuga, ac uerba Tertulliani expoſita, & quo pacto Cicero & Demoſthenes in proprijs cauſis maximè degeneres, ac timidi fuerunt.

NOtum eſt, & in cõmentarijs celebratum, Demoſthenis oratoris dictum, de ſua ipſius diſſidia. Nã cum is paſſim pro ignauo & inerti accuſaretur, ut qui apud Cheroneam in bello ſegniorem ſe geſſit, & fuga ſalutem ſibi quæſiuit, pereleganti hoc uerſiculo reſpondit, ſuiſq; accuſatoribus illuſit:

Ἀνὴρ ὁ (inquit) φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Quod a me ſeruatum, ut Florentis Tertulliani uerba exponeremus, qui ſententiã hanc eruditè (ut alia multa) mutuatus eſt, cum de Rutilio uiro ſanctiſſimo loqueretur, in libro quẽ de perſecutione ad Scapulam cõpoſuit. Verba eius hæc ſunt: Sed omiſſis quidem diuinis exercitationibus, illũ magis

gis Græcum uerſiculũ ſæcularis ſcientiæ ſibi adhibent. Qui fugiebat, rurſus ibi præliabitur, ut & rurſus forſitan fugiat. In quo facilè apparet, quid ipſe Tertullianus uir egregiè doctus inſinuet. Re autem uera Demoſthenes pro ignauo & maximè timido accuſatus eſt, ſiquidem uel in propria cauſa dicturus, prius traditur aufugiſſe, quàm in iudicium deueneri t. Quod etiam in M. Cicerone turpius & indignius uiſum eſt, qui cum in aliorum cauſis nemini prorſus concederet, in ſua tamen mirum quàm timidum ſe ac pauidum præſtiterit, ſicuti cum à Clodio in iudicium uocatus eſt, quod is Lentulum, & Cethegum ante ſententiam à ſenatu prolatam ſupplicio affeciſſet, tunc enim nõ uili modò, & ſordida ueſte indutus, ſed ſqualidus & plorabũdus, familiareis, amicos atq; ignotos ſupplex adijt, obſecrans atq; obteſtans omneis, ut riſum magis, quàm cõmiſerationem de ſe concitauerit. Quod Appianus Alexandrinus in Rom. hiſtoria refert.

CAPVT IIII.

Horatij poëtæ uerſus expoſiti contra aliorum ſententiam de Attæ fabulis, cum inquit, Rectè nec ne crocum. floresq; perambulet Attæ Fabula, ac de croco in ſcenis copioſè expoſitum.

HOratij Flacci uerſus hi ſunt in epiſtola ad Octauium Auguſtum, quo loco de Romanis poëtis iudicium facit:

Rectè nec ne crocum, floresq; perambulet Attæ
Fabula, ſi dubitem. clament perijſſe pudorem
Cuncti penè patres, ea cum reprehendere coner:
Quæ grauis Aeſopus, quæ doctus Roſcius egit.

In his ego uerſibus cum aliquando interpretum cõmentarios deſiderarem, legi apud eos deridicula quædã & planè nugas, ſiquidẽ fabulã dicunt ab Atta ſcriptam, in qua de floribus ageretur, ceu officiũ poëtæ comici de floribus ſcribere. Neq; hæc ullo quidem authore traduntur, quo nihil poteſt

eſſe in bonis diſciplinis iniquius, ac peſtilentius. Quin illud magis fuerat explicandũ, quiſnam hic Atta aut quid in ſcena crocus & flores, quæ cum paulò diligentius penſitarem, haud ab re futurũ putaui, ſi Horatianũ ſenſum exponerem. Conſtat igitur Attam ipſum comœdiarũ authorem fuiſſe, haud incelebrem, ut in poëtis diximus, ex quo inquit Horatius: Si uelim nũc Attæ fabulas (ut critici ſolent) reprehendere, quod in ſcenam uix afferri debeãt, omnes me inſcitiæ, atq; imprudentiæ arguent. Videbor enim addubitare haud ſatis in ſcena ſuas partis abſoluere, hoc eſt, crocum & flores perambulare: quoniã conſuetudo apud ueteres fuit, uti cum fabulæ agerent, flores ibidem, aliaq; adoramenta inſpergerentur. Hinc Lucretianũ illud in libro ad Memmiũ ſecũdo:

Et cum ſcena croco cilici perfuſa recens eſt:
Araq; panchæos exhalat propter odores.

Nam & P. quoq; Vergilius idem intellexit, cum in Georgicis dixerit, ex tmolo croceos mitti odores, quo loco Seruiana expoſitio, ut ineptior atq; indoctior iure inceſſitur. Iam & Hadrianus imperator in Traiani Auguſti honorem balſama & crocũ per gradus theatri fluere iuſſit, quod Aelius Spartianus, ad cæſarem Diocletianum commemorat. Neq; ſcenam ipſam duntaxat (quæ in theatro erat) uarijs floribus ornabãt, ſed & menſas etiam. Antoninus quidem Heliogabalus (qui naturæ portentum dici poteſt) cum uiros ſummos inuitaſſet ad prandium, menſam croco ſtruebat, ſe fœnum dicens, pro eorum dignitate exhibere. Sed nolo hac in re impendiò longius uagari, ne ambitioni potius, quàm authoritati uideamur conceſſiſſe. Nã de re hac & Plinius Nouocomenſis, & Suetonius Tranquillus egerunt, ut poëtas mittamus. Hinc illud etiam peruulgatum:

Pulpita ſolenneis non oluère crocos.

CAPVT V.

Quid apud ueteres muginari ſignificet, & quomodo ea uoce utatur Cicero, & quid item ſit apud Varronem ex prouerbio, min facere.

Eprehendi uideo à quibuſdam uerbũ hoc, quod eſt muginari, quaſi aſperum & minus Latinum, uel ut alij dixerunt obſcurum nimis, & inſolẽs, quod ego ferendum non puto, ne illa omnia pro abſurdis, ac plebeis ſtatim rejiciamus, quæ cum ueterũ uſus concedit, tum authoritas doctiorum defendit. Nec em̃ Lucilius tantum in ſatyris hac uoce uſus eſt, ſed etiam M. Cicero. Poëta uerò Lucilius ſic ad Attam:

Muginamur (inquit) *molimur, ſub ducimur Atta.*

Quod ipſum alibi apud eũdem ſeruatũ eſt, ut Marcellus grãmaticus notauit, in commentario de proprietate ſermonis. Sed & M. Cicero (qui unus omnium Romanè loquutus eſt) minimè ab hoc uerbo abſtinuit, quando in epiſtola ad Pomponium Atticum ſic ſcribat: De Ocella, dum tu muginaris, neq; mihi reſcribis, cœpi cõſilium domeſticum. Neq; prætereà defuerunt, qui in Plinij præfatione ad imperatorẽ Veſpaſianum ita legant: Dum iſta (ut ait M. Varro) muginamur, pluribus certè horis uiuimus. Feſtus quoq; Pompeius in hoc inquit uerbo accipiendum, cum quid molimur, & quaſi tardius conamur. Eſt em̃ propè ac muſitare, & min facere, ſicuti à Varrone relatum eſt. Quin min facere inquit illos, qui uix proloqui audeant, ſed ſummuſſando hæſitãtes, in aliquo apparent. Ex quo prouerbium contra ſubuerẽtes. Quo circa ſic poëta Ennius in Rom. annalibus:

Quod minimum eſt, neq; (ut aiunt) *min facere audent.*

Quod ita Publius Vergilius imitando emolliuit:

Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſat.

CAPVT VI.

Qui ſint propriè milites ærediruti apud poëtam Auſonium, ac eiuſdem uerba in epiſtola explicata.

AVſonius Gallus uerbo utitur, quod eſt ærediru tus, in epiſtola ad Paulinum ſuper ludicro opere, quod ab eo Cētonis nomine inſcribitur. Et quia (inquit) ſub† imperatē metu merui procedere: mi hi inter frequentes ſtipendium† finaliter ærediturum facies, ut cumulo carminis in fiſcum ſuum redacto, redeant uerſus unde uenerunt. Hactenus Auſonius. Sciendum uerò, quod ærediruti milites eiuſmodi appellati ſunt, quibus ꝓpter igno miniam ſtipendium ſubtrahatur. Iocatur enim Auſonius de uerſibus Vergilianis, quòd ſparſos, laceratosꝗ paſſim colle gerit, & in unum ueluti opus contexuerit, ut ex alieno ſuum poëma factum ſit. Nam ſi carmen (inquit) redeat unde uene rit, haud quaquam ſtrenuus, & frequens in militia haberi po tero. Proindeꝗ me potius inertē & æredirutum dixeris, neꝗ mihi ſtipendiū aliquod uelut aſſiduo poterit aſſignari. Var ro autem in libris de uita patrum: Stipendium (inquit) appel latum eſt, quod æs militi ſemeſtre, aut annuum dabatur, cui uerò datum non ſit, is propter ignominiam æredirutus erat. Quod & Nonius Mar. in libro de doctorū indagine notauit Nā & Ver. Flacc. eſt author, æs militū, q ob ignominiā miſſi onē habuiſſent, nō in militiæ ſacculū, ſed in fiſcū mitti ſolitū.

† imperatore meo tū merui,
† Sin aliter

CAPVT VII.

Quo pacto Varronis uerba in libro de agricultura emendari oporteat, & quo ſenſu accipienda ſint.

PErmulti olim quæſierunt, quæ nam in dicendo fi gura illa ſit, qua Terentius Varro in principio li bri de re ruſtica ad uxorem Fundaniā eſt uſus: Po tius eſſem conſequutus Fundania & cōmodius,

ſi tibi hæc ſcriberem,quæ nunc(ut potero)exponam. Ex his autem uerbis,nulla quidem ſententia elici poteſt, digna M. Varronis eruditione:quem Terentianus undecunq; doctiſſimum uocat.Sed ego antiquiſſimum è Marciana bibliotheca codicem nactus (quæ Florentiæ admodum nobilis eſt) inuenio ferè ad hũc modũ:Otius eſſem conſequutus Fundania, commodius hæc tibi ſcriberem.Quæ tamen nonnihil etiam ſunt interpolata,quod ſi liceat in his tenebris,quæ ſentiam reſpondere,haud aliter à Varrone crediderim ſcriptum,quàm in hunc modum:Otium ſi eſſem conſequutus Fundania,cõmodius tibi hæc ſcriberẽ,quæ nunc ut potero exponã. Nam illud,quod aliquot habẽt codices,otius eſſem,deprauatum, uiolatũq; improbitate ſcriptorum eſt, quorũ & uelocitas plerunq;,& inſcitia permultùm obfuit bonis authoribus.Quãquam & hoc apud ueteres quoq; uſitatũ,ueluti in Plautinis adhuc,Terẽtianisq; fabulis conſpicitur,ut uocaleis adeò literas abijcerent,quo ſit credendum facilius,lectionem illam (quam reſtituimus)genuinam ac propriam eſſe.Nam & cõſonantis interdum litteras pari licentia in prolatione omittebant,quod & M.Tullius aſſerit,& grammatici paſſim factitatum affirmant. Lectio uerò hæc,quam & fidei & uetuſtatis meritò intromittimus, quantopere ſit à ſtudioſis approbanda,teſtis erit mihi & Mainardus Iohannes uir diligens, & in bonis litteris admodum doctus, qui eam pro ueriſſima tuetur,& aſſerit.Quod autem otium,& negotium per t litteram malim ſcribere,qum per c mouent me ueterum elogia, & inſcriptiones,in æreis & marmoreis monimentis,ut illud uulgatum & peruetuſtum: ARGENTARII ET NEGOTIANTES BOARII HVIVS LOCI.

CAPVT III.

Accij poëtæ uerſus apud Apuleium recogniti, & quo pacto mutuatus ſit illos ex Acciana tragœdia.

LVc. Apuleius in oratione ad Seuerianũ proconſulem Aphricæ, uerſus Accianos mutuatus eſt, quo loco de Hippia, eiusq; multiplici ingenio ac doctrina agit. Sed eos tamẽ uerſus, nõ cuiusq; eſt agnoſcere, quoniam nulla ibi mentio ſit, uel carmen id eſſe, uel ad aliquem ſaltem poëtarum referendum. Sic enim inquit Apuleius: Vno ſolatio freta eſt urbs exẽpli tui, quod qui legatus mittitur proconſul ad nos, citò reuerſus eſt. Sol qui micantem candido curru, atq; equis, flammam citatis feruido ardore explicas, itemq; luminis eius Luna diſcipula. In his autem interpoſiti ſunt uerſiculi ſenarij, qui diligentia noſtra facilè authorem ſuum recognoſcẽt, cum ex Accij tragœdijs ab Apuleio aſſumpti ſint. Nam & Priſcianus nõ cõtemnendus author, pro Accianis eos affert in libro de metris comicis, tum in Phœniſſis ab Accio ita ſcriptum tradit:

Sed qui micantem candido curru, atq; equis
Flammam citatis feruido ardore explicas:
Quiq; natum aduerſo augurio & inimico omine:
Thebis radiatum lumen oſtendis tuum.

Apuleius autem non modò ad ipſum ſolem ſe conuertit, ſed ad cæteros errones (ut uerbo utar Nigidiano) Sol (inquit) & Luna, nec non quinq; cæteræ uagantium poteſtate: Iouis benefica, Veneris uoluptifica, pernix Mercurij, pernicioſa Saturni, Martis ignita.

CAPVT IX.

Egregiè factum à rege Alfonſo in legenda Liuij hiſtoria contra imperium medicorum, & de ſimultate inter eum, & Coſmam medicem.

MInus indignum fore putamus, neq; improbandum ab his, qui paulo humaniores ſunt, ſi & eorum exempla in litteras referamus, quibus maiores noſtri etiam uiuentibus plurimùm conceſſerunt. Solent enim quidam ſic in omnibus antiquitatē admirari, ut ingenium, resq; geſtas iuniorum, prorſus deſpiciant. Sed ætate quidem ſuperiori extiterunt uiri aliquot, magno animo, & egregia prudentia, cuiuſmodi habiti ſunt Alfonſus rex Neapolitanus, Franciſcus Sfortia, Othomānus Turcharum princeps, & Coſmas Medices: de quibus (ſi quando incidit) nonnulla à nobis relata ſunt. Sed illud celebre Alfonſi regis de Liuiana hiſtoria uiſum eſt, quod hoc loco legeretur. Nam cum inter Coſmam Medicem maximæ authoritatis uirum, & Alfonſum regem ſuborta ſimultas crederetur, miſit muneri Alfonſo Coſmas, T. Liuij cōmentarios, librum quidem (ut par eſt) quàm ornatiſſimum: quoniam rex idem Liuianæ hiſtoriæ maximè fuit ſtudioſus. Id autem cum medici regis (qui aderant) intelligerent, ſtatim Alfonſo imperant, ut cautim agat cum Florentino ingenio, neq; ullo modo Liuium attingat, librum illum ab hoſte miſſum, in eoq; uenenum occultari poſſe, atque interlegendū cōtrahi. Quibus auditis Alfonſus attentior factus eſt, quaſi aſſentiri monētibus uideret. Sed ecce interim Liuianū opus in mediū affert, quod ubi rex cœpit aſpicere, nolētibus medicis, aperuit, legit, euoluit, ſimulq; (ut homo ſummi ſpiritus Ineptire (inquit) definite: nam regis animus haud priuati cuiuſq; regit arbitrio. Nec em̄ de nihilo dicebat Home. Sub Io

peo, ac patrocinio uerſari principes. Itaq; Ioannes Romanus pontifex in epiſtola ad imperatorem Iuſtinianū, uetus illud ex hiſtoria ſacra mutuatus eſt: Cor regis in manu dei.

CAPVT X.

M. Ciceronis uerba expoſita de L. Tubulo ſacrilego, & Luciliani uerſus additi de eodem, tum quàm acri carmine Romanos ciueis Lucilius exagitarit.

MAr. Ciceronis uerba ſunt in quinto de finibus libro: Quis P. Numitorem Fregellanum proditorem (quamq; reipublicæ noſtræ profuit) non odit? Quis urbis conſeruatorem Codrum? Quis Erithei filias, non maximè laudat? Cui Tubuli nomē odio non eſt? Quis Ariſtidem non mortuum diligit? In his autem uerbis, à pleriſq; (ut uideo) ignoratur quiſnā fuerit hic Tubulus, aut qua improbitate notatus, ut eſſe odio apud omneis debeat. Sciendum igitur L. Tubulum fuiſſe in Luciliana ætate hominē multis facinoribus, ac flagitijs inſignē, qui præter alia multa rapinator, impius, atq; ſacrilegus eſt appellatus, & à poëta Lucilio amarulento carmine proſciſſus. Quod & Cicero idem in libris de natura deorum inſinuat: quo loco de Abderite Prothagora (qui ἄθεος dictus) eiuſq; libris publicè cōbuſtis, diſſerit: Quid (inquit) de ſacrilegis, quid de impijs, periuriſq; dicemus,

Tubulus ſi Lucius unquam
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

(ut Lucilius refert) putaſſet eſſe deos, tam periurus, aut impurus fuiſſet? Quin & alibi accuſatum (inquit) eundem in cauſa peculatus, & quod in re iudicandi pecuniam dolo malo ceperit. Et in oratione pro M. Scauro audaciſſimum hūc, atq; ſceleratiſſimum uocauit, quo circa ſic Pedianus Aſconius: L. hic Tubulus prætorius fuit, ætate patrum Ciceronis.

Is pro⸗

Is propter multa flagitia cum de exilio accerſitus eſſet, ne in carcere necaretur, uenenum bibit. Lucilius uerò ſatyrarum author, non Tubulum modò, ſed Mutium, Lupum, Carbonem, ac Lapatum multis uerſibus eſt acerrimè inſectatus, ex quo illud:

Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

CAPVT XI.

Quanta ſæuitia fuerit Auidius Caßius, ac de ſupplicio illius ad necandos homines per fumum, tum de his etiam, qui fumos uenderent, non inelegans obſeruatio.

INter cætera exēpla ſæuitiæ atq; crudelitatis Auidij Caſſii nomen, atq; ingenium relatū eſt, quando & hunc ipſum nonnulli cruoris cupidum, & alterum Catilinam uocarūt. Sed hoc unum ſupplicij genus ab eo excogitatum, libitum mihi eſt adnotare, ne tanta ſæuientis animi feritas, atq; atrocitas non conſideretur. Is igitur Auidius trabem ſeu ſtipitem longitudine lxxx uel c pedum è materia curabat deligi, tum à ſummo uſque ad infimas partis noxios alligabat, eosq; in altum erectos, incendi, atq; concremari uolebat, ſic ut multos incendio, alios fumi cruciatu necaret, quod à Vulcatio ſcriptū eſt ad Auguſtum Diocletianum. Alexander autem Seuerus, fumo eos necari imperabat, qui fucum facerent, & in amicorum cauſis, atq; officijs fumum uenderent. Itaq; Turinum familiaritate ſibi coniunctum, & quod improbius imperatorem uenderet, in foro tranſitorio ad ſtipitem alligatū, fumi cruciatu extinxit, addito per præconem elogio: Fumo pereat, qui fumum uendidit. Hi enim homines fumum uendere dicuntur, qui in officijs aulicis ementiētes, imperatoris authoritate abutuntur, eiusq; famam & dignitatē infami ambitu

dehoneſtant, quales apud Antonium Heliogabalum nobiles in hoc genere habiti ſint: Cordus, & Herodes, qui cum ex ſtulto ſtultiorem faciebant.

CAPVT XII.

Relatum ex lege Menia de comprimendis morientiū oculis, & quod minimè filijs liceret parentum oculos occludere.

DE lege Menia ſcriptum ſic eſt apud ueteres, fuiſſe cautum, ne filij parentibus oculos in obitu ſugillarent: quoniam pietatem oſtendi, atq; probari exiſtimarēt. Verba legis hæc ſunt, ut eſt author Terentius Varro:

Ne filij parentibus luci claro oculos ſugillanto.

Quod ipſum & Marcellus Nonius obſeruauit. C. autem Plinius refert, ſacrum fuiſſe magno ritu quiritum, ut morientibus oculos aperirent, in rogo autem patefacerent. Quo magis indicari poſſet, neq; ab homine ſupremū eos ſpectari fas eſſe, & cælo nō oſtendi nefas. Hinc frequēs locus apud poëtas ad pathon maximè permouendum, de operiendis, comprimendisq; morientium oculis, quo nomine infelices inquit Plutarchus eos uulgò ſolemus uocitare, quorū oculos propter abſentiam non potuerint parentes obtegere.

CAPVT XIII.

Verbum quod eſt ſubulo Hetruſcum eſſe, ac pro tibicine accipi, & Macrobij uerba de ſubulonibus aſcripta.

SEruatū eſt alibi à nobis, fuiſſe apud ueteres, qui fabulas Hetruſco ſermone componerent, ac in ipſa quoque urbe ſtudium fuiſſe Romanis ciuibus, ut Hetruſcam eruditionē perdiſcerent. Quo circa uoces compluris adhuc afferuntur à grammaticis, quæ ſuam originem in Hetruria habuerunt, quod à Terentio

Varrone,

Varrone,& Fabio Quintiliano ſcriptum eſt:Inter alia uerò quæ traduntur uocabula, ſubulonem inquit Feſtus Pompeius tuſcam eſſe dictionem,qua ſignificatur tibicen:quod ipſum,& Q. Ennius poëta hoc uerſu poſuit:

Subulo quondam marinas propter aſtabat aquas,

ut M. Varro notauit in libro de uerbis poëticis: Huius (inquit) uerbi radices haud quidem in Latio,uerùm in Hetruria petendæ ſunt. Sed illud imprimis ſeruandum eſt,hanc uocem & in cœnis Macrobianis haberi,quo loco de iocis ac dicterijs diſſerit,quæ in cœnis atq; compotationibus ad urbanitatem & gratiam meritò exiguntur. Neq; illa (inquit) proferenda ſunt,quæ planipedes,aut ſubulones ſolent. Quem locum facilius quidam contaminant quàm exponunt. De ſubulis notũ eſt omnibus,acceptas eſſe pro mucronatis ſpiculis,quorum ſit uſus in lanificijs ad pectenda uellera. Hinc illud ab Anneo Seneca dicitur: Indignum eſſe pro dijs, hominibusq; in aciem ſuſcepta ſubula armatũ deſcendere. Plinius in ceruorum cornibus ſubulas nuncupat,qui à Græcis † πακτάλιαι appellantur. † παττάλιν

CAPVT XIIII.

De animantibus,quæ in igne uiuant,ac ibidem de Chamæleontis facie,ingenio, & coloribus.

INter alia animantia,de quibus ſcribit à ueteribus,relatum de his eſt,quorũ uita ex ipſo tantum igne conſtet,ob eam cauſam Pyraules beſtiæ,uel Pyrauſta uocant à Græcis,quòd in flagrantibus fornacibus medio igne peruolitant. Pyraules. Quadrupedes ſunt,ac pennulis inſtructæ, magnitudine maioris muſcæ,ut ab Ariſtotele & C. Plinio notatũ eſt. L. Apuleius flammida appellat Latino uerbo, quæ totum æuum in igne (ut inquit) conſumũt. Vbi à flammis lõgiore paulò uolatu

latu abſunt:protinus emoriũtur. De Chamęleonte uerò,uulgatum eſt,eum ex elemẽto aëris duntaxat conſtare. Sed hac in re libet uerba C. Plinij ſubijcere: qui in his proſequendis atq; explicãdis ſumma diligentia,incredibiliq; doctrina prę-ſtiterit. Chamęleontis figura (inquit) magnitudine Crocodili eſt,niſi crura eſſent recta & excelſiora, latera uentri iunguntur,ut piſcibus,& ſpina ſimili modo,prominet ei roſtrũ ut in paruo animãti,haud abſimile ſuillo ſit, cauda illi prælõga in tenuitatem deſinens,& implicans ſe uiperinis orbibus, ungues adunci,motus tardior, ut teſtudini, corpus aſperũ, ut Crocodilo,oculi in receſſu cauo,tenui diſcrimine prægrãdes & corpori concolores,nunquã eos operit,nec pupillam mouet,ſed totius oculi uerſatione circum aſpicit,ipſe celſus hiãti ſemper ore. Solus animalium omniũ nec cibo,ne potu neq; alio quidem,quàm aëris alimento nutritur. Circa caprificos ferus,innoxius alioqui. De colore eius mirificum illud notatur:eum nanq; ſubinde mutat,& oculis,& cauda,& toto corpore,ac ſemper illum reddit,quemcunq; proximè attigerit:præter rubrum tamen & candidum,ut authores conueniunt,ob idq; animantium timidiſſimum exiſtimatur. Hinc uetus prouerbium traditur de his hominibus, qui ad omnia commodè atq; aptiſſimè ſe habẽt,quod in Athenienſem Alcibiadem relatum eſt. Viſitur hoc animal præcipuè in India, & hibernis menſibus latere ſolet ut lacerta. De uiribus aũt & poteſtate eius complura atq; admirãda referũtur ab authoribus,maximeq; à Democrito,qui librũ de poteſtate Chamęleõtis cõſcripſit. Neq; aũt ignoramus accuſari à criticis Pli. quod in deſcribẽdis Chamęleõtis uiribus, Democriti authoritate abutatur,in quo equidem minimè ſum iudicium noſtrum interpoſiturus,præſertim cum idem Plinius fidem ſuam ad authores uetuſtiſſimos reuocet,inueſtigandis atq; aperiendis naturæ arcanis.

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSNONVS.

CAPVT I.

De remedio expergiſcendi à ſomno, & quomodo inter ſe differant authores de Alexandro Macedone, & Ariſtotele philoſopho enarrantes.

DIgnum ſane exemplum Græcis ingenijs celebratur, in ueterum monimentis, quo ſe ipſum facilè quis poſſit urgente ſomno eximere. Relatum enim de Alexādro quidem Macedone, quòd is, ut in gerendo imperio occupatior, remedium hoc contra ſomnum excogitauerat. Primò uas æneum prope lectum adſtituens, ſeipſum ita ad quietem cōponebat, ut pilam æneam, ſeu argenteam manu compreſſam retineret, brachiumq́ ſuper uas prolatum haberet: quo pila ipſa (ſicubi ſomno concederet) è manu delapſa, in ſubiectum æneum procideret, ſimulq́ illo ſonitu excitus exurgeret. Vnde hæc Alexandri potius dormitatio, quàm ſomnus uideri poterat. Hanc rem & Ammianus Marcellinus homo Græcus in Romana hiſtoria rettulit, quo loco ſimilem facit Alexandro Bizantiū Iulianum, quòd is in treis maximè parteis noctem diuiſerat: ſic, ut quieti, & reipublicæ & muſis iuſtum pēſum rependeret. Sed eſt tamen in quo authores diſſentiant, alij enim Ariſtoteli philoſopho id aſcribunt, ut Laërtius Diogenes, qui ab eo factum aſſerit, quo poſſet experrectius in omnibus ferè diſciplinis aduigilare. Nos eiuſmodi authorum differentiam iudicaturis liberam relinquimus.

CAPVT II.

De inſtrumentis militarium machinarum & earũ uocabulis, ac de tellenone, & de machina Demetrij ducis, quæ poliorches diceebatur.

VIſum mihi eſt in otio agenti tormentorũ uoces et apta bellis inſtrumẽta percenſere, quæ Græci uocant poliorchitica, ne nihil agẽdo maleagere diſcamus. Sunt igitur hęc (quæ prout memoria ſuppeditauerit minimè duximus ſupprimenda) teſtudines, arietes, fundibalę, aſſeres, baliſtæ, arcubaliſtę, carrobaliſtæ, harpagones, exoſtræ, falces, muſculi, trifaces quæ ex baliſtis emittuntur. Fuſtubuli, cataphractæ, plumbatæ, quas uocant martiobarbulos Onagri, heliopolis, plutei, ſambucæ, prela ſcorpiones quos manubaliſtas appellant. Ambulatorię turres, tribuli, ſariſſæ, poliorches, uineæ, tellenones, phalæ, ex q̃bus intorquentur phalaricę. Nominãtur etiã tragulæ, bipennes, & crates metallæ. Eſt aũt tellenõ machinæ genus, cum una trabes præalta humo defigit̃, et ſummo uertice alia trãſuerſa, eademq̃ longior annectit̃ eo uidelicet libramẽto, ut ſi unũ caput deprimat̃, alterũ ſtatim ſubrigatur. In uno aũt capite machina cũ tabulatis cratibus cõtexitur, in qua armati aliquot collocantur: tuncq̃ altero capite funibus depreſſo eleuati milites in muro facilè ſuperponũtur. De hac machina & Plautus poëta mẽtionem fecit in fabula Aſtraba cum lepidè inquit:

Quaſi tellenon, aut pilum Græcum reciproces plana uia.

De poliorche quoniã et hoc minus frequens, ad hunc ꝓpè modum Plutarch. Erat hæc machina à Demetrio principe his ratiõibus, & habitu conſtructa. Primò quadratã ſedem habebat, cuius ſingula quidem latera æqualia, in latitudinẽ lx cubitorũ protendebantur. A poſtrema uerò baſi uſq̃ ad uerticem, ſic gradatim uidebat̃ extenuari, ut ſedes infima mul-

multò latior ſuprema parte foret, ac mirifica quædã & egregia uidebatur figura, ex quacunq; parte reſultare. Intus prætereà latebræ erãt & cauernæ cõplures ad excipiẽdos milites accõmodatæ. Quà uerò hoſteis ipſos ſpectabat, patefactã frontẽ habebat, et undiq; feneſtellas obrectas, qbus citra ullum diſcrimẽ facilè poterãt milites tela in hoſteis iacere. Et quod ſupra omnia maximè mirũ uidebat, tanta quidem facilitate in quamlibet partem mouebatur, ut etſi ſtrepitũ maximũ æderet, minimè tamen obſeruari aut conſpici poterat in utram partẽ inclinaret. Hac uerò machina Demetrius ille Antigoni filius (qui Poliorchites eſt appellatus) ita cupidè ac ſtrenuè utebatur, ut ex urbiũ ruinis nomẽ illi inditum ſit. Plura autem huius generis bellica inſtrumẽta reperiuntũ apud Græcos in Athenæi & Philonis cõmentarijs. Apud Romanos uerò authores non Flauius modò Vegetius de his, ſed Ammianus Marcellinus, & Pollio Victruuius ad Octauiũ Auguſtum ſcripſerunt.

CAPVT III.

Ennij poëtæ diſtichum de P. Scipione allatum, & Annei Senecæ uerba in epiſtolis emendata atq; recognita.

Nihil inuenio in Romanis litteris magis deprauatum aut corruptũ, quã ea omnia in quibus ueterum poëtarum carmen allatum ſit: ut Accij, Neuij, Lucilij, et eiuſmodi aliorum. Mirum enim q̃ peruerſæ uoces, quàm præfracti numeri, & in torta lectio exiſtat, ut magnopere laborandum ſit, uel ſenſum aliquem poſſe aucupari. Quod ego nuper expertus ſum in Ann. Senecæ epiſtolis, in quibus ſiquando citantur ueterum carmina nullam propè imaginem ueræ lectionis aut effigiem dignoſcas. Libro autem (ut uulgo nunc creditur) undeuigeſimo, carmen hoc Ennianum affertur, de Publio Sci-

 pione

pione, quod ille idem de ſe, ut animo fuit maximo ſic refert

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquàm,
Mi ſoli cæli maxima porta patet.

At in epiſtola Annei quã corruptum hoc eſt, quàm uiolatum, quã peruerſum, ut nec uerba ipſa ſatis cohæreant, necq́ ſenſus in aliquo appareat. Quam rem ſatis habui pro tempore bonis ingenijs indicare. Quod ſiquis Ennianos uerſus, proinde ut appoſui ex integro apud authorẽ deſideret, Cœlium is Firmianum legat in libro ad imperatorem Conſtantinũ primo, de diuinis inſtitutionibus, quo loco & hoc ipſum carmẽ de Scipione magnis conuitijs inceſſitur, quãdo & M. Cicero in libris de republica poſuerit, ſicuti à Firmiano demonſtratur. Vnde illud etiam Vergilianum:

Quem ſuper ingens Porta tonat cæli.

CAPVT IIII.

Caßij Seueri dictum perelegans in Labienum hiſtoricum, ac de improba eiuſdem Labieni dicacitate.

Dictũ hercle lepidũ et pinde elegans fert Caſſij Seueri in Labienũ hiſtoriç authorẽ, cuius fortè libri cũ fuiſſent exuſti, bellè ſecũ agi Caſſius putauit, ſiquid in hominẽ (cui credebat maximè inuiſus) ſcomaticè iocaretur. Itaq́ dum illius (ut dixi) cõmentarij ex ſenatusconſulto eſſent cõcremandi: Me (inquit) uiuũ uri oportet, qui illos didici, feſtiuè nimis atq́ mordaciter. Huius aũt rei meminit Anneus Seneca in epiſtola ad Nouatum. Nam cũ Labienus idem Põpeij partibus ſtuderet, ac hiſtoriam rerũ eius geſtarũ ſcripſiſſet, ſenatus cõſulto actũ eſt, ut eius cõmentarij cremarent. Fuit aũt in Labieno libertas tanta, ut libertatis nomen excederet. Et quoniã paſſim ordines honoresq́ omneis laniabat, Rabienus uulgò uocatus eſt, quod in noſtris commentarijs copioſius explicauimus.

CAPVT V.

Quid ſit repandiroſtrum, & incuruiceruicum pecus, ex Pacuuio apud M. Varronem: & emendata ibidem uerba et expoſita contra imperitorū ſententiā.

COmplura quidem uocabula reperiuntur, quæ poëtæ ueteres, nō minore ſtudio innouandi q̄ cōſilio delectandi adinuenerūt, exiſtimātes fore (quod ait Cicero) ut Romanus ſermo fieret indies aptior atq; locupletior. Quod ſi in quibuſdā cōpoſitio ipſa paulò durior atq; improbior uideri poteſt, apud comicos præſertim authores, pleraq; tn̄ lōgo uſu atq; cōſuetudine mitiora efficiunt, eoq; gratiora forēt, ſi minus deprauata & corrupta haberētur, cuiuſmodi hæc ſunt: repandiroſtrū pecus, et incuruiceruicū, & arietes etiā recip̄cicornes de quibus breuiter nunc agemus. Nam delphinos quidam repandi roſtrū animal & incuruiceruicū uocarunt, ſumpto ex habitu animātis uocabulo, quòd roſtrū habeat repandum, & ceruicē quaſi incuruā, quod & Ma. Varro ad Ciceronē, & Fabius Quintilian. in Pacuuianis fabulis obſeruarunt. Sic em̄ Varro, ſecundus gradus à quo grāmatica deſcendit antiqua, quę oſtendit quēadmodum quodq; poēta uerbum confinxerit, quod etiam declinarit. Hinc Pacuuius rudentiſibilus, hinc incuruiceruicum pecus, hinc chlamyde clypeat brachium, quæ uerba in gratiā ſtudioſorum apponere uolui, quoniā in uulgatis ferè exemplaribus pręfracta & fœdè inuerſa ſunt. Quod autem incuruiceruicū pecus in Pacuuiana fabula dictū ſit, demōſtrat hoc ipſum & Fabius ad Marcellum Victorium referens Pacuuianum hunc uerſiculum.

Nerei repandiroſtrum, incuruiceruicum pecus.

Sed & Lucilius quoq; (qui apud noſtros ſtili naſum pri-

mus condidit) repandiroſtros appellat delphinos in ſatyris:

Laſciuire pecus iuſſit, roſtriq; repandum.

Quod in cōmentarijs Nonianis inuenitur. Arietes uerò primus Laberius (ut exiſtimo) reciprocicornes appellauit, ꝙ haberent reciproca & obtorta cornua. Id & commentaria quorundam ueterum probant, & Septimius Florens in libro quem de Pallio inſcripſit, arietem inquit, non ut Laberius reciprocicornem & lanicutem appellauit, ſed trabitextum.

CAPVT VI.

De imagine Nemeſis eiuſq; poteſtate & nominibus, & epigrama Auſonij expoſitum.

QVæ dea ſit Nemeſis, & quo maximè honore habeatur, exponūt ferè complures, tam apud Græcos quā apud Latinos. Sed libuit adnotare hoc loco epigrāma illud Auſonij Galli quod ex Græco poëta ingenioſus (ſicut pleraꝗ alia) in Latinū cōuertit. Carmen id eſt:

Me lapidem quondam Perſæ aduexêre tropæum,
Vt fierem bello, nunc ego ſum Nemeſis.
At ſicut Græcis uictoribus aſto tropæum:
Punio ſic Perſas uaniloquos Nemeſis.

Quod apud Græcos tamen neſcio quo pacto preſſius multò atꝗ limatius habetur:

Καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον ὄφρα τρόπαιον
Στήσωνται νίκας, εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις.
Ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα καὶ Ἕλλησι τρόπαιον
Νίκας καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου Νέμεσις.

Hiſtoriam uerò ex qua utrunꝗ declaretur epigrāma Pauſanias ponit, ad hanc propémodum ſententiam: A Marathone (inquit) ſtadia ſupra ſexaginta Rhamnus abeſt uicina mari quà Oropum itur, paulò autem ſupra mare templū

Nemeſeos eſt, quæ contumelioſis maximè hominibus in euitabilis dea. Videtur autem barbaros quoq; illos indignatio huius numinis cõprehendiſſe, qui Marathonem deſcenderunt. Nam cum Athenas ipſas deſpicerent, eaſq; impedimento ſibi fore arbitrarentur, lapidem parium attulerunt, tanquam uictoria iam forent potiti, quem lapidem Phidias opifex in ipſam Nemeſis ſtatuam formauit. Ineſt aũt capiti eius deę corona, in qua cerui ſunt, et uictoriarum exiguæ uiſuntur imagũculæ. In dextera phialam retinet, in qua cælati ſunt Aethiopes, propter ipſum fortaſſe Oceanũ qui pater Nemeſis traditur. Hæc Pauſanias, qui tamen idem in hoc ipſo libro haud Oceanum Nemeſis parentem dicit, ſed Iouem, ſicuti Helenam matrem, nutricem Ledam. Neque autem me latet aliter de Nemeſi ac Rhamnuſia Plinium ſecundum ſcribere, ſed ad cognitionem epigrammatis non Plinij uerba, ſed adhibendus Pauſanias fuit. Nam & Ammianus quidē Marcellianus, de geſtis Galli imperatoris, ad hunc modum: Hæc (inquit) & huiuſmodi aliquoties operatur Adraſtia, quam duplici uocabulo Nemeſim appellamus, ius quoddam ſublime numinis efficacis humanarum mentium opinione, lunari circulo ſuperpoſitum. Vel (uti definiunt alij) ſubſtantialis tutela, generali potẽtia partilibus præſidens fatis, quam theologi ueteres fingentes, Iuſticiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Hæc ut regina cauſarum, & arbitra rerum, hac diſceptatrice urna ſortium temperat, accidentium uices alternans, uoluntatumq; noſtrarum exorſa interdum aliò quàm quò contendebant exitu terminans, multiplices actus permutando conuoluit, eadémque neceſſitas inſolubili uinculo mortalitatis uinciens faſtus tumentis, in caſum & incrementorum & detrimentorum momenta uerſabilis, & nunc erectas illas mentium ceruices

Oceanus pater Nemeſis.

opprimit

opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo ſuſcitans, ad bene uiuendū extollit. Pennas autem ideo fabuloſa uetuſtas aptauit, ut uolucri uelocitate cunctis adeſſe exiſtimetur. Et prætēdere gubernaculum dedit, eiq; rotam ſubdidit, ut regere uniuerſitatem per elementa diſcurrens omnia nō ignoret, & hæc demum (inquit) mutabilis & inconſtans, fecit Agathoclem Siculū ex figulo regem, & Dionyſium gentium quondam terrorem, Corinthi litterario ludo præfecit. Et Andriſcū Adramitenū, in fullonia natum, ad Pſeudophilppi nomen euexit, ac legitimum Perſei filium, artem ferrariam ob uictū quærendū edocuit. Verùm de hoc dictū à me alibi copioſius.

CAPVT X.

De prudenti reſponſo Cecilij Metelli ad amicū, qui eius animi coſiliū ſcire cupiebat, neq; eſſe cuiuſquā ingenio facilè confidendū in rebus grauioribus.

NEmini unquàm dubium fuit, quin prudentiores illi homines atq; conſultiores habiti ſint, quorū conſilia & in republica ſeruanda, & in uita inſtruenda maximè præſtiterint. Qua in re obſeruatum hoc eſt, cautiſſimum quemq; haud temerè animi conſultationes, uel intimis etiam amicis cōmittere. Nihil enim dicebat Democritus maiorem arguere imprudentiā, atq; uecordiā, quàm ea credere homini, quæ parū æquo animo patiaris diſſeminari. Itaq; reſponſum Metelli Cecilij eiuſmodi uiſum eſt quod his quoq; cōmentarijs legeretur. Nam hic ipſe Metellus, qui deuicta Macedonia, dictus eſt Macedonicus, cū ſummæ uir prudentiæ & conſilij haberetur, amico cuidam quod eſſet in re magni momenti acturus rogitanti, ad hunc modū cordatè reſpondit: Tunicam (inquit) hanc meā excinderem ſi eam meum ſcire conſilium exiſtimarem. Quo dicto facilè quiuis poteſt conſiderare, cuiuſmodi ſit uiri prudentis officium, cum ſit homo ipſe (ut inquit alicubi Cicero) acutum ani

mal

mal ſagax,uarium & multiplex ,ut nihil ſit minus tutũ,quã
hominis fidei confidere:iuxta ſententiam Pauli Tarſenſis.Id
autem de Metello,Nepos Cornelius, & Valerius Maximus
in exemplis rettulerunt.Poëta uerò Ennius eũ præcipuè ami
cum probat,qui uerborum uir paucorum ſit, & qui non mi
nus loqui,quàm omnino tacere calleat, qualis ab eo Seruili
us Geminus doctiſſimis uerſibus commendatur.

CAPVT VIII.

Ceruos pro ſeruis & fugitiuis accipi apud ueteres:ac Martialis poëtæ carmen expoſitum contra aliorum ſententiam.

MArtialis poëtæ uerſiculi ſunt notiſſimi in hũc mo
dũ q̃s aſcribã:ut in libris antiquioribus inuenio:

Suppoſitam(fama eſt)quondam pro uirgine ceruam:
Ac nunc pro ceruo mentula ſuppoſita eſt.

Ita em̃ ueteres adhuc codices retinẽt:quæ lectio ꝓpria & ge
nuina eſt,ut nõ puerũ,ſed ceruũ ſuppoſitũ legamus.Nã qui
lepor obſecro in carmine,quæ feſtiuitas in poëta urbaniſſi
mo fuerit,ſi(ut quidã legũt)ꝓ uirgine ceruã fuiſſe ſuppoſitã
nũc pro puero ſupponat mẽtula?Hoc aũt loco ceruũ Marti.
& elegãter & antiq̃rũ more ꝓ fugitiuo accipit,ſiq̃dẽ & ſupra:

Huic comes hærebat domini fugitiuus Achillas
Inſignis forma,nequitiáq́; puer.

Ceruos uerò apud antiquos uocari cõſueuiſſe à celeritate fu
gitiuos,docet etiã Sex.Pom.cuius uerba ex libro de uerborũ
ſignificationibus xix ſubiecimus:& ſi in peruulgatis iſtis co
dicibus neutiquam comperias:Seruorũ (inquit) dies feſtus
uulgò exiſtimatur idus Auguſti quòd eo die Seruius Tullius
natus,idemq́; Dianæ ædem in Auentino dedicauerit:cuius
tutelæ ſunt cerui,à quorũ celeritate fugitiuos uocant ceruos
Quibus intellectis apertè ſenſus elicitur.Neq́; illud alienum
uideri debet,quod in Terentiana fabula ſcriptum eſt ab Ae

latu abſunt: protinus emoriūtur. De Chamæleonte uerò, uulgatum eſt, eum ex elemēto aëris duntaxat conſtare. Sed hac in re libet uerba C. Plinij ſubijcere: qui in his proſequendis atq; explicādis ſumma diligentia, incredibiliq; doctrina præſtiterit. Chamæleontis figura (inquit) magnitudine Crocodili eſt, niſi crura eſſent recta & excelſiora, latera uentri iunguntur, ut piſcibus, & ſpina ſimili modo, prominet ei roſtrū ut in paruo animāti, haud abſimile ſuillo ſit, cauda illi prælōga in tenuitatem deſinens, & implicans ſe uiperinis orbibus, ungues adunci, motus tardior, ut teſtudini, corpus aſperū, ut Crocodilo, oculi in receſſu cauo, tenui diſcrimine prægrādes & corpori concolores, nunquā eos operit, nec pupillam mouet, ſed totius oculi uerſatione circum aſpicit, ipſe celſus hiāti ſemper ore. Solus animalium omniū nec cibo, ne potu neq; alio quidem, quàm aëris alimento nutritur. Circa caprificos ferus, innoxius alioqui. De colore eius mirificum illud notatur: eum nanq; ſubinde mutat, & oculis, & cauda, & toto corpore, ac ſemper illum reddit, quemcunq; proximè attigerit: præter rubrum tamen & candidum, ut authores conueniunt, ob idq; animantium timidiſſimum exiſtimatur. Hinc uetus prouerbium traditur de his hominibus, qui ad omnia commodè atq; aptiſſimè ſe habēt, quod in Athenienſem Alcibiadem relatum eſt. Viſitur hoc animal præcipuè in India, & hibernis menſibus latere ſolet ut lacerta. De uiribus aūt & poteſtate eius complura atq; admirāda referūtur ab authoribus, maximeq; à Democrito, qui librū de poteſtate Chamæleōtis cōſcripſit. Neq; aūt ignoramus accuſari à criticis Pli. quod in deſcribēdis Chamæleōtis uiribus, Democriti authoritate abutatur, in quo equidem minimè ſum iudicium noſtrum interpoſiturus, præſertim cum idem Plinius fidem ſuam ad authores uetuſtiſſimos reuocet, inueſtigandis atq; aperiendis naturæ arcanis.

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. DECIMVSNONVS.

CAPVT I.

De remedio expergiſcendi à ſomno, & quomodo inter ſe differant authores de Alexandro Macedone, & Ariſtotele philoſopho enarrantes.

DIgnum ſane exemplum Græcis ingenijs celebratur, in ueterum monimentis, quo ſe ipſum facilè quis poſſit urgente ſomno eximere. Relatum enim de Alexādro quidem Macedone, quòd is, ut in gerendo imperio occupatior, remedium hoc contra ſomnum excogitauerat. Primò uas æneum prope lectum adſtituens, ſeipſum ita ad quietem cōponebat, ut pilam æneam, ſeu argenteam manu compreſſam retineret, brachiumq́ſuper uas prolatum haberet: quo pila ipſa (ſicubi ſomno concederet) è manu delapſa, in ſubiectum æneum procideret, ſimulq́ illo ſonitu excitus exurgeret. Vnde hæc Alexandri potius dormitatio, quàm ſomnus uideri poterat. Hanc rem & Ammianus Marcellinus homo Græcus in Romana hiſtoria rettulit, quo loco ſimilem facit Alexandro Bizantiū Iulianum, quòd is in treis maximè parteis noctem diuiſerat: ſic, ut quieti, & reipublicæ & muſis iuſtum pēſum rependeret. Sed eſt tamen in quo authores diſſentiant, alij enim Ariſtoteli philoſopho id aſcribunt, ut Laërtius Diogenes, qui ab eo factum aſſerit, quo poſſet experrectius in omnibus ferè diſciplinis aduigilare. Nos eiuſmodi authorum differentiam iudicaturis liberam relinquimus.

multò latior ſuprema parte foret, ac mirifica quædã & egregia uidebatur figura, ex quacunq; parte reſultare. Intus præterea latebræ erãt & cauernæ cõplures ad excipiẽdos milites accõmodatæ. Quã uerò hoſteis ipſos ſpectabat, patefactã frontẽ habebat, et undiq; feneſtellas obiectas, qbus citra ullum diſcrimẽ facilè poterãt milites tela in hoſteis iacere. Et quod ſupra omnia maximè mirũ uidebat̃, tanta quidem facilitate in quamlibet partem mouebatur, ut etſi ſtrepitũ maximũ ederet, minimè tamen obſeruari aut conſpici poterat in utram partẽ inclinaret. Hac uerò machina Demetrius ille Antigoni filius (qui Poliorchites eſt appellatus) ita cupidè ac ſtrenuè utebatur, ut ex urbiũ ruinis nomẽ illi inditum ſit. Plura autem huius generis bellica inſtrumẽta reperiunt̃ apud Græcos in Athenæi & Philonis cõmentarijs. Apud Romanos uerò authores non Flauius modò Vegetius de his, ſed Ammianus Marcellinus, & Pollio Victruuius ad Octauiũ Auguſtum ſcripſerunt.

CAPVT III.

Ennij poëtæ diſtichum de P. Scipione allatum, & Annei Senecæ uerba in epiſtolis emendata atq; recognita.

NIhil inuenio in Romanis litteris magis deprauatum aut corruptũ, quã ea omnia in quibus ueterum poëtarum carmen allatum ſit: ut Accij, Neuij, Lucilij, et eiuſmodi aliorum. Mirum enim q̃ peruerſæ uoces, quàm pręfracti numeri, & in torta lectio exiſtat, ut magnopere laborandum ſit, uel ſenſum aliquem poſſe aucupari. Quod ego nuper expertus ſum in Ann. Senecæ epiſtolis, in quibus ſiquando citantur ueterum carmina, nullam propè imaginem ueræ lectionis aut effigiem dignoſcas. Libro autem (ut uulgo nunc creditur) undeuigeſimo, carmen hoc Ennianum affertur, de Publio Sci-

Oo 2 pione

pione, quod ille idem de ſe, ut animo fuit maximo ſic refert

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquàm,
Mi ſoli cæli maxima porta patet.

At in epiſtola Annei quã corruptum hoc eſt, quàm uiolatum, quã peruerſum, ut nec uerba ipſa ſatis cohæreant, neq; ſenſus in aliquo appareat. Quam rem ſatis habui pro tempore bonis ingenijs indicare. Quod ſiquis Ennianos uerſus, proinde ut appoſui ex integro apud authorẽ deſideret, Cœlium is Firmianum legat in libro ad imperatorem Conſtantinũ primo, de diuinis inſtitutionibus, quo loco & hoc ipſum carmẽ de Scipione magnis conuitijs inceſſitur, quãdo & M. Cicero in libris de republica poſuerit, ſicuti à Firmiano demonſtratur. Vnde illud etiam Vergilianum:

Quem ſuper ingens Porta tonat cæli.

CAPVT IIII.

Caſſij Seueri dictum perelegans in Labienum hiſtoricum, ac de improba eiuſdem Labieni dicacitate.

DIctũ hercle lepidũ et pinde elegans fert̃ Caſſij Seueri in Labienũ hiſtoriæ authorẽ, cuius fortè libri cũ fuiſſent exuſti, bellè ſecũ agi Caſſius putauit, ſiquid in hominẽ (cui credebat maximè inuiſus) ſcomaticè iocaretur. Itaq; dum illius (ut dixi) cõmentarij ex ſenatusconſulto eſſent cõcremandi: Me (inquit) uiuũ uri oportet, qui illos didici, feſtiuè nimis atq; mordaciter. Huius aũt rei meminit Anneus Seneca in epiſtola ad Nouatum. Nam cũ Labienus idem Põpeij partibus ſtuderet, ac hiſtoriam rerũ eius geſtarũ ſcripſiſſet, ſenatus cõſulto actũ eſt, ut eius cõmentarij cremarent̃. Fuit aũt in Labieno libertas tanta, ut libertatis nomen excederet. Et quoniã paſſim ordines honoresq; omneis laniabat, Rabienus uulgò uocatus eſt, quod in noſtris commentarijs copioſius explicauimus.

CAPVT V.

Quid ſit repandiroſtrum, & incuruiceruicum pecus, ex Pacuuio apud M. Varronem: & emendata ibidem uerba et expoſita contra imperitorũ ſententiã.

COmplura quidem uocabula reperiuntur, quæ poëtæ ueteres, nõ minore ſtudio innouandi q̃ cõſilio delectandi adinuenerũt, exiſtimãtes fore (quod ait Cicero) ut Romanus ſermo fieret indies aptior atq; locupletior. Quod ſi in quibuſdã cõpoſitio ipſa paulò durior atq; improbior uideri poteſt, apud comicos præſertim authores, pleraq; tñ lõgo uſu atq; cõſuetudine mitiora efficiunt̃, eoq; gratiora forẽt, ſi minus deprauata & corrupta haberẽtur, cuiuſmodi hæc ſunt: repandiroſtrũ pecus, et incuruiceruicũ, & arietes etiã reciꝓcicornes de quibus breuiter nunc agemus. Nam delphinos quidam repandi roſtrũ animal & incuruiceruicũ uocarunt, ſumpto ex habitu animãtis uocabulo, quòd roſtrũ habeat repandum, & ceruicẽ quaſi incuruã, quod & Ma. Varro ad Ciceronẽ, & Fabius Quintilian. in Pacuuianis fabulis obſeruarunt Sic em̃ Varro, ſecundus gradus à quo grãmatica deſcendit antiqua, quę oſtendit quẽadmodum quodq; poëta uerbum confinxerit, quod etiam declinarit. Hinc Pacuuius rudentiſibilus, hinc incuruiceruicum pecus, hinc chlamyde clypeat brachium, quæ uerba in gratiã ſtudioſorum apponere uolui, quoniã in uulgatis ferè exemplaribus pręfracta & fœdè inuerſa ſunt. Quod autem incuruiceruicũ pecus in Pacuuiana fabula dictũ ſit, demõſtrat hoc ipſum & Fabius ad Marcellum Victorium referens Pacuuianum hunc uerſiculum.

Nerei repandiroſtrum, incuruiceruicum pecus.

Sed & Lucilius quoq; (qui apud noſtros ſtili naſum pri-

mus condidit) repandiroſtros appellat delphinos in ſatyris:

Laſciuire pecus iuſsit, roſtriq; repandum.

Quod in cõmentarijs Nonianis inuenitur. Arietes uerò primus Laberius (ut exiſtimo) reciprocicornes appellauit, q̃ haberent reciproca & obtorta cornua. Id & commentaria quorundam ueterum probant, & Septimius Florens in libro quem de Pallio inſcripſit, arietem inquit, non ut Laberius reciprocicornem & lanicutem appellauit, ſed trabitextum.

CAPVT VI.

De imagine Nemeſis eiusq; poteſtate & nominibus, & epigrama Auſonij expoſitum.

Quæ dea ſit Nemeſis, & quo maximè honore habeatur, exponũt ferè complures, tam apud Græcos quã apud Latinos. Sed libuit adnotare hoc loco epigrãma illud Auſonij Galli quod ex Græco poeta ingenioſus (ſicut pleraq; alia) in Latinũ cõuertit. Carmen id eſt:

Me lapidem quondam Perſæ aduexêre tropæum,
Vt fierem bello, nunc ego ſum Nemeſis.
At ſicut Græcis uictoribus aſto tropæum:
Punio ſic Perſas uaniloquos Nemeſis.

Quod apud Græcos tamen neſcio quo pacto preſſius multò atq; limatius habetur:

Καὶ με λίθον Πέρσαι δεῦρ᾽ ἤγαγον ὄφρα τρόπαιον
Στήσ.νται νίκας, εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις
Ἀμφοτέροις δ᾽ ἕστηκα καὶ Ἕλλησι τρόπαιον
Νίκας καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου Νέμεσις.

Hiſtoriam uerò ex qua utrunq; declaretur epigrãma Pauſanias ponit, ad hanc propémodum ſententiam: A Marathone (inquit) ſtadia ſupra ſexaginta Rhamnus abeſt uicina mari qua Oropum itur, paulò autem ſupra mare templũ

Nemeſεως eſt, quæ contumelioſis maximè homninibus in euitabilis dea. Videtur autem barbaros quoque illos indignatio huius numinis cõprehendiſſe, qui Marathonem deſcenderunt. Nam cum Athenas ipſas deſpicerent, eaſque impedimento ſibi fore arbitrarentur, lapidem parium attulerunt, tanquam uictoria iam forent potiti, quem lapidem Phidias opifex in ipſam Nemeſis ſtatuam formauit. Ineſt aũt capiti eius deę corona, in qua cerui ſunt, et uictoriarum exiguæ uiſuntur imagũculæ. In dextera phialam retinet, in qua cælati ſunt Aethiopes, propter ipſum fortaſſe Oceanũ qui pater Nemeſis traditur. Hæc Pauſanias, qui tamen idem in hoc ipſo libro haud Oceanum Nemeſis parentem dicit, ſed Iouem, ſicuti Helenam matrem, nutricem Ledam. Neque autem me latet aliter de Nemeſi ac Rhamnuſia Plinium ſecundum ſcribere, ſed ad cognitionem epigrammatis non Plinij uerba, ſed adhibendus Pauſanias fuit. Nam & Ammianus quidẽ Marcellianus, de geſtis Galli imperatoris, ad hunc modum: Hæc (inquit) & huiuſmodi aliquoties operatur Adraſtia, quam duplici uocabulo Nemeſim appellamus, ius quoddam ſublime numinis efficacis humanarum mentium opinione, lunari circulo ſuperpoſitum. Vel (uti definiuut alij) ſubſtantialis tutela, generali potẽtia partilibus præſidens fatis, quam theologi ueteres fingentes, Iuſticiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Hæc ut regina cauſarum, & arbitra rerum, hac diſceptatrice urna ſortium temperat, accidentium uices alternans, uoluntatumque noſtrarum exorſa interdum aliò quàm quò contendebant exitu terminans, multiplices actus permutando conuoluit, eadémque neceſſitas inſolubili uinculo mortalitatis uinciens faſtus tumentis, in caſum & incrementorum & detrimentorum momenta uerſabilis, & nunc erectas illas mentium ceruices opprimit

Oceanus pater Nemeſis.

opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo ſuſcitans, ad bene
uiuendũ extollit. Pennas autem ideo fabuloſa uetuſtas apta
uit, ut uolucri uelocitate cunctis adeſſe exiſtimetur. Et prætẽ
dere gubernaculum dedit, eiq; rotam ſubdidit, ut regere
uniuerſitatem per elementa diſcurrens omnia nõ ignoret, &
hæc demum (inquit) mutabilis & inconſtans, fecit Agatho
clem Siculũ ex figulo regem, & Dionyſium gentium quon
dam terrorem, Corinthi litterario ludo præfecit. Et Andriſcũ
Adramitenũ, in fullonia natum, ad Pſeudophilppi nomen
euexit, ac legitimum Perſei filium, artem ferrariam ob uictũ
quærendũ edocuit. Verùm de hoc dictũ à me alibi copioſius.

CAPVT X.

*De prudenti reſponſo Cecilij Metelli ad amicũ, qui eius animi cõſiliũ ſcire cu
piebat, neq; eſſe cuiuſquã ingenio facilè confidendũ in rebus grauioribus.*

NEmini unquàm dubium fuit, quin prudentiores
illi homines atq; conſultiores habiti ſint, quorũ
conſilia & in republica ſeruanda, & in uita inſtru
enda maximè præſtiterint. Qua in re obſeruatum
hoc eſt, cautiſſimum quemq; haud temerè animi conſultati
ones, uel intimis etiam amicis cõmittere. Nihil enim dicebat
Democritus maiorem arguere imprudentiã, atq; uecordiã,
quàm ea credere homini, quæ parũ æquo animo patiaris diſ
ſeminari. Itaq; reſponſum Metelli Cecilij eiuſmodi uiſum eſt
quod his quoq; cõmentarijs legeretur. Nam hic ipſe Metel
lus, qui deuicta Macedonia, dictus eſt Macedonicus, cũ ſum
mæ uir prudentiæ & conſilij haberetur, amico cuidam quod
eſſet in re magni momenti acturus rogitanti, ad hunc modũ
cordatè reſpondit: Tunicam (inquit) hanc meã excinderem
ſi eam meum ſcire conſilium exiſtimarem. Quo dicto facilè
quiuis poteſt conſiderare, cuiuſmodi ſit uiri prudentis offici
um, cum ſit homo ipſe (ut inquit alicubi Cicero) acutum ani
mal

mal ſagax,uarium & multiplex ,ut nihil ſit minus tutũ, quã hominis fidei confidere:iuxta ſententiam Pauli Tarſenſis. Id autem de Metello,Nepos Cornelius, & Valerius Maximus in exemplis rettulerunt. Poëta uerò Ennius eũ præcipuè amicum probat, qui uerborum uir paucorum ſit, & qui non minus loqui,quàm omnino tacere calleat, qualis ab eo Seruilius Geminus doctiſſimis uerſibus commendatur.

CAPVT VIII.

Ceruos pro ſeruis & fugitiuis accipi apud ueteres:ac Martialis poëtæ carmen expoſitum contra aliorum ſententiam.

MArtialis poëtæ uerſiculi ſunt notiſſimi in hũc modũ q̃s aſcribã:ut in libris antiquioribus inuenio:

Suppoſitam(fama eſt)quondam pro uirgine ceruam:
Ac nunc pro ceruo mentula ſuppoſita eſt.

Ita eñ ueteres adhuc codices retinẽt:quæ lectio ꝓpria & genuina eſt,ut nõ puerũ,ſed ceruũ ſuppoſitũ legamus. Nã qui lepor obſecro in carmine,quæ feſtiuitas in poëta urbaniſſimo fuerit,ſi(ut quidã legũt)ꝓ uirgine ceruã fuiſſe ſuppoſitã nũc pro puero ſupponat mẽtulã? Hoc aũt loco ceruũ Marti. & elegãter & antiq̃rũ more ꝓ fugitiuo accipit,ſiq̃dẽ & ſupra:

Huic comes hærebat domini fugitiuus Achillas
Inſignis forma,nequitiaq; puer.

Ceruos uerò apud antiquos uocari cõſueuiſſe à celeritate fugitiuos,docet etiã Sex. Pom. cuius uerba ex libro de uerborũ ſignificationibus xix ſubiecimus:& ſi in peruulgatis iſtis codicibus neutiquam comperias: Seruorũ (inquit) dies feſtus uulgò exiſtimatur idus Auguſti quòd eo die Seruius Tullius natus,idemq; Dianæ ædem in Auentino dedicauerit:cuius tutelæ ſunt cerui,à quorũ celeritate fugitiuos uocant ceruos Quibus intellectis apertè ſenſus elicitur. Neq; illud alienum uideri debet,quod in Terentiana fabula ſcriptum eſt ab Ae-

lio Donato, quo enim loco Terentius quadrupedē inquit conſtringito, Quadrupes (inquit Donatus) ligaturæ genus in cruribus. Aut item quadrupedem poſuit pro ſeruo & fugitiuo. Vnde illud Vergilianum:

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.

Quo circa apud comicos etiā authores ceruū pro fugitiuo dici ſolitū apparet, ſicuti & lupæ item pro meretricibus paſſim accipiunt̄, & canes pro amatoribus, ut qui lepores magno ſtudio conſectent̄, quæ ab eodem Donato aſſeruntur. Hinc illud uulgatum:

Fœcundi leporis ſapiens ſectabitur armos.

Et illud etiam Terentianum ex Liuio Andronico (ſi Iulio Capitolino credimus) pro militari dictum:

Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

CAPVT IX.

M. Ciceronis uerba emendata atq; expoſita in libro de optimo dicendi genere Lucilianis uerſibus, de Eſernino oratore, ac de eo nōnihil.

MAr. Ciceronis liber eſt, cui titulum fecit de optimo genere oratorū, quo autem loco de Eſchine oratore Attico, & Eſernino Romano habetur mentio, uerba quædam corrupta alicubi ſunt, & obſcurè inuoluta. Quod ut facilius extimari, atq; iudicari poſſit, aſcripſimus, ueluti etiamnum legunt̄ in omnibus ferè exemplaribus: A me (inquit) quo maximis minima conferam, gladiatorū per nobiliſſimū inducitur Eſchines, tanq̄ Eſerninus, ut ait Lucilius nō ſpurcus homo, ſed acer & doctus, quomodo à Pacidiano hoc cōponitur optimus longè poſt homines natos. Hactenus Cicero: in quis tamē uerbis, nullus propè ſenſus elicitur, nulla carminis Luciliani effigies apparet. Nos autem (qui bonis mentibus elaboramus) non

non indignū prorſus operæpreciū fore arbitramur, ſi & Ciceronis uerba exponamus, & ipſum Lucilij carmē reſtituamus. Eleganter eñ & eruditè M. Cicero inter nobiliſſimos gladiatores, hoc eſt, inter eos, qui in foro, uelut in acie & arena certantes dimicent, Eſchinem cōnumerauit, collata cum Eſernino ſimilitudine ex Luciana ſatyra. Facilè aūt Ciceronis uerba intellexeris, ſi Lucilij uerſus aſcribamus, ſicuti adhuc integri ſeruantur in cōmentarijs Nonianis ad filium:

Eſerninus fuit, flacco ore, æqueq; ſannis
Spurcus homo, uita fuit illa dignus, locoq;
Cum doct s tum acer componier optimus multò
Poſt homines natos, gladiator qui fuit unus.

Ex his planè conſtat, quo pacto Ciceronis locus & interpretandus ſit, & emendandus. Quanq; hoc idem de Eſernino in epiſtolis ad Pomponiū Atticum, & in Tuſculanis etiam relatū eſt. Necq; illud prætereà ignorandū, quod idē P. Lentulus Eſerninus uocatus eſt, & promptus in dicēdo. Cuius pater Marcellus Eſerninus in oratorū quocq; numero à M. Tullio intromiſſus, ſed filius (de quo ſupra) longè doctior acrior, & exercitatior habitus eſt, quam rem & in noſtris oratoribus ꝑdiligenter explicauimus. Apud Senecam uerò Anneum & alter Eſerninus Marcellus in declamationibus celebratur, qui nepos Aſinij pollionis fuit. A quo ſic inſtructus atcq; doctus traditur, ut eius eloquentiæ futurus hæres crederetur. Sed hæc alibi diximus copioſius.

CAOVT X.

Locus elegans Heliogabali imper. de ſuis conuiuijs in diſcumbendo, ac de ſigmate etiā menſa, & quid ea uoce apud Martialē poëtā ſignificetur.

LEpide factū traditur à Vario Antonino Augu. qui Heliogabalus eſt appellatus, in amicorum cōuiuijs. Nam cum his cœnam fortè exhiberet, quibuſdam ſimul diſcumbētibus, nō accubitus

quidem pro conſuetudine,ſed reflatiles folles ſubſterni curabat,idq; ipſum mirifica arte & ingenio,ſic,ut conuiuæ reflatis paulatim follibus,infra cæteros ſub ipſis menſibus ridiculè ſubſiderẽt. Quin & idem imperator (ut à Lampridio traditũ eſt)primus adinuenit ſigma humi cõſternere,ſine lectulis,ut à pedibus utres ad reflandũ ſpiritũ ſoluerẽt. Quod autem ſigma hoc loco Lampridius dixerit, in ea uoce accipiendum eſt,menſæ genus,quæ lunę ſimilitudinẽ haberet,formãq; præferret σ litterę Græcæ,qd' & Val. Martia.inſinuat:

Accipe lunatam ſcriptum teſtudine ſigma. Et alibi:
Septem ſigma capit.

Tametſi dictio hæc à noſtris grãmaticis ferè deprauari conſueuit. Sed em̃ Lampridius id totũ apertiſſimè explicat. Habuit hanc (inquit) conſuetudinẽ,ut octo caluos rogaret ad cœnam,item octo luſcos, item octo podagroſos, octo ſurdos,octo nigros, octo longos, octo pingueis,cum capi nõ poſſent, uno eodemq; ſigmate,ut ea ratione maior ſubinde riſus ſpectatoribus moueretur.

CAPVT XI.

De cymbio uaſe, & carcheſio, & quo pacto Macrobius fœdè errauerit,cum de his diſſerit in Saturnalium commentarijs.

NOtandum Macrobij Aurelij erratũ, & quidẽ fœdum,de uaſculo, quod ſit cymbium. Aſſerit em̃ in Romana quidẽ eruditiõe primũ de hoc factã eſſe mentionẽ à poëta Vergilio,cum alij ante illum de eo meminerint. Vulgatũ autem cõpluris apud Græcos de eo deſeruiſſe. Nam præter Philemonem comœdiarũ authorẽ, & Anaxandridem, Eratoſthenes quoq;, & Demoſthenes de cymbio egerunt, quod apud eundem Macrobiũ Euſtathius affirmat. Sed eius uerba ſubijciẽda ſunt, quo facilius cognoſci ueritas,ac iudicari ſincerius poſſit. De char-

cheſiis

cheſiis (inquit) & cymbijs apud Latinos haud ſcio, an unq̃ mentionem reperias. Ac paulò mox: Nec cymbia (inquit) in Latino ſermone reperies: nã ſic unus apud nos P. Vergi.

Inſerimus tepido ſpumantia cymbia lacte.

Quod autem incognitũ id Latinis ingenijs dicat, necq; ab aliquo prorſus uſurpatũ ante Maronẽ, per falſum eſſe apertiſſimis rationibus conuincit: quandoquidem Varro ipſe Terentius (qui ante Vergiliũ ſcripſit) cymbium uas nominauit: in eo maximè cõmentario, quẽ de uita patrũ inſcripſit: Erant (inquit) uaſa uinaria, ſicuti cymbia, aquilinæ, pateræ, gutti, ſextarij, Hæc hactenus Varro, quæ Nonius etiã Marcellus in libris ad filium agnoſcit, quo loco de uaſculis agit. De figura aũt cymbij nõ eſt agendum nunc pluribus: conſtat enim ab effigie cymbę denominatũ. Nam cymbium (ut idem ait Macrobius, per cõminutionem à cymba deducitur. Quin & alia tradunt poculorũ genera, quæ ab ipſis nauigijs formã & nomẽ acceperũt: ſicuti carcheſiũ. Necq; mirari quiſquam debet, Macrobiũ hac in re excidiſſe, cum in carcheſio etiã pari ferme errore deliquerit, quãdo & hoc ipſum uerbũ à Liuio quidem Andronico poſitũ eſt, qui Latinorũ poëtarũ uetuſtiſſimus meritò habet. Sic em̃ Liuius de carcheſio:

Florem antlabant liberi ex carcheſiis.

Quod & Pompeius Feſtus obſeruauit, cuius doctrinã atq; eruditionem idem Macrobius magnopere commendat.

CAPVT XII.

Quibus cauſis Romanus populus atros dies ac luctuoſos haberet, ac de minuendo luctu, & publicè, & priuatim.

IN collectaneis Sex. Pompeij (quæ contraxit ex Verrij Flacci cõmentarijs) rationes afferũtur, de minuendo luctu, tam publicè, quàm priuatim: quoniã pro rerum fortuna atq; calamitate, luctus

 in ciui-

in ciuitate habebatur. Veluti cum Veſtalis ob noxam, iuſſu pontificum, confoderetur, cum cæleſti igne Capitolium tangeretur, aut cum clades aliqua inſignis foret denunciata. Tolli autem luctum in populo his maximè tribus cauſis relatum eſt, in dicatione ædis, in cōdendo luſtro, quod ad cenſorum officia pertinebat. Tertiò cū uotum publicè ſuſceptū ritè ſolueretur. Et hæc quidem contra publicum mœrorem conſtituta ſunt. Priuatim uerò complura in unum congruebant, quæ omnem familijs luctum abolerent, hoc eſt, cum liberi naſcerentur, cum nouis honoribus familiam honeſtarent. Item cum pater, aut filius, aut uir, aut frater ab hoſte captus, domum rediret, cum puella deſponſaretur, cum propiore cognatione aliquis naſceretur, quàm ille cuius nomine luctus fuiſſet. Poëta autem Ouidius per decem menſeis tradit poſt uxoris obitum ſupereſſe in cōiugibus luctum, quod ex legibus Numæ aſſumptū eſt, ut copioſè exponitur à Plutarcho. Putaui hæc adnotanda, ut intelligat facilius quæ potiſſimum rationes forent, quibus Romanus populus ad luctum, aut ad lætitiam adduceretur: quando & in ueterū annalibus frequēs mentio fit de luctu publicè cōminuendo.

CAPVT XIII.

De Necepſo rege, & philoſopho, eiusq; magice, & Paulini poetæ uerſus expoſiti ex Firmico Materno & alijs.

CArmen eſt in poëmate Auſonij Galli, quod à Paulino conditum ſcribit, cum Tranquilli hiſtoriam de regibus epitomen referret:

Quiq; magos docuit myſteria uana † Necepſi:
Et qui regnauit ſine nomine mox Seſooſtris.

† *Necepſus*

Quis autem accipiēdus ſit hoc loco Necepſus, aut quid etiam ſcripſerit, dubitari uideo à doctioribus. Qua in re legēdi ſunt ueterum annales, in quibus reperiemus regem fuiſſe

Aegyptiorũ Necepſum, qui annos plureis imperauit, quod & Manethus author antiquiſſimus, & Euſebius tradunt. Quin & à Iulio Firmico plurimùm celebratur, nõ pro uiro tantum in aſtrorum cognitione peritiſſimo, ſed etiam pro rege iuſtiſſimo: quo ẽm loco de apoteleſmatibus & decanis diſſerit, plura de Necepſo adijcit: Sunt decani (inquit) magni numinis & poteſtatis, quòd omnia proſpera per ipſos, & omnia infortunia decernuntur. Sic & Necepſus imperator iuſtiſſimus Aegypti, & aſtrologus ualde bonus, ꝑ ipſos decanos omnia uitia, ualitudinesq́; collegit: oſtendẽs quam ualitudinem quis decanus afferret. Et quia natura, aliam naturam, & quia deum frequenter alius deus uincit, ex contrarijs naturis, & contrarijs poteſtatibus, omnium ægritudinũ medelas diuinæ rationis magiſterijs inuenit. Idem alibi eundem Necepſum, ac Petoſyrim diuinos uiros, ac ſanctiſſimæ religionis antiſtites appellat, quod & C. Plinius ſenſit, qui in tradenda ratione humanæ ætatis Petoſyrim ac Necepſum authores nominat, quorũ ſententia trimoria ipſa in uita hominum redderentur. Quod autem uana myſteria Necepſi dixerit, ad eius magicen (ut puto) reſpexit, qua reges ferè Aegyptij præſtiterunt. Quæq́; à C. Plinio non ſemel inepta uanitas, merumq́; præſtigium appellatur. Hæc una (inquit) omnium artium fraudulentiſſima, quæ in toto terrarum orbe plurimùm ſemel ualuit. Sed à Tiberio imperatore, uana, falſaq́; cõperta eſt. Ea ẽm (ut inquit Plinius) quæ à ſphæris ex aëre & ſtellis, & lucernis, peluibus, ſecuribusq́;, & multis alijs modis diuina promittunt, & umbrarum præterea, inferorumq́; colloquia, falſa omnia, & improbè recepta ſunt.

Finis libri deciminoni commentariorum Petri Criniti.

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DI SCIPLINA, LIB. VIGESIMVS.

CAPVT I.

De Sibyllarum diuinatione, quæ in Branchis, ac Delphis uaticin'a redderēt ac ibidem nonnihil de prophetis relatum ex doctrina Platonicorum.

CAelius Firmianus, Hieronymus, & alij ue-
teres permulta de Sibyllis, earumq; diuinati
one ſcripſerunt: quod & ſi aliâs diligēter ob
ſeruaui, libitum tamē eſt ea hoc loco repete
re, quæ in academicorum commentarijs le
gimus: quo pacto, quibusq; ratiōibus, & in
Delphis, atq; in Brāchis eiuſmodi uates deū ſe cōcipere crede
rēt. Nā prophetæ ipſi, & uates (ut eruditè à Platone, & Iambli
co ſcribitur) per deos quidem, aut dæmones uaticinādi ſpiri-
tum capiunt, quo earum cauſas cernunt, & futura etiā præui
dent. Nihil enim ſine dijs perficitur, quorū tanta eſt poteſtas
& bonitas in ſubiectis, ut dum in ſeipſis permanent, ad alia
tamen ſubdita pro rerū genio & ſimilitudine calor ille & po-
teſtas accedit: ueluti & ſolis radijs accidit, ſicubi in alia corpo
ra atq; elementa influunt. Neq; autem poſſunt homines ſuo
pte ingenio quicquàm de dijs cognoſſe, niſi uis quædam ab
illis, & quaſi ignis incidat, quo inſpirante, humana ſimul &
diuina cenſeātur: quod à Porphyrio & uniuerſa academia co
pioſè aſſeritur. Opera em̄ diuina, quæ penitus abſoluta ſunt,
dij quidem perficiunt, media angeli, tertia dæmones. Verùm
ſic de fatidicis Chalcidenſis Iamblicus ad Porphyriū, Sibyl-
la (inquit) in Delphis duplici ratione deū ſuſcipere ſolita eſt.
Aut enim per tenuem ſpiritum & ignem qui alicubi ex ore

quo-

quodā antri prorūpebat. Aut ipſa etiam in adyto ſedens, ſuper æneā ſellam, quæ tripes, uel quadrupes foret, numiniq́ꝫ dicata, & utrobiq́ꝫ diuino illo ſpiritu acta, uaticinia fundebat. Itaq́ꝫ tum plurimus ignis ex antro euolans, uati undiq́ꝫ circū funditur, eamq́ꝫ ſuo numine repletā agitat. Aut item ſacratę ſedi adhęret, per quam deo afflata, protinus ad uaticinia erūpit. Sed & uates fatidica in Branchis, quæ in axe conſidit, aut uirgam manu geſtat à numine aliquo ſibi conceſſam, aut pedes interdum, limbumq́ꝫ undis proluit: uel ignis uaporē ex undis haurit, ſimulq́ꝫ his rationibus diuino ſplendore cōplectur, deoq́ꝫ plena (ut dicunt) rerū pandit oracula. Quin & prophetæ ipſi ac cæteri uates (ut inquit Iamblicus) cum dei numine afflantur, nihil timēt, nihil uerentur. Nam per inuia incedunt, perq́ꝫ ignem intacti ferunt, & flumina tranſeūt. Quod etiam fieri ſcribit à ſacerdotibus in Cathaballis. Quibus manifeſtò apparet uates ipſos omnem prorſus humanitatē exuere, cum diuinum ignem & ſpiritum hauriunt, quo agitati magis extimulantur, ut à poëta Vergilio prudenter traditum eſt de Cumana Deiphœbe. Scripſimus aliâs de Sibyllarū numero et ætate, ex Varrone, Auguſtino, Firmiano, Capella, et alijs, cum Varro Terētius à quibuſdā temerè in hoc accuſet.

CAPVT VII.

Mos ueterum relatum in comitijs dirimendis, Ioue tonante, fulgurante, & quòd Flaminica etiam feriata tunc eſſet.

INter alias ueterum obſeruationes de comitijs dirimendis, illud etiam in augurum diſciplina diligenti cura prouiſum eſt, ne quid ageret cum populo, ſicubi fulgura, aut tonitrua extitiſſent, qđ illa omnia dijs ſuperis improbari uidentur, quæ Senatus, populusq́ꝫ Romanus decerneret. Itaq́ꝫ in iure ueterum pontificum ſic lege cautum eſt:

Ioue tonante, fulgurante, ne comitia ſunto·

Quod ob eam quoq; rationē referendum eſt, quoniā apud ueteres poëtas inſinuari hoc ipſum alicubi uidemus, ſicuti Plautinum illud nunc ſubit in ſtatuendo iudicio:

Vt primum tonuit, cicatrix ruſſula, ſublurida:
Iacent rationes, ſilet iudicium, quid dicam neſcio.

Et illud notum:

Tonat augure ſurdo.

Infauſtus magiſtratus.

Haud enim fas putabāt, eo temporis, cum populo agi, quæ res, cum locis multis apud M. Tullium, tum in orationibus contra Antonium notatur. Vnde uitioſi magiſtratus atq; dignitates dicebantur, ſi quando Ioue tonante ac fulgurante crearent. Sed hoc idem Appianus Alexandrinus explicat, ut alia permulta omittamus, qui in celebri illa ſeditione inter Apuleium tribunum & Ceciliū Metellum tam ingenti uoce Romanos ipſos refert in comitijs proclamaſſe, ut tonaſſe de cælo uideretur: Quo tempore nihil quidem (inquit ex lege cum populo agi conceditur. Illud autem ſciendum, quod ipſa quoq; Flaminica (quotiens tonitrua audiſſet) feriata erat. Neq; agere quicquam fas erat, quouſq; deos rite placaſſet, ut à Vectio Prætextato refertur, ex pontificū commentarijs apud Macrobium.

CAPVT III.

Quòd in Tyberis undatione, draco maximus per urbem uiſus ſit Mauritio imperante, ac de alio item Augu. cæſaris dracone, quem pro comitio oſtentauit, & alia ibidē conſimilia ex hiſtorijs ueterum allata.

SCriptum eſt in Rom. annalibus, ac ſæpius notatum, quo tempore dracones, uel qua magnitudine, in urbem Romam delati ſint. Nam inundante maximè Tyberis fluuio, uiſi per urbē traduntur, quod ipſum temporibus noſtris cōtigit. Sed illud propè incredendum quibuſdam uideri ſolet, quód imperāte quidem

dem

dem Maurico Augu. Romæ accidit, qua uidelicet tempeſtate exundationes aliquod maximæ extiterunt, & Atheſis, ac Tyberis fluminũ quando ob ingentem uim undarum Veronæ urbis mœnia dicũtur alicubi diſiecta ac diruta. Tyberis autem fluuius in tantam excreuiſſe magnitudinẽ traditur, ut eiuſdem alluuiones ſupra muros urbis influerent, ac regiones latè occuparent. Quo factum eſt, ut cum multa ſerpentũ genera ꝑ alueum Tyberis æſtuante fluuio eſſent deuecta, inter hæc draco mira quadam, & inſigni magnitudine per urbem trãſiens, uſq; ad ipſum mare deſcendit. Quod & mox horribili prodigio peſtis maxima ſecuta eſt. Iam uerò & Octauius Augu. draconem ſiue anguem quinquaginta cubitorum Romæ habuit, eumq; pro comitio Romano populo oſtentare conſueuit, ſicuti etiam rhinocerotẽ apud ſepta, & Tygrim in ſcena: ſiquidẽ Auguſtus idem eiuſmodi ludis ac ſpectaculis magnopere tenebatur. Mittimus nũc hiſtoriam de illo nobili dracone, quem Attilius Regulus in Aphrica ad Bragadam fluuium caſtris ibidem poſitis, ac machinis admotis, tandem interfecit: cuius etiam corium c xx pedum longitudine fuiſſe traditur. Cumq; illud in urbem mitteretur, diu à Romanis non ſine miraculo ſpectatũ eſt, ſicuti & Tubero in hiſtoria, & Gellius, aliiq; ex Græcis permulti ſcripſerunt.

CAPVT IIII.

De ſymbolis Aegyptiæ theologiæ, ac de lotho arbore, ſuper qua deus locaretur, aliaq; obiter non iniocunda de lotho capillata.

INter alia ſymbola, ſiue notas Aegyptiæ theologiæ, lothon, perſicum, & eiuſmodi alias arbores inuenio celebrari, qbus doctrina occultior, neq; intellectus ſignaret, ut multi ex ueteribus teſtantur. Nã & limũ cũ nominabant, ſymbolicôs mũdi molẽ, ſeu

corpus intelligere ſoliti ſunt, quo ipſa rerum materia exprimitur. Cum uerò deum lotho inſidentē dicerent, id quidem pro deo ipſo, atq; diuina intellectus perfectione accipiunt, quod & Calcydenſis Iamblicus ad Porphyriū ſcribit: Quoniam (inquit) omnia in lotho & orbiculata & rotunda ſunt, & poma & folia, quæ figura omnium proculdubio abſolutiſſima eſt. Sed em̄ ex ea effigie (inquit) Iamblicus mentis actio denotatur. Deus autem ſuper hanc actionem in ſe ipſo totus cōſiſtens, ac reliquos principatus exuperans, ſanctus, & ubiq; uenerandus penitus conquieſcit. Quod ex ipſo etiam ſedentis habitu pernoſcitur. Nam hic idem cum generationis ac totius naturæ uirium omnium, quæ inſitæ elemētis ſunt, cauſa exiſtat, immaterialis quidem ipſe, indiuiſus, immobilis, ingenitus, totusq; ex ſeipſo & in ſe ipſe totus, omīa complexus, qua ratione ſuper aquatilem lothum eiuſmodi numē Aegyptij prænotarunt. Proclus autem (quo loco de magia differit) animantia quædam, lapidesq;, & arbores recenſet, quæ ſuis dicata numinibus, maximè præſtāt: Lothon etiam (inquit) Apollinis numini aſcriptam, atq; dedicatam, quòd ante ſolis emerſum, ſua folia implicat, proſurgēte autem ſenſim ac paulatim explicat, & quatenus ad mediā cœli plagam aſcendit, folia expandit, quo uenerationem ſuo numini peculiarem oſtendat. Notum uerò, quod in urbe olim Roma & lothos plurimū celebrata eſt, nec illa tantum quæ in Lucinæ area eſſet, & quæ item in Vulcanali: uerùm quæ capillata diceretur: quoniam Veſtalium uirginum ad hanc capillis deferretur, quas omnis æui longiſſimi fuiſſe teſtes ſunt, & M. Varro & C. Plinius. De eadē arbore, eiusq; magnitudine, fructu, & uiribus permulta apud Theophraſtū, & cæteros cōperiuntur. Neq; enim ignoramus & herbam eſſe lothon, & inter paluſtreis etiam cauleis referri. Hæc in Aegypto fabæ ſimilis traditur, arbor uerò in Aphrica frequens

quens.piri magnitudine cenſetur, quam celtym uocitāt,ut à Plinio ſeruatum eſt.

CAPVT V.

Scita admodum, ac elegans expoſitio à Plutarcho de origine uerbi,quod eſt ſpurius,ac nonnihil etiam de Latinis prænominibus.

IN commētarijs ueterum grammaticorum,illi homines ferè à Latinis nominati ſunt ſpurij, qui nō ex legitimo genere, ſed ex quadam colluuione orti ſunt, quòd eorum uidelicet parentes ignorent. Nam & ipſi uelut ignobiles, notiſſimo dicto terræ filij olim dicebantur. Sed unde originem duxerit hoc uerbū, quamq; rationem habeat, Plutarchus, homo in omni diſciplinarum genere diligentiſſimus, egregiè exponit in Romanis quæſtionibus: Cum ueteres (inquit) Romani complura nomina unis litteris aut binis, ternis ue ſignarent, ueluti P. Gn. Ser. & Sex. hoc eſt, Publios, Gneos, Seruios, & Sextos, quæ patrum forent prænomina Spurium itidem binis litteris ita notabāt. Sp. quæ deſcriptio, & orbatos parētibus indicabat: quoniam ſi quos ſine parentibus dicerent. Sp. tantum ſcriptitabant. Quo factum eſt, ut ſpurios etiam uocarent eos, qui incerto genere crederentur. Quòd autem uiris honeſtiſſimis hoc prænomē inditum fuerit Sp. Carbilius Ruga, Sp. Melius, alij complures teſtantur tali prænomine inſignes. Neq; probandam cenſeo eorum opinionem, qui ethiſmon huius uocis ad ipſos Sabinos referant: tametſi prænomina etiam Romanorū (ut alibi diximus) magna ex parte à Sabinis accepta ſunt.

CAPVT VI.

De Veſtalium capillis, qui ad arborem lothon obruerentur, ac Plinij locus expoſitus, tum quæ arbores felices aut infelices à ueteribus habeantur.

IN libro C. Plinij ad Veſpaſianũ Augu. XVI cũ de arborum ætate ſcribit, uerba hæc ſunt: Antiquior lothos eſt, quæ capillata dicitur: quoniã uirginũ Veſtalium ad eam capillus defertur. Quo loco dubitari uideo à doctioribus, quid Plinius deſignet de Veſtalium crinibus. Nos uerò morem uirginum putamus inſinuari, quo tenerentur omnes (quæ Veſtæ ſacris forent initiatæ) capillum detonderi, qui deinde ad arborem lotho inter felices receptam deuectus humo obrueretur. Quod ipſum ex Flaminum ac Veſtalium ſacris elicitur, in quibus cautum fuit (ſicut in ueterum commentarijs traditur) ut unguium, & capilli præſegmina ſubter felicem arborem terra obtegerentur, quod A. Gellius in Atticis noctibus refert: ſic enim de Flaminum ſacris notatum:

Capillum dialis niſi qui liber homo eſt, non detondento.
Vnguinum dialis, & capilli ſegmina ſubter arborem felicem terra integunto.

Quam rem in Veſtalibus etiam obſeruatam exiſtimo. Itaq; ad capillatam lothon earum crines deponi mos fuit. Sextus autem Pompeius in hoc uidetur diſſentire, cum capillarem arborem ea ratione dictam crediderit, quòd ad eam (ut inquit) attonſus capillus ſuſpenderetur. Felices uerò arbores ſunt (quæ à Verannio traduntur) quercus, eſculus, ilex, fagus, corylus, ſorbus, ficus alba, pirus, malus, uitis, prunus, & cornus. Infelices uerò dicitur (quæ dijs manibus & inferis dicatæ ſint) ut ſanguinem, filicem, ficum atram: & quę nigrantis buccas, nigrosq; fructus ferunt: de quibus copioſè Macrobius

Macrobius ad Euſtachiũ ſcribit. C. quoq; Plinius eas dicit arbores religione damnatas, quæ neq; ferunt unq̃, ueq; fructum ferunt, quod ipſe etiã Theophraſtus non ignorauit.

CAPVT VII.

Quid apud ueteres ſit prætextatus ſermo, ac de uerbis prætextatis, & quomodo in ea uoce parum conſentiant authores.

TRaditum eſt à C. Suetonio cæſarẽ Veſpaſianum plurimæ dicacitatis fuiſſe, & ſic ſcurrilis ac ſordidẽ, ut nec prętextatis quidem uerbis abſtinuerit. Quo loco prætextata uerba, ac ſermonem, uocat ſubobſcenum & impudentem, cuiuſmodi peculiaris eſt iunioribus ac pueris, qui prætextata utantur, nec togam uirilẽ induerint. Sic enim ex ipſa uocabuli ratione uideretur intelligendum. Quod à me ob id imprimis notatum eſt, quoniã contraria his, ac penitus diuerſa à Pompeio Sexto referunt libro XVI de uerbis priſcis: Nefas (inquit) apud ueteres habitum eſt, uti prætextati pueri uerbis obſcœnis uterentur. Ideoq; prætextatum ſermonem appellarunt, qui nihil obſcœnitatis referret. Quod ipſum & Vectius Prætextatus apud Macrobiũ uidetur probare. Nam togam (inquit) prætextam ea ratiõe pueris addditam, ut ex colore purpuræ ingenuitatis pudor regeretur. Diuq; negatum libertinis fuit, ut prætexta uterentur. Itaq; iudicari facilè poteſt, uel ex mutatione uitæ, apud Romanos uerbi ſignificatum permutatum, aut ipſos quandoq; authores pugnantia, & contraria ſcribere. Neq; illorum ſententiæ accedimus, qui apud eundem Pompeium ſermonem prætextatum accipiunt, pro impudico & laſciuo: cum nihil dixerit habere obſcœnitatis. Hinc prætextatæ fabulæ apud antiquos celebres, quibus præcepta, & monitiones ad optimos mores traderentur. Neque autem ignoramus, in eodem Macrobio prætextata,

Toga prætexta.

Prætextæ fabulæ.

uerba

uerba pro impudicis eſſe accipienda: cum dixerit, admittendam in ſympoſio uenuſtam alacritatem, quæ laſciuia careat, neq; prætextata, & impudica uerba adſint, cuiuſmodi ſubulones, atq; planipedes iaciunt. De prætexta uerò, eiusq; initio & cauſis, alibi ſcripſimus, ac multa in Saturnalibus referunt: quæ Macrobius è Gellianis noctibus maiore ſtudio quã iudicio tranſtulit, cum ſit obnoxiæ mentis, & ingenij maximè infelicis nunquam fateri, per quos authores profeceris.

CAPVT VIII.

Aenigmata duo allata: unum S. ex Platone: alterum uerò ex Fabijs Plautinis: & utrunq; lepidum, & perurbanum.

QVærebatur à uiris doctioribus, de ſtudio ueterũ in his perquirẽdis ac referendis, quæ ꝓpter ipſam obſcuritatem à Græcis griphi & ænigmata dicuntur. Sed ex pluribus (quæ relata ſunt) libitũ mihi eſt, Platonis philoſophi ænigma apponere, quo legentium animus, in his quoq; penſitandis atq; intelligendis excitetur Eſt autem hoc (uelut in Parthenicis Satyris triplici ſenariolo expreſſimus) ludicrum ſanè, & ridiculum, ſed quod à Platone tamen uiro grauiſſimo notatum ſit:

Homo, non homo, uidens, non uidens alitem:
Non alitem, lapide, non lapide perculit:
Cum ſuper arbore, non ſuper arbore degeret.

Quin & aliud de Arietini reſponſo cõſiderandum exiſtimo quod in Atticis lucubrationibus relatũ ſcimus ex freto Plautino. Id autem in hunc modum ſe habet:

Hoc illud eſt, quod Arietini reſponſum magnis ludis dicitur.
Peribo ſi non fecero: ſi faxo uapulauero.

Quod & Gellius uir Romanus diligenti ſtudio perquiſiuit.

CA-

CAPVT IX.

De licentia ueterum poëtarum in notandis hominibus, ac elegans parodia Matelli Conſulis contra poëtam Neuium: tum de lege à cenſoribus lata, qua poëtarum maledicentia reprimeretur.

Notũ eſt ex ueterũ hiſtorijs, quãta animi libertate ac licentia poëtæ Græci flagitia hominũ atq; improbitatẽ inſectarent. Tũ hi præcipuè, qui antiquas comœdias ſcripſerũt: cuiuſmodi fuerũt Suſariõ, Machnes, Cratinus, Ariſtophanes, Eupolis, & alij cõplures, quorũ ingeniũ & licẽtiã apud noſtros etiã quidam ſunt imitati, in taxãdis ac nominatim accuſandis hominibus Siquidem Lucilius, Gneius Neuius, & Caius Lucullus acerrimi quidem, ac uirulenti contra uitia extiterunt. Neuius certe poëta Metellos etiã ipſos, ac Scipiones ſuis uerſibus proſcidit: quod & M. Cicero perelegãti parodia uſus cõtra Q. Metellum in oratione aduerſus Verrem ſignificat, ſicuti Pedianus quoq; Aſconius agnoſcit. Sic enim Cicero: Te nõ fato conſulem, ut ceteros ex ueſtra familia, quoniam id ipſum poëta Neuius ita Satyricè dixerat:

Fato Metelli Romæ fiunt conſules.

Cui etiam dicto (ut eſt author Pedianus) cum eſſet conſul Metellus, ita reſpondit, ſenario hypercatalecto quem Saturnium uocamus:

Dabunt malum Metelli Neuio poëtæ.

De qua re & Maurus Terentianus ad Nouatemũ meminit. Quin idem Neuius pari licentia atq; mordacitate uſus eſt cõtra P. Scipionem Aphricanum, nulla tanti hominis ratione habita. Quo factum eſt, ut poëta Neuius ob nimiam in ſcribendo maledicentiam, ac probra in Romanos principes, ab ipſis quidem triumuiris in uincula coniectus ſit, & in carcere aliquandiu haberetur: ubi fabulas etiam aliquot compo-

mē afficiat, quòd ibi cæli calores æſtuent, cibiq; craſſiores et piſculenta copioſè ſuggerantur. Græci uerò authores elephantiaſim à lepra diſtinguūt, ſic, ut in lepra cutis impetiginem quandam, et uelut ſcabiem acceperint, quę Galliç populos incredibili cōtagio tenet. In elephantiaſi aūt nō cutis duntaxat, ſed nerui, carnesq; & oſſa maximè uitiant, quod & Corn. Celſus, alijq; ꝑmulti tradunt. Iam et T. Lucretius quo loco de morborum contagione ſcribit, pedes maximè refert atq; oculos elephantiaſi affici his uerſibus:

Eſt elephas morbus qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypti in medio, neq; præterea uſquam
Hac lue tentantur greſſus, oculiq; micantes.

Nomē uerò tam obnoxij, tanq; peſtilentis morbi deductū eſt ex ipſa ſimilitudine cutis elephantis, quoniam qui eo morbo uexantur, cutem ſuffuſcam, plenamq; tuberibus & papulis habent: qualis præcipuè in elephantis uiſitur, quod ipſum & Galenus probat. Sed & Serenus in hunc modum de elephantiaſi:

Eſt elephas morbus, triſtis quoq; nomine dirus
Non ſolum turpans, infandis ora papillis
Sed citò præcipitans funeſto fata ueneno.

Quod ego idcirco putaui obſeruandum, quoniam Laurentius Valla, uir alioqui accuratè doctus, quorundam ineptias ſecutus, ob id elephantiaſim dici exiſtimauit, quòd inter alios omnis morbos ita præſtaret, ſicuti inter animantia elephas, quo nihil poteſt eſſe, non dico magis abſurdum, ſed etiam ridiculum. *Laurētius Valla notatus.*

Finis libri uigeſimi commentariorum Petri Criniti.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. VIGESIMVSPRIMVS.

CAPVT I.

Qui maximè dicantur apud ueteres nullo affectu perturbati, ac de M. Antonio imperatore, & Philippo Auguſto, qui nullo unquam commento ad riſum potuit excitari.

NObiles ſunt in ueterum monimentis complures, qui ex ipſa animi conſtantia & apathia (ut Stoici appellant) eodem ſtatu in omnibus atq; tenore ita permanſerint, ut nullis propè affectibus, aut perturbationibus mouerentur: quales celebrantur uiri ſapientes & ingenio præclari, Socrates, Heraclitus, Diogenes Cynicus, & Pyrrhon. Apud noſtros uerò, M. Craſſus, qui ſemel in tota uita riſit, ob id appallatus ἀγέλαστος. Sed & uiſum ad hæc de Romanis etiam imperatoribus aliquid afferre, ut de M Antoni. cęſare (qui philoſophus eſt cognominatus) ac de Philippo Iuniore Auguſto. M. enim Antonius tanta animi tranquillitate ac mētis conſtantia fuit, ut nullo unq; affectu, nullis rerū fortunis uultum dicatur immutaſſe, quē uitæ rigorem ac ſeueritatem, auxit etiam philoſophiæ ſtoicæ profeſſio, in qua ſeipſum continuit, præceptoribus ad eā optimis, ſiquidem inter alios complureis, Sextum Cheronenſem Ptutarchi nepotem, & Apollonium Chalcedonium magno ſtudio coluit. Neque obfuit eiuſdem conſtantiæ aut filius gladiator, et ſceleſtus, aut uxor infamis, ut à Iulio Capitolino relatum eſt, ad imperatorem Diocletianum Philippus uerò Iunior, qui cum patre imperauit, anno ab urbe

Sextus Cheronenſis.

urbe condita, mileſimo, tam ſeueri animi, tanq; inflexibilis fuit, ut nullo unq; cõmento, nulliſq; ratiõibus ad riſum ſolui aut excitari potuerit, & quod maximũ eſt ſeueritatis exẽplum cum patrẽ fortè aſpiceret ludis ſecularibus petulanti us cachinnãtem, eum ipſum auerſo uultu notauit, ut ab Eutropio traditum eſt in Romana hiſtoria.

CAPVT II.

De Mario Gratidiano uiro prætorio, & quanta immanitate à Sergio Catilina diſſectus atque interemptus fuerit in Syllanis tumultibus, ex Iulio Firmico & alia de Catilina & Cicerone addita contra Fenſtellam.

CElebrati ſunt apud ueteres è Mariorum familia complures, qui & rebus geſtis, & dignitate claruerunt. Nam Marij duo, ac totidem Catones cenſentur, de quibus commodè in Romanis familijs egimus. Hoc autem loco de M. Mario dicendum eſt, Marij Gratidij filio, de quo ſic Q. Cicero ad M. Tullium ſcribit, in libro de petitione conſulatus. Cum L. (inquit) Catilina conſulatum petis, qui hominem cariſſimum ſenatui, populoq; Romano, M. Mariũ inſpectante populo Romano, uirgis per totam urbem ceciderit, ad buſtum egerit, ibidem omni cruciatu lacerauerit, uiuo ſtatim collum gladio ſua dextera ſecuerit cum ſiniſtra capillum eius à uertice teneret, caput ſua manu tulerit, cum inter digitos eius riui ſanguinis fluerent. Hunc igitur M. Marium deſignat, qui à Lucio Catilina crudeliſſimè interemptus eſt. M. uerò Cicero in ea oratione quam habuit contra Antonium & Catilinam competitores, copioſè rettulit de hoc ipſo Mario. Is enim (ut author eſt Pedianus) uir popularis fuit, atque ob eam cauſam bis prætor, cuius ſciſſum caput, ſua manu Sergius Catilina per urbẽ circum-

tulit, quod illi à Marco Tullio ſæpius obiectum eſt. Iulius
autem Firmicus, ſic de cæde Mariana ſcribit ad Mauorti/
um Lollianum: Prætorio uiro Iuniori Mario (qui iudicio
omnium bene meritus de republica uidebatur) Syllana iuſ
ſione, eliſa ſunt prius crura, deinde deiecta de ſtatu corpo/
ris brachia, humeris tenus diſſoluta ceciderunt. Tertiò am
putata lingua, uocem reliquit in faucibus. Ad poſtremum
omni parte corporis mutilata, oculi qui fuerant ſpectato/
res, & ſuperſtites, egeruntur, & in tam anguſto corpore,
à nephario patriæ carnifice, tot ſunt inuenta ſupplicia, &
uix anima tantis uulneribus erogata eſt. Quod idcirco ad/
notauimus, ne tam imperitè quidam à ueteribus & clari/
oribus authoribus diſſentiant. Nec illud prætereà conce/
di debet quod à Feneſtella proditum fuit, Lucium Cati/
linam à Marco Cicerone fuiſſe in cauſa defenſum, etſi ad
Atticum ſcripſerit, ſe cogitaſſe de Catilinæ defenſione:
Hoc tempore (inquit) Catilinam competitorem noſtrum
defendere cogitauimus, iudices habemus, quos uolumus,
ſumma accuſatorum uoluntate, ſpero ſi abſolutus erit, cō
iunctiorem nobis fore in ratione petitionis. Sin aliter acci/
derit, humaniter feremus.

CAPVT III.

De uaticinijs per aquam, per uinum, & apud quos maximè populos clara eſſent: ex Plutarcho & alijs authoribus.

SCriptum à nobis eſt ſuperiori uolumine de his
uaticinijs, quæ in Branchis, Delphis, atq; Catha
ballis apud ueteres fieri conſueuerint. Nunc libi
tum eſt ea addere quæ apud Thraceſeis populos
& Clarios celebrent, quo tam diſſimilis quidē uaticinandi
ratio, tanq; diſpar conſuetudo in oraculis ędendis intelliga/
tur. In Thraciæ igitur regione apud Lygureos, adytus fuit
Libero

Libero ſacer,ex quo cum uaticinia & oracula reddi ſole- rent,eius templi antiſtites uino affatim epoto, reſpondebāt Apud Clarios autem(ubi Clarij Apollinis templum foret) diuerſa res traditur. Nam quibus diuina effari permiſſum eſſet,aqua prius aſſumpta,rem peragebāt:quod ipſum Ve- ctius Prætextatus apud Macrobiū refert,quo loco eundem eſſe deum Liberum atq; Apollinem copiosè diſſerit. Plu- tarchus autem Cheroneus,& aqua,& mero teſtatur antiſti tes quoſdam apud diuerſos populos ſacra perficere,ac dein de uaticinari.Vt enim uinolenti dicuntur prædiuinare, ſic etiam lympholenti. Adytus Bachi

CAPVT IIII.

Iunonis Monetæ nomen & origo allata, tum de eiuſdem templis, & inſcriptione in numis cæſaris Domitiani Auguſti.

TRaditum eſt à M.Tullio cum de diuinatione ſcri bit, Iunonem ipſam iccirco à Romanis Monetā uocari ſolitam,quòd ex arce templi Romani po- pulum cōmonuerit, ut propter terræmotū (qui acciderat)ſue plena rem procurarēt.Qua in re uideo ab an- tiquis plurimum diſſentiri. Maximus Valerius & alij Iuno nis tradunt Monetæ imaginem à Veiorum oppido Romā delatam,quo tempore imperator Furius Camillus ſuis au- ſpicijs Veios ſuperauit.Nam apud eos præcipua quidem re ligione Iuno Moneta colebatur. Captis autem Veijs,cum miles fortè Romanus per iocū eam rogaret,an uolens Ro- mam concederet, annuiſſe ferunt, ac ſe uelle reſpondiſſe. Quæ res in admirationem uerſa eſt, ac protinus læti milites eiuſdem ſimulacrum in urbem deuexerūt,atque in Auenti no monte collocatū eſt. Neq; tñ deſunt qui Allocutio deo illa aſcribant quę de Iunone Moneta referunt,quo nihil di- ci poteſt abſurdius, cum deus Allocutius, ſiue Aius (nam Allocutius.

ideam

idem eſt) cauēdum à gallis ſua uoce monuerit, ac in ſima uia noua, aram habuerit, quod apud ueteres multi cōmemorant ſed eorum inſcitiam alibi commodius repreſſimus. Templū uerò Monetæ non in Auentino tantum uideo ab authoribus celebrari, ſed in ipſo etiā Capitolio: ut idē Maximus Valerius, ac Liuius aſſerūt, quo loco Mallij Capitolini domus fuiſſe traditur. Publius autem Victor in regione tertia collocauit, ubi Thermæ Tatianæ, atq; Traianæ forent. Sed & Macrobius Aurelius, ædem refert Iunonis Monetæ calendis Iunijs dicatam Conſule Claudio Martio Rutilio III, & T. Martio Torquato II. Neq; dubiū eſt in æde Monetæ ſolitos ſeruari libros linteos in quibus Romanorū imperatorū fata continerent. Quin illud adnotandum eſt, quod in peruetuſtis etiam numis Domitiani Auguſti talis deſcriptio ſeruatur: DIVAE MONETAE. Quod & Bernardus Oricellarius obſeruauit: uir & in gubernanda republica prudens, & in perquirendis ueterum monimentis diligenter accuratus.

CAPVT V.

De uiribus dæmonum, & quod eorum ſex genera tradantur, diligens adnotatio, ex commentarijs Pſelli, & Auguſtini.

Librum fecit Auguſtinus de poteſtate dæmonū, in quo erudite atq; copioſè explicat, quantis uiribus polleant, quoq; habitu ſint, & quibus maxime rebus aduerſari, aut oblectari ſoleant. Qua in re, non tam Chriſtianam uidetur academiam ſequutus, quàm Platonicorum placita & cōmentarios, in quibus multa de his comperiuntur. Quod autem ſex eorum genera habeantur, id ego apud Michaelē Pſellū inuenio, qui ex Marci traditionibus, hoc totū egregiè recenſuit, Baſiliumq; & Paulum, uiros, doctrina, & morum ſanctitate clariſſimos, aduocauit in hiſtoria dæmonum. Ad hūc igitur modum diuerſam

eorum

eorum naturã atq; poteſtatẽ rettulit. Primùm (inquit) dæmonum genus igneum cenſetur, quod in ſublimi aëre peruagari ſolitum eſt (ut Marcus dicebat) qui illud uoce barbara Leliureon appellabat. Secundum genus, quod in proximo aëre, ac nobis propinquo obuolitat, quod etiamnum à pleriſq; aëreum nuncupatur. Tertium porrò terreum eſt, quod in terræ ipſius regionibus uerſatur, ex quo multiplici ratione, atq; inſidijs, terrenis animantibus aduerſatur. Quartum aquatile & maritimũ dicitur, quod humoribus ſe immergit, undiuagũ ſcilicet ac in paluſtribus habitans, ut multos in aquis malè afficiat, æſtusq; ac tempeſtates in mari excitet, ac nauigia ipſa cum hominibus prorſus demergat, atq; inobruat. His adijcitur quintum genus quod appellat ſubterraneum, quando & ipſis terræ uiſceribus incluſos dæmones, atq; abditos tradit: unde motus terræ, fundamẽtorum ruinæ, ac uentorum colliſiones oriantur. Præcipuè autem infeſtari hoc demonum genere ſcribit eos homines, qui aut in puteis effodiẽdis uerſant aut in metallis perſcrutandis. Sextũ & ultimũ, quod omnem quidem lucem refugit, tenebroſumq; iccirco uocitat, quoniam in tenebris aſſiduè teneat. Mitto nũc quibus potiſſimum inſidijs, aut quo aſtu ſcripſerit eos decipere, atq; allicere humanum genus. Conſtat enim (ut eſt author etiam Auguſtinus) omnis ferè dæmones hoc ingenio & natura eſſe, ut deos pariter oderint, & hominibus maximè aduerſentur. Sed alibi hoc totum diſſeruimus.

CAPVT VI.

Quæ figura ſit dicendi in ueterum libris mediusfidius, quaq; origine cenſeri debeat: ac de Fidio deo nonnihil.

Me hercle, & mecaſtor, figura eſt in ueterum libris admodum frequens, qua intelligendum eſt, diligat uel adiuuet, quod à Sexto Pompeio diligẽter eſt obſeruatum. In hoc enim (inquit) iureiurando

ſubandiendũ eſt, me amet, uel adiuuet, q̃bus figuris multò ſæpius Græci authores utuntur. Quo aũt modo accipiendũ ſit mediusfidius, pauci adhuc (ut uideo) ꝓbè intelligũt, aut originẽ ꝑcipiunt. Ego uerò ita expono, ut eiuſmodi quidẽ locutio, ꝑinde ualeat, atq; me Hercule, & deus Fidius, cuius ſacra Rom. annalibus tradunt̃, eiuſq; tẽpla in urbe à ueteribus relata ſunt: ſicuti Plutarchus, Varro, & poëtę Latini teſtant̃. Sed & Sex. Pompeius in libro de priſcis uerbis xii pro Iouis filio accipit, quoniam d, littera cum I, affinitatem retineat. Itaq; iuſiurandum hoc (inquit) per diui fidem quidam dixerunt. In fabulis autem Plautinis iuſiurãdum refertur per deum Fidium. Hunc enim Sanctũ, Fidiumq; appellantes, in Quirinali iugo ueteres coluerũt, nonis Iunijs. Quo circa ſic in Faſtis Ouidius:

Quærebam nonas Sancto, Fidióne referrem,
An tibi ſemipater, Tunc mihi Sanctus ait.
Cuicunq; ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero, ſic uoluere Cures.
Hunc igitur ueteres donarunt æde Sabini:
Inq; Quirinali conſtituere iugo.

CAPVT VII.

Quibus uerbis in Latino ſermone uti debemus, & quòd uerecunda eſſe debeat in componendis uocibus tralatio.

IN ſermone Latino habenda eſt præcipuè ratio in uerbis componendis atq; utendis, cum ex infinita uocabulorum ſylua, alia quidem ad uſum pertineant, alia ad eruditionem, alia uerò ad gratiam. Itaq; uerba deſita, & parum frequentia, cognoſſe debemus, eorumq; uires & comparationẽ ſcrutari. Antiqua uerò & propria, recipere, poëticis delectari. Qua ratione Terentius Varro, cum ſcriberet ad M. Tullium prudentiſſimè inquit: Poëticis multis uerbis magis delector quàm utor:

antiquis

antiquis magis utor quàm delector. Tralatio autẽ in componendis uocibus (ut eſt author Theophraſtus) nõ audax aut inſolẽs debet eſſe, ſed proba, & uerecunda, quod ipſum Pontanus etiam Iouianus approbat, uir unus ætate noſtra, *Pontanus.* qui antiquitatem ipſam ac diſciplinas honeſtiores, pari facundia atq; ingenio exprimat.

CAPVT VIII.

De inſigni atq; mirifico portento infantis, qui duplici pectore, atq; capite biennium uixerit, hiſtoria non contemnenda, ac de cauſis portentorum.

NOtum eſt quàm multa ſint relata prodigia in ueterum annalibus atq; hiſtorijs, quantumq; admiranda. Sed unum præcipuè hoc loco repetendum exiſtimaui præ cæteris (quæ unquã ſcribant) inſigne atq; monſtrificũ, ſi modò hac in re antiquitati fides habeatur. Traditũ eſt igitur in oppido quidem Emaus Theodoſio cæſare imperante puerũ na- *Emaus.* tum fuiſſe, qui umbilico tenus integer extaret. Supernæ aũt partes eiuſdem, gemina facie apparebant, ut duo pectora, totidemq; capita eſſent ſuis partibus ac ſenſibus prædita. Nã & una pars aliquando cibis, & potione utebantur, altera abſtinebat. Sic itidem in ſomno, & quiete, uariè ac differenter ſe habebant, ut uiciſſim luſitarent, & riſu, lacrymis tenerentur, mutuiſq; plagis ſe cæderent, ac ſi diuerſis animis, atq; ingenio forent. Annis autem propè duobus uixerunt. Factũ deinceps eſt, ut cum alter perierit, qui ſuperfuit, quatriduo poſt, ex agnata tabe computreſcens, interijt: quam rem Sigibertus in ſuis commentarijs rettulit: homo quidem diligens, atque ut illis temporibus ſtudioſus magis quàm eloquens. Quibus autem rationibus eiuſmodi portenta oriantur, Galenus, & Ariſtoteles copioſè docent, ut alio

rum ſententias omittamus. Et affirmat quidẽ Ariſtoteles idcirco fieri monſtra in animantibus, quoniã plura, ac diuerſa ſemina inter ſe cohæreſcunt, atq; cõfunduntur, aut cum fortè materies exceſſus, uel defectus extiterit.

CAPVT IX.

Traditum eſſe, quod ex uiris ſapientibus plerunq; inſani, ac dementes gignantur, exemplo addito de Ariſtarchi filijs, uiri doctiſſimi, & aliorum compluriũ, ex Aelij Spartiani uerbis.

DE Ariſtarcho grãmatico, qui Alexandrinus fuit, eiusq; multiplici ac ſingulari eruditione, com plura leguntur in Græcorum cõmentarijs. Cum is unus & cenſor maximus omniũ poëtarum ſit habitus, & Philometoris regis filij præceptor extiterit, qui Philadelphi nepos fuit. Illud autẽ de liberis Ariſtarchi conſiderandum eſt. Nam cũ duos fortè habuiſſet, hoc eſt, Ariſtagoram, & Ariſtarchum, uterq; demens ac ſtolidus fuiſſe dicitur: ſicuti & Sudæ collectanea teſtantur: quo nomine haud temerè quæſitum eſt a philoſophis, cur ex uiris ſapientibus, plerũq; ignaui ac dementes oriantur. Sed hac in re libitum mihi eſt uerba Aelij Spartiani ſubijcere ad imperatorem Diocletianum: Conſtat (inquit) Auguſte neminẽ propè magnorum uirorum optimũ & utilem filium reliquiſſe. Deniq;, aut ſine liberis uiri interierunt, aut tales habuerunt pleriq;, ut melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere, & ut ordiamur à Romulo: hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius quod utile poſſet eſſe reipublicæ. Quid Camillus, num ſui ſimileis liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam uerò quid de Homero, Demoſthene, Vergilio, Criſpo, Terẽtio, Plauto, cæteriſq; alijs loquar? Quid de Cæſare? Quid de Tullio, cui ſoli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augu-

ſto,

ſto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus. Falſus eſt etiã ipſe Traianus in ſuo municipe ac nepote deligendo. Sed ad genitos ueniamus. Quid Marco felicius fuiſſet, ſi commodum non reliquiſſet hæredem? Quid Seuero Septimio, ſi Baſſianum non genuiſſet?

CAPVT X.

Quomodo ſit accipiendum ſtadium, & quàm multiplex fuerit, ac nonnihil etiam de alijs menſuris.

SCriptum eſt à ueteribus diligenter de menſuris, earumq́; uarijs ac diuerſis rationibus, hoc eſt, de iugero, miliario, ſtadijs, & paraſangis. Nos hoc loco de ipſo ſtadio breuiter agemus, quo inſcitiam quorũdam, atq; ineptias deuitemus: qui cum de re hac nuper ſermonem haberent, imperitè ſimul atq; perplexè diſſeruerunt. Itaq; ſciendum eſt, nomen ipſius ſtadij, diuerſum ac multiplex fuiſſe, tum ſpacio inter ſe diſſimili, præcipuè autem nominatur Olympicum, Pythicum, & Italicũ. Nam Pythicum quidem pedibus millenis finitur: Olympicum pedibus cccc. Italicum pedibus cxxv. Sic enim Cenſorinus refert, qui de natalicio ad Cerelliũ ſcripſit. Neq; me latet Herculis quoq; ſtadium ab antiquis celebratum, quo cc pedes haberentur, quod ipſum ſtadij ſpacium Hercules ſuis pedibus metatus eſt Piſis apud Iouem Olympicum, de quo & Plutarchus, & in Atticis Gellius meminerũt. Neq; deſunt etiam authores, qui tradant octauam partem miliarij in ipſo ſtadio ferè cõtineri, tum diaulon, & dolichon addũt. Vt enim ſtadij menſura pedes cccc habet in uniuerſum: ita diaulus, M.cc: dolicus ſtadia xii, & Schenus xxx, ut ipſe etiam Plinius refert: etſi hoc totum in Græcorũ cõmentarijs, cum à pluribus alijs, tum ab his relatum eſt, qui Platonis le-

ges interpretati ſunt, quo loco de currendi ratione, & ludis Olympicis differit. Pollio autem Victruuius ſtadiatas porticus appellauit, ex ipſa ſtadij (ut puto) menſura: ſicuti etiam miliarias dicimus. Menſurā uerò hi qui geometræ appellantur, in hunc modum haberi ſcribunt, hoc eſt, quicquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, latitudine, ac ſpiritu finiatur, ut Boëthius, & Iunius Nypſus tradunt. Is enim in libro de menſuris agrorum ſic ad Celſum: Menſurarū (inquit) appellationes, quibus in longitudine utimur, xii ſunt, id eſt, digitus, uncia, palmus, ſexta, pes, cubitus, gradus, paſſus, decempeda, actus, ſtadium, miliarium. Sed hæc ſuo loſunt pluribus differenda.

CAPVT XI.

Præclarè factum, atq; ingenti animo ab Auidio Caßio Auguſto in ſeditione exercitus, atq; eiuſdem uerba ibidem relata.

DIgnum facinus à Volcatio relatum eſt, de Caſſio Auidio Auguſto, eiusq; egregio animo. Nam cum in exercitu (quem imperator regebat) magna ſeditio orta eſſet, ac milites ipſi uelut ad conflictum æſtuarent, tumultu cōperto, egreſſus prætorio Auidius, ſagoq; tantum caſtrenſi tranſiectus: Et me ipſum (inquit) milites percutite, ſi hoc audetis, & corruptæ diſciplinæ flagitium addite. Quo audito, omnes quidem quierunt, ſimulq; illum proſequuti ſunt, non ſine mirifica obſeruatione. Itaq; dictum perreleganter eſt à Volcatio de Auidio imperatore, timeri à milite meruit, quia ipſe non timuit. Idem Auguſtus Syriacas legiones, luxu ac delitijs defluentes, ad priſtinam ſeueritatem atq; diſciplinam redegit. Tum in Armenia, & Arabia, atque Aegypto ſtrenuè ac præclarè rem geſſit.

CAPVT XII.

Quibus liceret in urbe ſepeliri, ac de Poſthumio Tuberto uiro conſulari, de quo M. Cicero in legibus ſubobſcurè intellexit.

NOtum alibi à nobis eſt, fuiſſe apud Romanos lege cautum, ne quis in urbe ſepeliri poſſet, preter eos tantũ, qui egregia uirtute, rebusq́ clariſſimè geſtis meriti hoc eſſent. Quod ipſum exemplo Athenienſis populi factũ ab illis exiſtimamus, ut qui Solonis leges de ſepulchris magna ex parte ſequerentur. Plutarchus aũt in Romanis quæſtionibus, eis tradit ex Lyparei, authoritate conceſſum in urbe ſepeliri, qui de hoſtibus triumphaſſent. Tum Valeriũ & C. Fabritiũ nominat, qui ob eorũ præclara facinora, ſepulchrũ in foro habuerũt. Sed & M. Cicero cũ leges Romanorũ exponit, idem aſſerit, ac Valerio quoq; Publicolæ, & C. Fabritio, Tubertũ adijcit: cuius ſumma uirtus (inquit) hunc honorẽ promeruit. Nos aũt de Tuberto ipſo diu quæſiuimus, quando eius nomẽ Latinis annalibus atq; hiſtorijs minus uideat compertũ. Dionyſius uerò Halicarnaſſeus in Romanis antiquitatibus, P. ſcribit Poſthumiũ uirũ conſularẽ ac maximè nobilẽ, qui Tubertus fuerit appellatus: Anno (inquit) poſt exactos reges quinto, quo tempore Iſcomachus Crothoniates in ſtadio uictor fuit, creati ſunt Romæ Coſ. Valerius Publicolæ frater, & P. Poſthumius, qui Tubertus eſt cognominatus. Itaq; dubitari amplius nõ poteſt, Tubertũ ipſum apud M. Ciceronẽ uirum conſularẽ fuiſſe, quem & Liuius & alij Poſthumiũ uocant, referentes ab eo proſperè pugnatũ contra Sabinos, ac ſecundo eius cõſulatu deuictis Sabinis orationẽ celebraſſe, ob præclara eius geſta, Menoniũq; Agrippã eius collegam triumphaſſe. Quibus rationibus factũ crediderint, ut in ipſa etiã urbe ſepulchrũ meruerit Poſthumius Tubertus: ſicut & Val. Publicola, qđ ab eodẽ Dionyſio copioſè explicat.

CA-

CAPVT XIII.

De Romanis familijs Fabiorum atq; Curionum, & quâ maximè dignitate in ciuitate præſtarent, tum de Lepidis etiam breuiter adnotatum.

RElatum eſt in ueterum commentarijs de Fabijs atq; Curionibus, quòd ipſa gens Curionum continua quidẽ ſerie treis optimos oratores habuit, atq; in agendis cauſis inſigneis. In Fabiorũ uerò familia treis in ſenatu fuiſſe continuos principes, & egregijs facinoribus clariſſimos, cuiuſmodi cenſent M. Fabius Ambuſtus, Fabius Rutilianus filius, & Quintus Fabius Gurges nepos, quod & C. Plinius ad Veſpaſianum Auguſtum refert. De Lepidis quoq; illud ſciendum, quòd in eorũ genere tres intermiſſo ordine obducto mẽbrana oculo, geniti traduntur, ut nõ minus naturæ, quàm ingeniorũ quædam uelut inſignia in homine exiſtãt. Sed hæc in cõmentario de Romanis familijs commodè notauimus.

CAPVT XIIII.

Quantũ ſit amoris cõtagio abſtinendũ: ex Crathetis Philoſophi ſententia ac ibidẽ Panetij uerba notata ex Seneca, in qbus par grauitas ac doctrina exiſtit.

INter alia multa, quæ Crathes Thebanus prudenter ac ſapiẽter de uita diſſeruit, illud etiam de amoris poteſtate ab eo relatum traditur. Amorem (inquit) fame ſedari, ſin minus tẽpore. Quod ſi duo hæc non ſuffecerint, ad laqueum eſſe accedendum. Hæc Crathes de amore, ad quæ poëta Auſonius reſpexit, cum de inſania ac dementia amantium loqueretur. Panetius autem philoſophus inter ſtoicos inſignis, peregregiè (ut uidetur) conſtat reſpõdiſſe, cum ab eiuſmodi cõtagio lõgè abſtinendũ moneret. Minimè (inquit) committẽdum eſt, ut in rem commotã incidamus, utpote alteri emancipatam, uilem ſibi. Si eñ nos reſpicit quod amatur, humanitate eius irritamur. Sin cõtem

pſit

pſit, ſuperbia accendimur, atq; facilitas erroris, quàm difficultas nocet. Facilitate capimur, cũ difficultate certamus. Itaq; qui ſuæ imbecillitatis cõſcius eſt, is moneo ut quieſcat, quod & Seneca Anneus ex Panetio rettulit, & nos in uita obſeruandum ueluti optimã legẽ, ac ſanctiora quædam oracula exiſtimamus.

CAPVT XV.

De ſtudio ueterum in auſpicijs, ac de his auibus, quæ ominoſæ, ac inauſpicatæ haberentur, quæq; oſcines aut præpetes dicerentur.

Notum propè omnibus eſt, quãtopere ueterum ſedulitas in futuris ueſtigandis, atq; prænoſcẽdis elaborauerit, quantoq; ſtudio ac diligentia auguria, omina, extiſpicia & reliqua diuinandi genera coluerit, ut in uarijs quidem animantibus, eorũq; uoce, inceſſu cibis, colore, uolatu, auguria capere conſueuerit. Sed hoc loco ea tantum adnotare uiſum eſt, quæ ad alitum auſpicia, & omen pertineãt, quæq; diræ, & ominoſæ aues, quæ rurſus felices, & auſpicatæ crederentur. Inter diras igit̃ & feraleis enumerãt, noctuas, ululas, tinnũculos, miluos, quòd hi quidem rapaciſſimi, & ſemper famelici ſint. Bubonẽ quoq; inauſpicatiſſimi ominis dixerunt. Idq; in publicis maximè auſpicijs ex quo funebrem etiam uocarunt. Hinc illud notum:

Fœdaq; ſic uolucris uenturi nuntia luctus
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.

Quin & in coruis, dirum & ominoſum eſt habitum ſicubi glutiunt, & uocem uelut ſtrangulati emittunt. Quanquam de coruis, & cornicibus uaria traduntur, ſi quando ad leuam aut ad partẽ dextrã conuolitẽt. C. uerò Pli. has ipſas aueis inauſpicatæ garrulitatis appellat. Sed & Gallos probabant in tripudijs maximè ſoliſtimis, quod ab ipſis pullarijs indicabatur. Quidam grammatici in hũc propè modum de augurijs ſcribunt, ea eſſe in geſtu, motu, uolatu, ac uoce, ueluti ſigna

rerum conſtituta. Oſcines autem uocatæ ſunt, quæ ore, cantuq; auſpiciũ facerent, ut coruus, cornix, picus. Quæ futura uolatu portendũt, ut buteones, ſanqualis, aquilę, & uultures. Si felices fuiſſent & ꝓſpera, appellarũt præpetes. Sin aduerſa, atq; ominoſa prenũtiaſſent, inebras dixerũt, quòd aliq̄d fieri inhiberẽt, ut author Sex. Põpeius. Tum inebra etiã uocarunt, quæ tardare auſpicium, atq; morari exiſtimarent.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. VIGESIMVS SECVNDVS.

CAPVT I.

Copioſè expoſitum de Aſaroticis pauimentis, ac lithoſtratis ſeu teſſellatis, tum de opere uermiculato, ac de ceroſtratis nonnihil.

OCcurrendum eſt quorundam quæſtioni, quæ animos etiam doctiorum diu anxios atq; incertos habuit: de hoc picturę genere, quę muſiua ferè à noſtris dicatur, tum de his pauimentis diſſerendum, quæ lithoſtrata ueteres, ſeu teſſellata uocarunt: teſſerulis uarijs ſtructa, lapidumq; cruſtis ornata. Scire igitur debemus ea opera quæ Plinius muſca uocari tradit, pro his accipiẽda eſſe, quæ poſteriores muſiua ſeu muſeacea dixerũt: in quibus uitreis teſtulis, uarijsq; colorum picturis, mirifica quidem gratia atq; uenuſtatis ſpecies exhibetur. Græci hoc opus aſaroton uocarunt, quale imprimis cum ab alijs, tum à Plinio commendatur, quod olim Pergami fuit à Zenodoto conſtructum in eo genere peritiſſimo. Dictum uerò ſic exiſtimatur, quoniam cœnæ purgamenta in ipſo quoq;

Muſea opera.

pauimento

pauimento cõuerti ſolent, ueluti relicta, ut eſt author C. Plinius, quæ analecta Græci appellant. De his aſarotis mentionem fecit Pap.nius in deſcribenda Mallij Vopiſci Tiburtina uillæ, ubi pauimentũ refert aſarotica elegantia, uariaq; ſtructura præſtitiſſe his uerſibus:

Dum uagor aſpectu, uiſusq; per omnia duco:
Calcabam nec opinus opeis, nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ
Monſtrauere ſolum, uarias ubi picta per arteis
Gaudet humus, ſuperantq; nouas aſarota figuras.

Apollinaris item Sidonius, lapillos aſaroticos nominat, quibus muſea ipſa cõſtruerent, quæ uelut eroſi annis, pumices ad reddendam ſpecus imaginẽ, forent depedentia. Inuentũ id Romæ Marci Agrippæ temporibus, quãdo in eius thermis figulinũ opus encauſto pictum fuit. Neq; dubitauit Plinius quin uitreas cameras feciſſet Agrippa, ſi id repertũ antea fuiſſet. Notum uerò eſt omnibus, quòd ipſa muſiua è uitreis teſſerulis atq; ſectilibus cruſtis uario, multiplicíq; colore cõſtructa ſunt, cuiuſmodi adhuc Romæ uiſitur locis multis, tum in propileo baſilicæ Petri, nobili illa, & fluitans nauis, quã Ioannes pictor cognomento Cimabous mirifico artificio atq; diligẽtia tradit perfeciſſe. Quidam appellarũt id opus cymbam aſaroticam, ex effigie ipſius picturæ. Neq; idem eſt uermiculatũ pauimẽtum, & aſarotum, ut quidam falsò exiſtimant: ſiquidem poſt Luciliũ poëtam, aſarota in urbe cœpta ſunt. Vermiculatum opus uocamus, quod & ſi cruſtis uarijs cœmento illitis fiat, non tamẽ uitro conſtabat. Quæ res à Lucilio deſignatur, cum dixerit in Satyris:

Ioannes Cimabous.

Lexim bene compoſitam, ut teſſerulas omneis
Arte, pauimento, atq; emblemate uermiculato.

Hoc eſt, orationem uarijs figuris, atq; coloribus eleganter compoſitam. C. Plinius in perquirenda antiquitate diligens

uermiculatum opus iccirco dictum exiſtimat, quòd eſſet uariegatis cruſtis, atq; maculoſis ad effigiem uermiculi, ut minimè ſit improbanda Nonij ſententia, qui pro minuto uermiculatum exponit. Verbo autem quod eſt muſiuum uſi ſunt apud nos Auguſtinus, Spartianus, & Trebellius (ut alios omittã) Iulius Firmicus, muſiuarios artifices nominat in aſtronomicis. Sed agamus nũc de lithoſtratis, quæ à noſtris ferè teſſellata dicuntur, id eſt, uarijs cruſtis ac lapidum ſegmentis conſtructa: ceu uiſuntur Romæ locis compluribus, ac Florẽtiæ in æde diui Ioannis, quæ baptiſterij nomen retinet, quo loco miram gratiam atq; decorem præfert pauimentata ſtructura, teſſerulis lapidum multicoloribus, interpoſitis orbibus è lapide Macedonico uel porphyetico. Ibidem uiſitur totius cæli ambitus, atq; ſigniferi ſpecies cum ſuis imaginibus, adeò, ut ſol ipſe uelut moderator & auriga in medio exiſtat. Et ea ferè debent admitti in lithoſtratis (ut à ueteribus præcipitur) quæ apta uarietate, ac multiformi picturæ gratia uenuſtatem ſimul & elegantiam referant. Quo minimè mirari oportet ſi C. cæſar in ſuis expeditionibus teſſellata ac ſectilia pauimenta circuntullerit. Sunt in precio ceroſtrata, atq; xyloſtrata: illa ex cornibus atq; ebore cõſtanr, hæc ex materia cenſentur, maximeq; ebeno, larice, tamarice, olea. De ceroſtratis Victruuius, & Plinius meminerũt, proditumq; eſt ex urorum cornibus effici, quæ Romani ad ſuas delitias tranſtulerũt: nũc tincta, nunc ſublita. Nunc quæ ceroſtrata picturæ genere dicerentur, ad ſellas principum atq; lecticas parantur: quales Aegyptij reges inter cætera ornamẽta habuiſſe traduntur. Xyloſtrata coloribus uarijs diſtinguuntur, & multiformi materia cõſtant, præcipueq; ad templorũ ſacraria & ſubſellia pertinent, quos appellãt choros, ceu ſpectantur Venetijs in æde Helenæ, in quibus nobiles Italiæ urbes atque clariores additæ ſunt ſingulis ſubſellijs,

miro

miro picturæ artificio, atque elegantia ſingulari.

CAPVT II.

De pœna Romanorū ciuium per uiteis, ac Plinij uerba expoſita, ex hiſtoria de Scipione Aphricanorum., tum de uite Centuriali copioſè.

VErba ſunt Caij Plinij (quo loco de arboribus diſſerit) uitis ipſa, & in delictis etiam pœnam honorat: quæ meum aliquando animum ſuſpenſum tenuerunt. Haud enim uidebam quibus pœnis homines per uitem afficerentur, quando nihil ad rem illud pertineret, quod inſigne centurionū id eſſet, ut quidam darum doctè exponunt. Sed enim quod ad pœnam uite pertinerent, deductum hoc exiſtimamus ex lege ueteri, de ſupplicijs militum. Nam & Scipio Aphricanus, qui Numantiam obſedit: ſicubi extra ordinem milites Romanos deprehendiſſet, acribus pœnis afficere ſolitus eſt, ut qui ciueis uitibus, alios autem uirgis cædi iuberet. Quo circa Plinius pœnæ honorem habitum ſcribit, cū ciueis non uirgis uerberatos, ſed uitibus refert. Quam rem Liuius in hiſtoria Romani populi notauit, ut ex Flori compendijs colligitur. De uite autem quam centuriones præferrent, non poëtæ tantum meminerunt, ſed Aurelius Macrobius, Aelius, Spartianus, ac Plinius, qui inſertas (inquit) caſtris uiteis ſummam rerum, imperiumque cotinere. Centurionum in manu uiris, et optimo pręmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas. De Hadriano item Auguſto notatum eſt, quòd is quidem nulli uitem conceſſit, niſi robuſto & egregiæ famæ uiro, neque tribunum niſi plena barba effecit. Hinc etiam heliopolitani Iouis oraculum de cæſare Traiano, qui cum ſcriptis codicillis deum conſuluiſſet, an Romam peracto bello eſſet rediturus (nam contra Parthos mouebat) uitem ſibi centurialem deus in ædem deferri iuſſit: diuiſamque in pateis ſudario cōdi, ac perendie efferri. Sed de ſub uitem prœliari dicebant milites, cū

aſtantibus centurionibus ſudes eijcere cogerentur. Quod & Sextus Pompeius adnotauit.

CAPVT III.

De ſortibus Prænestinis, earumq́; origine apud Romanos, & quomodo æderentur in templis, ac Liuij locus expoſitus.

It. Liuius inter cætera prodigia, quæ in hiſtoria de geſtis Romani populi refert, Sorteis (inquit) extenuatas, ſicuti bello Punico, & unam præterčà excidiſſe, ita ſcriptam Mauors ſuum telum concutit. Et nos igitur ad hæc intelligenda comodum fore exiſtimamus, ea de ratione, ac origine ſortium hoc loco repetere, quibus id totum copioſè aperiatur, & Liuij uerba intelligantur. Nam & Præneſtæ olim, & Antij templa magno cultu, honoreq́; habita ſunt, ubi ſortes æderentur. Qrigo autem cōmentitia quidem (ut multi dixerunt) & futilis, ſed à ueteribus tradita eſt in hunc modum: Numerius Suffuſtius uir admodum clarus, cum aſſiduis ſomnijs, etiamq́; minacibus, iuberetur certo in loco ſilicem excidere, perterritus dicitur: ſic, ut agere id occeperit, ridentibus hoc ciuibus. Sed perfracto ſaxo, erupiſſe ſorteis, quæ in roborè forent inſculptæ priſcarum litterarū notis. Quin eodem tempore mel ex olea fluxiſſe dicunt, & aruſpicum monitionibus factū, uti ex eadem olea fieret arcula, & in ea recōditas ſorteis, ad quas præmonente Fortuna Romani pontifices accedebant, & pueri manu cōmixtas educere ſolebant, ac talis quidē origo Præneſtinarum ſortium traditur, quæ diuinatio, ut uarijs paſſim templis atq; urbibus exculta eſt, ita Iulij cæſaris tēpore penè abolita: neq; alibi earum cultus ſeruatus eſt quàm Præneſtæ, qua ratione dicebat eleganter Carneades, nuſquàm ſe uidiſſe fortunatiorem Fortunam, quàm Præneſtæ. Hæ uerò ſortes Romani populi fata continebant, teſſeris quibuſdam ligneis

Numerius Suffuſtius.

ligneis inſculptæ. Vnde Liuius extenuatas ſorteis inter prodigia numerat: quoniam litteræ illæ fatales alicubi conſumptæ uiderentur. Imperante autem Auguſto Domitiano ſatis lætam, felicem que ſortem Præneſtina fortuna per nouennium dedit: in ſequenti anno triſtiſſimã reddidit, neque ſine ſanguinis mentione, ut eſt author Tranquillus. Neque me latet alium quoque fuiſſe morem Romanis imperatoribus in aucupanda per ſorteis fortuna, uerſibus ad eam rem compoſitis, uel ex aliquo poëmate translatis, ut illud uulgatũ de cæſare Hadriano: cum Vergilianas ſorteis cõſuleret:

Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ
Sacra ferens noſco crineis, incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundauit, curibus paruis, & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

De ſortitione autẽ iudicũ & ſortilegijs ſuo loco ſcripſimus.

CAPVT IIII.

Quanta prudẽtia M. Cato iudicauerit nõ eſſe publicè audiendos in Romana ciuitate treis Athenienſium oratores, id eſt, Carneadem, Critholaũ, & Diogenem, ac de illorum mirabili ingenio & facundia.

QVanta prudentia & cõſilio in moderanda ciuitate, quãta que doctrina fuerit M. Cato, qui Cenſorius dicitur, ueterũ cõmentarij explicant. Sed hoc inter cætera eius uiri mirificum uideri debet, his præſertim hominibus, qui in obeundis reipub. officijs uerſantur, quod ab eo dictum, atque iudicatũ eſt de Athenienſiũ nobili illa ac celebri legatione ad ſenatũ, populũque Romanũ in qua tres ingenio & eruditiõe clariſſimi extiterũt, hoc eſt, Carneades academicus, Critholaus peripateticus, Diogenes ſtoicus. Nam cum hi facundia imprimis atque oratione pollerent, facilè Romano populo perſuaſiſſent, quæcunque peterent. Sed hanc rem cum Marcus Cato maturè conſide-

cum uaitcinijs exitio futuram ei ciuitati, in quã deferretur. Itaq; Seſſapiam tum florentiſſimam deportata eſt, neq; citra illius urbis exitiũ. Sed & Liuius item deportata nonnunquã monſtra in aliam regionem tradit. Poſteriores uerò qui Antoninis & Cõſtantijs imperatoribus ſcripſerunt, deportatos in exilium aut in inſulas accipiunt pro his, qui deſcripti ac relegati fuerint. Quod in Lampridio, Volcatio, Ammiano, ac Hieronymo frequens reperitur. Hinc illud in oratiõe M. Antonini cæſaris cum ſuam clementiam atq; pietatem in Caſſiana defectione Romanis patribus probaret: Nemo (inquit) ſenatorum puniatur, proſcripti bona recipiãt, deportati in patriam redeant. Quin & Antoninus Caracalla relegatis ac deportatis reditum in patriam reſtituit, ut ab Aelio Spartiano ſcriptum eſt.

CAPVT VIII.

De quadragenario numero, & eius poteſtate in puerperis & infantibus: tum de feſto die, quem Græci teſſaracoſton appellarunt.

QVi de numeris, eorumq; poteſtate ſcribũt, diligẽti cura uidẽtur ea omnia obſeruaſſe, quæ ad quadratos perfectosq; numeros & imperfectos pertinent: ut cum ſeptenarium humanæ uitæ uehiculum uocent, quaternarium uim iuſtitiæ, denarium & quinarium cõnubij, in quibus academici ipſi maximum ſtudium impenderunt. De numero aũt quadragenario illud hoc loco referendum exiſtimaui, quod ad ipſam partus rationẽ facit. Nam teſſaracaſton, tempus à Græcis authoribus appellatur, ob eam cauſam celebratur, quòd illis maximè diebus mirifica quædam intelligant. Itaq; prægnãtes etiam fœminæ, quadraginta olim dies ante fœturam nefas habuerũt ad ſacra accedere, ac totidem quoq; diebus poſt partũ grauiori morbo ſolent conflictari, ut ægrè poſſint ſanguinem continere. Sed

Vu eodem

eodem prætereà tẽpore, infantes morbidi ſunt, ac riſum cõ-tinent. Quo circa (ut ad Cerellũ tradit Cenſorinus) cum is dies quadrageſimus præterit, conſueuerunt ueteres feſtum agitare, quod teſſaraçoſton appellarent.

CAPVT VII.

De clementia M. Antonini imperatoris, & quibus maximè uerbis contra ſeipſum conſpirantibus parcendum monuerit.

VEtus dictum celebratur: Nullum eſſe certius teſtimonium probitatis atq; innocentiæ, quàm ipſam uitæ conſcientiam. In qua ſapientiſſimus quiſq; uirtutis bonum collocauit: nam & academici ipſi hoc abundè fatentur, quod etiam Antonini Augusti uerba (qui ſtoicorum diſciplinis incubuit) ueriſſima ſuffragatione probant: in quibus non modò ſuam uitæ innocentiam, ſed æquiſſimum ingenium, ac maximè probãdum aſſeruit. Nam cum fortè Auidius Caſſius, alijq; complures contra Antoninũ imperatorẽ conſpiraſſent, ac detecta coniuratio eſſet, parcendum omnibus cenſuit Antoninus, nec Auidium quidem imperandi auidiſſimum iuſſit occidi, ſed paſſus eſt (ut à Volcatio traditur) Cumq; tam egregiã, ſingularemq; eius clementiam ac lenitatem plures accuſarent, eundemq; (ut ſunt uaria hominum ingenia) paſſim arguerent, quòd tam mitis in ſuos etiam hoſteis foret, ſimulq; adderent: Aliter ſe res haberet, ſi Auidius uiciſſet. Grauiſſimè reſponſum eſt ab imperatore Antonino: Non ſic deos colimus aut uiuimus, ut ille nos uinceret. Tantũ adeò anteactæ uitæ conſciẽtia, & innatæ probitatis teſtimonium poteſt, ut nihil inſidias hoſtiũ metuat, nihil alienas uireis reformidet. Idem quoq; Augu. ſic in epiſtola ad uxorem Fauſtinam de ſe ſcribit, Horatianam ſententiam mutuatus. Quieto animo

ſis.

ſis, dij me tuentur, & dijs cordi mea pietas. Quã rem & Volcatius hiſtoriæ author ad imperatorem Diocletianũ rettulit.

CAPVT VIII.

Quàm conſtanti & alto animo fuerit M. Cato, & eius dictum de ſe cum bella inter cæſarem & Pompeium æſtuarent.

MEmoria dignum eſt, quantum Catonis uirtus, atq; conſtantia ueteres permouerit, præſertimq; philoſophos ſtoicos, ut eius uiri animum atq; diſciplinam cum Socrate, Poſſidonio, & Chryſippo conferant. Sed inter alia hoc præcipuè admirantur, quòd in ea Romanæ ciuitatis tempeſtate, cum ciuilia bella inter Cæſarẽ & Pompeium ſtreperent, uarijsq; fortunis reſpub. premeretur, eum ipſum de animi ſtatu nihil eſſe immutatũ. Nam cum utrũq; Cato improbaret, atq; exarmare cuperet, utriq; etiam uirtute ſua ex animo ingenti occurrit. Dixit enim de cæſare, ſi uicerit ſe moriturum: ſin Pompeius, exulaturum: quoniã Pompeius quidem (ut eſt author Tacitus) occultior fuit, nõ melior. Et hæ ſunt illæ uoces (ut Picus noſter dicebat) quas familiæ ſtoicorum lætis animis agnoſcũt, quæ omnibus ſuffragijs probantur, & in porticu apathiam confirmant. Sed enim idem Cato nullis unquã caſibus mutatus eſt, nullis affectibus cõceſſit, aut calamitati ſuccubuit, ſed eundem ſemper ſe in tam uaria rerum fortuna præſtitit, in prætura, in accuſatione, in prouincia, in urbe, exercitu, repulſa, atq; interitu, ſicuti ab Anneo Seneca relatum eſt.

CAPVT IX.

De Proſa & Poſtuerta Romanis dijs, ac ibidem de Anteuorta, & quid interſe differãt, quaq; ratione colerentur à Romanis.

SEruatum eſt ab his qui de ueterum religione ſcripſerũt, Proſam & Poſtuertã fuiſſe apud Romanos pro dijs acceptas, atq; illis aras & ſacra etiam conſtituta, ob ipſas pariendi ratiões atq; diſcrimina. Nam Proſæ numen et poteſtas ab his fœminis maximè colebatur, quę rectũ ac legitimum partũ ędederent. Poſtuerta aũt ab ægris atq; infirmis, cuiuſmodi habenť ferè hi partus, cum in ipſo nixu nõ caput primũ ex aluo, ſed ipſi pedes exiſtunt. Proindeq; ab authoribus Agrippæ appellati ſunt. Quam rem C. Plinius ac Gellius (ut alios mittam) diligenter proſequuntur. Sed & Poſtuertã deam atq; Anteuertã in aliam partẽ acceperũt, ut à Vectio Prætextato in cœnis Macrobij relatum eſt. Hac enim ratiõe illas coluerũt ac templa dicarũt, quòd ea omnia intelligi oportere exiſtimarẽt, quæ pręterita ac futura eſſent. Ex quo diuinitatis comites aptiſſimas appellarũt, nõ ſecus atq; conſilium & prouidentiã, quibus humana omnia & diuina expẽdi, ac pręuideri poſſunt. Quod à nobis alibi commodius expoſitũ eſt.

CAPVT X.

Quæ ſint ſamiata ferramẽta in Aureliani Auguſtini epiſtola, & ſamiare arma, ac de ſamijs uaſis & Numæ capeduncu lis in Romanis ſacris.

QVæſitũ nuper ab eruditis quid eſſet in Aureliani Auguſt. epiſtola quã de officio tribuni militũ ſcribit: ferramẽta ſamiata. Sic eñ refert de ipſis militibus: Arma omia terſa ſint, ferramẽta ſamiata, calceamẽta fortia. Quo loco cũ doctiores etiã dubitare ſoleant, eorũ quęſtioni occurrendũ à nobis eſt

eſt. Samiata igitur tela, ꝑ his acceperũt ueteres, quæ in ſpiculũ mucronata atq; acuminata forẽt Quod et Nonius Marcel. probauit. Samiũ eñ pro acuto occepitũ eſt, ac ſamiare pro acuere, quoniã in Samo (ut eſt author Nonius) hoc artis genus præcipuè claruit. Qua uoce & Lucilius poëta eſt uſus in ſatyris. Sed & ſamia uaſa à multis celebrantur, quibus Romani põtifices pro Numæ regis inſtituto in ſacris uterẽtur. Itaq; ſic M. Cicero in libris de repub. Quæ ſunt (inquit) imperia pontificũ dijs immortalibus grata ſine ſamijs? Quæ uaſa capedines etiã & capedunculos uocarũt, ut apud authores frequenter habetur. Vnde & illud Perſianum:

Aurum uaſa Numæ, Saturniaq; impulit æra.
Veſtaleisq; urnas & Thuſcum fictile mutat.

CAPVT. XI

De oratore Iſocrate, eiusq; inſigni facundia, & quomodo tria in primis notanda præſtiterit ex hiſtoria Pauſaniæ.

TRia dicũtur in oratore Iſocrate memoratu digna inter alia accidiſſe, eũq; in his pręſtandis non minore iudicio quã fortuna ualuiſſe. Primũ ut uegeto ac ſolido corporis robore, modeſtia ſingulari, & ſumma animi libertate præſtaret. Nã & ad nonageſimũ octauũq; annũ cũ perueniſſet, nunq; adeò defeciſſe aut elanguiſſe ſcribitur, quin ſuos quoq; diſcipulos pro ueteri inſtituto inſtrueret atq; edoceret. In altero tam modeſtus et probus, ut ab omĩ ciuitatis adminiſtratione prorſus abſtineret Neq; de rebus item publicis curã ullam ſuſcepit, in quo liberũ ab omni cupiditate animũ, maximeq; ſynceriũ ꝓbauit. Quã rem (ut alios mittam) & Pauſanias hiſtoriæ author in Atticis cõmemorat. Hic autem Iſocrates ille eſt, cuius elegantiã atq; iocunditatẽ M. Cicero apud nos in dicẽdo egregiè expreſſit, cum uim Demoſthenis ac Platonis magnitudinem adieciſſet.

rint, maximo illam honore ac ueneratione proſecuti ſunt, ut Ancus Camillus, & alij. Quod autem de Octauio Auguſto tradit, hoc equidem non putaui alienum, aut indignum ut adnotarem: Octauius (inquit) cæſaris filius, (qui primus Auguſti nomen habuit) cum quartum & quinquageſimum annum ageret, precatus à dijs eſt, Scipionis fortitudinem, beniuolentiam Pompei, Cæſaris fortunam, quã quidem inquit Fortunã rerum eſſe omnium maxima rum uictricem. Hæc enim M. Ciceroni, Lepido, Panſę, Hircio, atq; Antonio plurimum aliquando indulxit. Cumq; hos omneis ad ſummum decus & gloriam extuliſſet, demum deſeruit, atque uni tantum Cæſari ſeipſam ſeruauit, ut apertè cognoſci poſſet, quibus ludis, atque blandimentis humana omnia uerſare, & commiſcere conſueuerit. Sed hæc apud authorem ipſum copioſè referuntur, cum Romani ipſi (ut conſtat) uarijs quidem nominibus illam, & colendam, & appellandam duxerint, ut Fortem, Viſcatam, Muliebrem, Reducem, Victricem, Primigeniam, Obſequentem & Mammoſam, de quibus in epiſtolicis ſcripſimus.

CAPVT II.

De immodico luxu Antonini Heliogabali imperatoris ac de eius culcitris, cum leporinis pilis, & perdicum plumis ibidemq; expoſitum de accubitis.

DE Vario imperatore qui Heliogabalus dictus eſt permulta à Græcis & Latinis authoribus ſcribunt quo luxu quibusq; libidinibus atq; flagitijs imperium geſſerit, ut naturæ magis prodigiũ ad omnẽ uitę improbitatẽ haberi poſſet, quã Romę urbis imperator Is igitur eo ſtudio atq; ingenio fuit, ut nihil auidius, quã de luxu, uarijsq; uoluptatibus cogitaret, ſicuti copioſè à Lampridio,

ridio traditum eſt ad Conſtantinum imperatorem. Nam ut de prodigioſa illius mollicie breuiter agamus, primus triclinia, lectos ac porticus omni florũ genere ſtrauit, lilijs, uiolis, hiacynthis et narciſſis, ac per eos ambulauit. Neq; in culcitris ſeu accubitis (ut appellant) facilè cubuit, niſi quæ leporinũ pilum haberent, aut perdicum plumas ſubalares. Tanta inerat animo eius mollicies, quod idem Lampridius retulit, ut ex his mirandum nõ ſit, ſi deinceps urgẽte fato, & à tali monſtro ſcelerũ pœnas repoſcẽte, in latrina occiſus fuerit. Quod aũt accubitas diximus, id quidem uerbum ab accubando deductum eſt. Neq; in Lampridio tantum legitur ſed apud ipſos etiam iuriſperitos, qui hac uoce pro culcitris & toralibus utuntur, ut Varro appellat. Hinc & accubitalia, pro ipſis ſtratis ſeu ſtragulis accepta ſunt, ut in epiſtola Valeriani imperatoris habetur ad Zoſymionem Syriæ procuratorem. Nam cum Claudio legionis Martiæ præfecto complura forent pro militiæ inſtituto tribuenda, miſit illi Valerianus imperator accubitalium Cypriorum (ut uocãt) paria duo, interulas puras, togam, & laticlauum, ſago, chlamydes & ſubſericam albam.

CAPVT III.

Quæ diuinationis ſpecies habenda ſit capnomantia, & Statij poëtæ uerſus allati atq; expoſiti ſuper hac uaticinandi ratione.

INter alia diuinãdi genera de quibus ueteres ſcribunt, illud etiã in antiquorũ monimẽtis notatur, quod Græci capnomantiã, noſtri per fumũ diuinationẽ dicũt, cũ ipſe uidelicet fumus, uel in orbẽ uoluit, uel in obliquũ flectit, aut in rectũ ꝓtenditur: quo circa meliorẽ ſibi fortunã quis pollicetur, uel aduerſam præſagit, ut eſt animus mortalium omnium ad futura prænoſcenda magno ambitu intentus. Itaq; capnomantiam Græcè appella

appellata eſt. Et capnomantes, qui diuinationum eiuſmodi forent interpretes. Statius aũt Papinius perelegantí carmine id expreſſit in Thebaide, cum de Menecei cæde ageret:

Vincatur pietas (inquit) pone eia altaria uirgo,
Quæramus ſuperos, facit illa, acieq́; ſagaci
Sanguineos flammarum apices, geminumq́; per auras
Ignem, & clara tamen mediæ faſtigia lucis
Orta docet, tunc in ſpeciem ſerpentis inanem
Ancipiti gyro uolui, frangiq́; rubore
Demonſtrat dubio, patriasq́; illuminat umbras.

In his enim uerſibus & per ignem diuinatio, ac per fumum deſcribitur: nam ſicubi ex flamma geminus apex extitiſſet, diſſidium indicari exiſtimabant, ut M. Cicero tradit. De capnite autem uino & gemma commodè diximus, quæ interſectis ueluti ſpiris fumidum quiddam refert.

CAPVT IIII.

Quod imperante Tiberio uitrum flexile ac ductile redditum ſit, & qua pœna tantæ inuentionis author damnatus fuerit.

Traditum eſt à C. Plinio inter alia multa, & hoc maximè mirandum, ac memoria dignũ de uitro, quemadmodũ uidelicet flexile, atq; ductile redditum ſit imperante Tiberio Auguſto. Adeò nihil in rerum natura intentatũ, aut inexpertũ reliquit antiquorũ ſolertia, quod equidem non alijs uerbis aſſerendum eſt quã eiuſdem authoris C. Plinij. Sic enim quo loco de uitri inuentione atq; origine ſcribit: Excogitatum (inquit) eſt Tiberio principe uitri temperamentũ, quo flexibile eſſet: ſed eius officina abolita eſt, ne æris, argenti, auri' ue metallis precia detraherentur. Hoc idem & Iſidôrus recenſet. Tum adijcit: Huic inuentioni principem Tiberium maximè iratum, ſic ut opificem ipſum necandum imperaret, ne aurum uileſceret, ac pro

CAPVT VI.

Deos eſſe accipiendos tam fœminino genere, quàm maſculino, ac de Luno etiam deo pro Luna, & quo cultu atq; inſtitutis apud Carras coleretur.

SCripſerā paulò antè (ut inter amicos fit) epiſtolā ad Coſmicū, in qua poſitū hoc fuit: Venerē quidē, ac Cererem inter Romanos deos locauimus. Id autem (ut relatum mihi eſt) ueluti minus Latinum & imperitè dictum reprehenditur, quod in genere aberrauerim. Non enī deos aſſerūt ſcribi oportere, ſed deas. Qua in re miratus ſum quorūdam imperitiā, qui dum cæteris ſe præferūt, & quaſi cenſores publicos in litteris conſtituunt, tam imprudēter, atq; ineptè decipiunt. Nam quis eſt obſecro tam alienus à ueterum lectione, aut ita demum imperitus, qui neſciat ipſos deos pro fœminis interdum accipi, etiam ſi ἀρσενικῶς pronunciemus. Quod & Macrobius Aurelius, alijq; copioſè probant, ut nihil ſit iſtis hominibus impudentius, qui ſe criticos atq; Ariſtarchos in diſciplinis nominant. Sanè uerò quod hoc permulti aſſerūt, ut Vergilius, Atherianus, Caluus, & Leuinius, ut Ariſtophanem mittam, qui Venerem aphroditon appellauit, quorū ſuffragatio, & quidem honeſtiſſima, noſtræ ſententiæ abundè patrocinat. Nā Varro Terentius Palem deū ſcripſit, ſed & Lunum deum pro Luna quidam dixerunt, cuius templū Carris uiſeretur, ut ab Aelio Spartiano relatum eſt: Qui cæſ. inquit Antoninum Caracallam templum dei Luni acceſſiſſe, quem mirifica ueneratione Carrenus populus coluit, adeò ut mulieres uirili ueſte, uiri autem muliebri ſacra illi perficerent. Quod & Philochorus, & Spartianus tradunt, qua ratione Græci quoq;, & Aegyptij (etſi Lunam fœmineo genere habēt) deum tamen appellāt. Sed nolo eſſe in re aperta

longior, ne uideat magis habuiſſe rationem alienæ inſcitiæ, quàm noſtræ in ſtudijs diligentiæ, cũ permulti quidem ſint, qui ut maiore audacia, quã iudicio iudicant. Ita inuident potius alienis laboribus, quàm ipſi aliquid in cõmunem uſum moliantur.

CAPVT VII.

Iudicium à poëta Marullo factum de Latinis poëtis, & quo uitio notati ſunt, aut quo ordine habendi.

PActum eſt iudiciũ nuper à noſtro Marullo de poëtis Latinis egregiè profectò & prudẽter. Nã cum forte incidiſſet mẽtio de ueterũ diſciplinis, ac de poëtis maximè Latinis: Poëtice (inquit) apud Romanos plureis habuit uerſificatores quã poëtas: ſi paulò diligentius id expẽdatur, quod exigendum ſit in illis, qui iure debeant poëtæ appellari. In P. (inquit) Ouidio reprehendi poteſt laſciuiens, ac nimiũ ſibi indulgens ingeniũ, quod & Fabius in om̃i antiquitate Romanus Ariſtarchus aſſeruit. In Statio durũ nimis carmen & anxiũ, proptereaq; ſupra modum tumidum. Silium uerò Italicũ inquit forum redolere, ac uulgarẽ, profluentẽq; uenam carminis, quã elegantẽ & probam. Flaccũ Valeriũ, & Lucanũ cõcitatos eſſe, ſed audaciores interdum, quã grauiores. Itaq; diligendi quidem ſunt omnes inquit, ſed hi maximè probandi pro ſuo quiſq; genere, Tibullus, Horatius, Catullus. Et in comœdia, Terẽtius. Vergiliũ uerò & Lucretiũ ediſcẽdos aſſerebat, qđ ipſum, ut poſteris etiã ꝓbaret, hiſce uerſiculis expreſſit:

Ouidius. *Statius.* *Silius.* *Flaccus Vale.* *Lucanus.*

Amor Tibullo, Mars tibi Maro debet.
Terentio ſoccus lenis.
Cothurnus olim nemini ſatis multũ.
Horatio Satyra, & Chelis.
Natura magnu uerſibus Lucretij,

Lepore Muſæo illitis.
Epigramma cultum teſte Rhallo adhuc nulli.
Docto Catullo ſyllabæ.
Nos ſiquis inter cæteros locat uates:
Onerat, quàm honorat uerius.

CAPVT VIII.

De Iuliorum, & Antoninorum familijs, & quòd in hominibus improbiſſimis atq; monſtroſis defecerint.

NEc illud omittendum eſt quod à probis authoribus notatur de Iuliorum, atq; Antoninorũ familijs. Quæ ut uiros maximos atq; inſigneis cõpluris habuerũt: ita in eiuſmodi hominibus deſierunt, qui ob nimia ſcelera atque flagitia impuriſſimi habiti ſunt. Nam Iuliorũ quidẽ ultimus fuit Domitius Nero, quo nullum unquã animal crudelius, ſæuius, immanius fuit. Vnde notum illud: Progenies cæſarũ in Nerone defecit. In Antoninis Augu. Varius Heliogabalus, cuius flagitia, & inſanæ libidines prodigium fuiſſe non hominem aſſerunt.

Domitius Nero.

CAPVT IX.

Vinum eſſe remedio contra aconitum, ac defenſus à calumnia quorundam Macrobius, qui cicutam pro aconito audacius quàm uerius in eius ſaturnalibus reponunt.

PAulò improbius atq; etiã indoctius quidam fecerunt, qui apud authorem Macrobiũ cicutam pro aconito reponunt: quo loco de uiribus ac poteſtate uini diſputat, aſſerentes ea in re, uel ipſum Macrobiũ erraſſe, uel cicuta ſeu conion pro aconito legendum: quoniam uinum (ut aiunt) contra eius uenenum præcipuum remedium creditur, quod Alexander medicus, Plutarchusq; & alij complures teſtantur. Ego autem non puto

non conuitijs tantum in Chriſtianos ſæuiendum putauit, ſed & Petrum apoſtolum magicæ diſciplinæ inſimulans, edoctum illum aſſeruit à Chriſto, ut in ea (ſicut impudentiſſimè uocat) deceptione, quaſi princeps ac ſignifer foret. Tum nō amplius eam duraturā ſcripſit, quā per trecētos & ſexaginta annos. Quod ipſum quā iniquo animo atq; perturbato dictum fuerit, referendum nō eſt. Auguſtinus certè & inſcitiæ & iniquitatis Porphyrium accuſat, qui tam audaci illecebra, uaniſſimoq; cōmento crediderit multorū animos decipere, atque ab ipſa ueritate depellere, quod & Petrarcha ſcribit, eo maximè opere, cui de religioſorum ocio titulum fecit. Is autem Porphyrius Tyrius fuit, præceptoremq; audiuit Plotinum, de cuius uita & moribus multa rettulit, eiuſq; opera correxit, & in nouenarios digeſſit. Neq; defuerūt qui Porphyrianis iurgijs atq; inſectatiōibus in Chriſtianos ferulā referrēt: ſiquidē ab Euſebio, Apollinare, Laodiceo, & Methodio copioſè reſponſum eſt. Ex his Apollinaris xxx libros contra Porphyriū exarauit, Methodius autem uſq; ad decem millia uerſuum, quod in epiſtolicis diligenter diſſeruimus.

CAPVT XI.

De Val. Homulli ingenio, & eiuſdem dictis contra M. Antoninum imperatorem eiuſq; conſtantiam.

NOtatum eſt à ueteribus q̄ elegans & urbanus fuerit Val. Homullus, quibuſq; dictis atq; leporibus ſit uſus, ut nec Romanis etiā principibus parceret, cuiuſmodi illud quā lepidiſſimū traditur in M Antoninū Auguſt. Nam cum fortè imperator eiuſdem Homulli domum uiſeret, columnaſq; ibidem è porphyretico lapide inſignis atq; egregias miraret̄, rogauit Homullū unde eas habuiſſet: Tum ille imperator inquit cū in alienā domū ueneris, & mutus, et ſurdus eſto. Idē quoq; pari licentia

tia cum Lucillam Antonini matrem (qui Pio imperatori ſuc
ceſſit (uenerantem Apollinis ſimulacrum uidiſſet, in aurem
Auguſti inſuſurrans: Et illa (inquit) nunc rogat pro tuo obi
tu ut filius imperet. Quæ tamen ipſum imperatorem nihil o-
mnino mouerunt, ſicuti à Iulio Capitolino memoratur. Tan
ta erat Macri probitas, & inſignis modeſtia, ut nõ modo ur-
banè dicta, ſed importunam præterea dicacitatẽ æquiſſimo
animo tulerit.

CAPVT XII.

De diſciplina Arabum in Aſtronomicis, & quod ipſa hominum ætas certis tempo: ibus ad planetas referatur.

PEr elegãter multa ac eruditè ſcripta ſunt in Ara
bũ cõmentarijs: tum ea maximè quæ ad cæli, ſi-
derumq; poteſtatẽ, ac diſciplinas pertinẽt. Neq;
uidetur apud alios quidẽ populos fuiſſe ſtudiũ
acrius, aut maior ſolertia in aſtronomicis ſpeculãdis, etſi ma
gna ex parte Grecorũ quoq; ingenia imitati ſunt. Illud autẽ
mirificũ exiſtimo, ac memoria dignum, in quo mathematici
& ipſi Caldæi uniuerſam hominũ ætatẽ ad planetas referũt,
ut quæcunq; in uita agũtur, ea quidem ſtatis, certiſq; tempo
ribus planetæ ipſi propémodũ efficiant. Luna inquiunt ab i-
pſo natali, uſq; ad quintum ætatis annum moderatur, atq; di
ſponit. Sequens Mercurius per decenniũ. Venus per annos
octo. Sol undeuiginti. Mars quindecim. Iuppiter duodecim
Saturnus reliquũ uitæ tempus. Ita eñ digeſta atq; diuiſa ui-
tæ mortalium tempora traduntur, ut nuper cum Iano Theo
lopho aſtronomiæ peritiſſimo diſſeruimus. Neq; illud igno
ramus, aliã fieri diuiſionẽ ab alijs authoribus de hominum
ætate. Noſtri eñ Lunæ infantiã, pueritiam Stilboni ſeu Mer
curio, adoleſcentiam Veneri, iuuentam Soli, uirilitatem Mar
ti, ſenectutem Ioui, ſenium Saturno aſcripſerunt: adeò ut ſin
gulis ſua quoq; officia & affectus tribuant.

CA-

CAPVT XIII.

Expoſitum diligenter quid hoſtorium ſit, quid rutrum, & rutellum ex Lucilij carmine, ac de imaginibus etiam cum rutro.

SCripſit ætate noſtra Iouianus Pontanus inter alia ſuæ diligentiæ monimenta, de aſpiratiõe libros in quibus ſtudioſè cõplura & accuratè obſeruauit: ſecutus ueterum grammaticorum exemplũ, qui & in minimis etiam perſcrutandis maxima ſolertia incubuerunt: ut Fabius, Varro, Martianus, Nigidius, & Meſſala, qui de littera S librum compoſuit. Quo autem loco à Pontano traditur hoſtilios lareis, hoſtias & hoſtire cum aſpiratione ſcribenda eſſe: Hoſtorium quoq; (inquit) ab hoſtiẽdo, id eſt æquando dictum eſt. Nam ſic uocamus (inquit) lignũ æquatorium, ac teretem bacillum, quo in dimetiendo tritico modij æquantur. Quibus apparet hoſtoriũ pro rutro illo ac bacillo accipiendũ, quo in menſuris frumenti cumuli exæquãtur. Tametſi haud ſatis memini an apud ueterum quenquã de hoſtorio legerim. Lucilius aũt poëta rutellum uocat in ſatyris eiuſcemodi inſtrumentũ, ut ex eius carmine colligitur:

Frumentarius eſt, modium hic ſecum atq; rutellum
Vnà affert.

Quod & Nonius ponit. Rutrũ uerò ab eruendo dictum eſt, non à radendo ut quidam uolunt. In Capitolio prætereà effigies fuit Ephebi rutrũ tenentis, arenamq; eruentis, cauſa exercitationis, pro more Græcorum, quod ſignum ex Bithinia Romam deportauit Pompeius Bithinicus. ſicuti ex Feſti collectaneis ab Hermolao etiam notatum eſt. Nam & Var. Terentius inter ruſtica inſtrumenta rutrum enumerat, in libris de origine uerborum ad M. Ciceronem, ut aratrum, ſarculũ, raſtrum, & alia generis eiuſdem. Neq; omittẽdum eſt, quod ab Euſebio refertur: Remum fuiſſe à Fabio Romuli duce occiſum rutro paſtorali. Sed & rutabulũ hinc dictũ, quo ad ex-

coquendos panes ruſtici ferè uterent in proruẽdo igne ; ꝓ
ptereaq́; poëtæ ueteres allegoricôs hoc uerbum pro uirili
membro acceperunt, ut poëta Neuius, qui retritum rutabu
lum, lepidiſſimo uerſu uocauit:

Senile tractet retritum rutabulum.

CAPVT XIIII.

Vnum eſſe hominẽ inter omnia animantia, qui calidis in potu utatur, & ad uenerem pro libidine quocunq; anni tẽpore accedat.

RElatum eſt ab his, qui ſcribunt hiſtoriã de anima
libus, unũ eſſe hominẽ in omni animantiũ gene
re, qui calidis in potu utatur. Nam cætera quidẽ
animantia in totũ abſtinent. Sicuti etiã de uenere
illud ſeruatũ à philoſophis, homines ipſos, quocunq; anni
tempore, pro libidine ad uenerẽ accedere, & in coitu eſſe, cũ
alia ferè animantia, cuſtodiant ſuũ tẽpus, & ꝓprios coitus
certis tẽporibus habeãt, quos uocãt ſtatos. Sed hæc an uera
ſint, haud equidem prorſus aſſeruerim, in tanta naturæ ua
rietate, tametſi optimis authoribus comprobantur.

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DI SCIPLINA, LIB. VIGESIMVSQVARTVS.

CAPVT I.

Quantũ Ariſtote. Platoni magiſtro cõceſſerit, ac uerſus in ara ab eo poſiti, & q. Magi etiã Platoni imolarũt ꝓpter abſolutũ nouies nouenariũ numerũ.

REceptũ uulgò eſt Platonẽ academię prin
cipẽ fuiſſe à diſcipulo Ariſtotele in tradẽ
dis diſciplinis neglectũ, aut ſaltem minus
cõmendatũ, cum & ab eo libere diſſenti
at, ac ignorãtiæ alicubi (ut quidã opinan
tur) arguat. Quod ego aliter accipiendũ
exiſtimo

exiſtimo, ſicuti Macrobius, & alij ueteres exponunt. Neq; enim uiginti annos duntaxat in academia Platonem audiuit, ſed eidem tantum tribuit, atq; cōceſſit, ut eius quoq; nomini aram in templo conſtruxerit, ſtatuamq; conſecrarit, in qua deſcriptum eſſet, hunc eſſe illum, quē probi omnes merito debeant, & imitari & commendare. Quod & nos in parthenicis noſtris attigimus his uerſibus:

Hæc illa eſt ara floribus redimita ſuaue olentibus,
Quam gratus benemerenti ſtatuit diſcipulus ſeni:
Tituloq; hoc teſtatus animum ſuum atq; officium:
Platonem probandum probè à probis, ab alijs nefas.
Sic ille princeps & author egregius ſapientiæ:
Tam diuturnæ diſciplinæ & ſacri muneris tulit
Dignum pro meritis tantis ab alumno ſuo præmium.

Idem præterea Ariſtoteles Platonis nomen ſanctum atq; diuinum uocitabat, egregiamq; orationem de Platonis laude compoſuit, ut ab Olympiodôro proditum eſt. Mitto autem nūc illud, quod Anneus Seneca de magis Perſarum tradit: quòd hi quidem Platoni defuncto immolarunt, quoniam ſuo natali deceſſiſſet, annumq; unum ſupra octuageſimum abſoluiſſet, ſine ulla prorſus additione uel deductione. Aſſerunt enim inter alia ſuæ diſciplinæ dogmata eum eſſe omnium perfectiſſimū numerum, quem nouies nouenum mulplicant, quæ ætate Platonis philoſophi fuiſſe interitum conſtat. Hinc Labeo Romanus theologûs eundem Platonē inter ſemideos, ut Herculē ac Romulum referendum putauit.

CAPVT II.

De cultu quorundam animantium à uarijs populis, & de Syria dea, eiusq; effigie relatum.

IN commentarijs eorũ (qui de animantibus ſcripſerunt) notatum eſt pleraq; animantia propter mirificum ſui genium atq; officia in uita mortali um à proprijs urbibus & populis coli, & ueluti certa numina conſecrari, ut colũbas à Syrijs, ciconias à Theſſalis, apud quos capitale habitũ eſt ciconiam occidiſſe. Anſeres à Romanis, quibus ob Capitolium ſeruatum, publicè à cenſoribus alimenta præbebantur. Quin & Syrij idem magna religione diu ſeruarunt, ut abſtinerent à piſcibus, quod cum alij plures ſcripſerunt, tum Porphyrius philoſophus ad imperatorem Conſtantinum in libris de abſtinendo ab animantibus. Qua in re Menandri poëtæ uerſiculos affert, qui huic ſententiæ ſuffragantur. Abſtinent autem ea potiſſimũ

Facelitis. ratione, quod Facelitis Veneris filia in piſcis formam cõmutata eſt: quam Syrij pro dea coluerunt. Hinc argenteos piſces (ut à Baſſo relatum eſt) in templis conſecrare conſueuerunt. Non me præterit hoc loco, quę tradant̃ de Syria Derceto ſeu Atargate, cuius templum inſigne fuit iuxta Aſcalonem. In quo imago eius muliebri facie, reliquũ corpus ſigura piſcis haberetur. Porphyrius autem ſic in libro de ſacrificijs: Rhadamanthus (inquit) ac deinceps Socrates, per animalia iurare ſoliti ſunt. Græci quoq; imagini Iouis arietina cornua adiecerunt, & Dionyſio tauri. Sed & Panis effigiem ex capella & homine compoſuerunt: Iouem quoq; ipſum in aquilam, taurum, & cygnum aliquando ſe tranſmutaſſe. De Aegyptijs omittendum eſt, quorum prodigioſa ſuperſtitio, multiplices, uarias q; animantiũ formas pro dijs maximo cultu habuit, ut feles, crocodillos, iſchneumones, ibes,

uultures,

uultures,& alia eiuſmodi,de quibus cũ alij plures, tum Diodôrus,Herodotus,Strabo,& Appion in Aegyptiacis commentarijs complura explicarunt.

CAPVT III.

Mercurij Aegyptij uerba relata de natura,ac de maieſtate dei,deq; ſpiritus & mundi materia, ac de homine.

QVantũ præſtiterit Aegyptius Mercurius in peruestigandis,atq; intelligendis rebus diuinis, Græci authores & Latini copioſè aſſerunt, qui hunc ipſum uelut diſciplinarum omnium principem, atq; conditorem exiſtimant:adeò,ut ab hoc uno credatũ ſcientia illa rerum diuinarum,atq; humanarum diligenter fuiſſe meditata,optimè percepta, egregieq; explicata. Quod ipſum locis multis probauit:tum in ea diſputatione, in qua de ipſo deo,deq; ſpiritu & mundi materia elegãter & doctè diſſeruit.Sed hanc rem libitum eſt illius uerbis adnotare:Fuit deus & hyle (inquit) quã & mundum dicimus mundo autem ſpiritus aderat.Sed non tamẽ,ut ipſi deo,neq; deus ſunt hæc,de quibus mundus eſt: idcirco neq; erant cum nõdum nata erant.Sed in eo iam tunc erant,unde naſcendi poteſtatẽ habuerunt.Non enim ea ſola non nata dici debent,quæ necdum nata ſunt,ſed ea quæ carent fœcunditate generandi,ita ut ex his nihil naſci poteſt.Quæcunq; igitur ſunt,quibus ineſt generandi natura,generabilia ſunt, de quibus naſci poteſt:tametſi ex ſe nata ſint.Neq; enim dubitatur ex his, quæ ex ſe nata ſunt,facilè naſci poſſe,de quibus cuncta naſcuntur.Deus ergo ſempiternus,quo circa,nec naſci poteſt, nec potuit,hic eſt,hic ſemp fuit,hic ſemp erit. Hæc itaq; eſt,quæ ex ſe tota eſt natura dei.Hyle aũt uel mundi natura, & ſpiritu,quãuis nata uideantur,à principio tamen ex ſe naſcendi, procreandiq; uim poſſident,atq; naturã fœcũditatis: etenim

initium in qualitate naturæ eſt, quæ conceptus & partus in ſe poſſidet uim atq; materiam. Hæc ſine alieno conceptu eſt ſola generabilis. Quæ autem uim ſolam concipiendi habeant, ex alterius connexione naturæ ita diſcernenda ſunt, ut hic locus mundi, cum his quæ in ſe ſunt, uideatur eſſe nō natus, qui utiq; in ſe uim totius naturæ habet, locum dico, in quo ſunt omnia. Neq; enim hæc omnia eſſe potuiſſent, ſi locus deeſſet, qui omnia ſuſtineret, & capere potuiſſet. Omnibus namq; rebus, quæ fuerunt præcauendum eſt loco, nec qualitates, nec quātitates, nec poſſeſſiones, nec affectus dignoſci potuiſſent earum rerum, quæ nuſquā ſunt. Sic ergo & mundus, quāuis natus non ſit, in ſe tamen omnium naturam habet, utpote qui omnibus his ad concipiendum ſinus præſtat fœcundiſſimos. Quo circa totum hoc eſt qualitatis, materiæq; creabilis, quamuis creata non eſt: ſicut enim in ipſa natura materiæ qualitas fœcunda eſt, ſic & malignitatis eadem eſt, æq; fœcūda. Neq; ego ô Aſclepi & Hammon illud aſſero, quod à multis dici ſolet: Non poterat deus incidere, atq; auertere à rerum natura malitiam. Quibus reſpondendum nihil omnino eſt, quæ tamen cauſa fuerit, hoc proſequar, & in eo rationem reddam, quod acceperam. Dicunt ipſi omnifariam deum liberaſſe mundum à malitia: nam ita in mundo eſt, quaſi membrum ipſius uideatur eſſe. His eñ rebus quibus cęteris anteſtamus animalibus, ſoli poſſumus malitiæ fraudes ac dolos uitare. Ea enim qui antequā ſit illis implicatus, ex aſpectu uitarit, is homo eſt diuina intelligentia, prudentiaq; munitus. Fundamētum uerò diſciplinæ eſt, quod in ſumma bonitate conſiſtit. Spiritu autem miniſtrantur omnia, atq; uegetantur in mūdo, & quaſi organum, uel machina ſummi dei, uoluntati ſubiectus eſt. Itaq; hactenus intelligatur à nobis mente ſola intelligibilis, ſummus qui dicitur deus, rector, gubernatorq; ſenſibilis dei eius, qui in ſe

complectitur omnem locum, omnem rerum ſubſtantiam, totamq́ gignentium, creantiumq́ materiam, & omne quicquid eſt, quantuncũq́ eſt. Spiritu uerò agitatur, ſeu gubernatur omnis in mundo ſpecies: unaquæq́ ſecundum naturam ſuam à deo diſtributam ſibi. Hyle autem ſeu mundus omnium eſt receptaculum, omniumq́ agitatio, atq́ frequẽtatio: quorum deus gubernator, diſpenſans omnibus rebus humanis, quantum unicuiq́ neceſſarium eſt. Spiritus uerò implet omnia, cuiuſcunq́ naturæ qualitas eſt. Mundi enim rotunditas caua eſt in ſphæræ modum, ipſa ſibi qualitatis inſitæ uel formæ ſuæ cauſa inuiſibilis tota, ut ex his cõſtat, quæ ex orbe uarijs locis prominent. Quod ab ipſis etiam Pythagoricis aſſertum eſt. Probat enim Mercurius ab ipſo mũdo corpora nutriri, à ſpiritu animas, à ſenſibus menteis, neq́ tamen omneis, ſed eorum duntaxat, qui tantum beneficium capere poſſunt. Quod ipſum Timæus Locrenſis, & alij quidam academici opinantur, qui de dijs atq́ animis magna ex parte cum Mercurio ſentiunt. Plato autem, & Pythagoras pleraq́ (ut eſt author Iamblicus) è columnis Mercurij acceperunt, quæ doctrinis uarijs atq́ reconditis fuerunt refertæ. Sed hęc multò copioſius, pſequimur in noſtris theorematis.

CAPVT IIII.

Poëtæ Lucretij obitum eodem die contigiſſe, quo Publius Vergilius uirilem togam induit, Licinio & Pompeio Coſ. ac de natali poëtæ Vergilij.

QVi ſtudium ac diligentiam collocarunt in obſeruanda, atq́ deſcribenda uita & moribus ueterũ de poëta Lucretio, & Publio Vergilio id referunt, dignum ſanè adnotatione, quòd eadem die

die Vergilius uirilem togam induit, quo Lucretij obitus contigit. Qua in re naturæ benignitas, atq; propẽſio, uiſa eſt Romanæ eruditionis patrocinium̃ ſuſcepiſſe: ne deeſſent in re Latina, qui Græcorum ingenijs, atq; diſciplinis nõ minores haberentur. Natus aũt traditur Vergilius octobris idibus, Cn. Pompeio & M. Licinio Craſſo primum Conſ. Togam uerò ſumpſiſſe in adoleſcentia hiſdẽ conſulibus quibus natalem habuerat: etſi quidam exiſtimant eodem anno Lucretium periſſe, quo Vergilius natalem habuerit. Idus uerò illas præcipuè ſeruauit, ac maxima religione coluit Silius Italicus, Valerius quoq; Martialis in hunc modum:

Maiæ Mercurium creaſtis Idus:
Auguſtis redit idibus Diana:
Octobres Maro conſecrauit Idus
Qui magni celebras Maronis idus.

Sed hanc rem & in poëtis noſtris rettulimus, qui paulopòſt in cõmunem uſum atq; publicã utilitatẽ ædẽtur, ne inſtituto opi uideamur deeſſe, iuuãdi atq; inſtruẽdi bonorũ ingenia.

CAPVT V.

Quàm ſeuerè factum ſit à Romanis contra inſolentiam, & de conuitijs at. contumelijs quæ publicè in triumphantes à ſeruulis dicerentur.

VVlgatum eſt quanta diligentia ac ſtudio eſ natus, populusq; Romanus contra hominum inſolentiam atq; faſtum ierit, quibusq; legibus ac decretis inſolentis animi improbitatem repreſſerit. Sed inter alia complura illud obſeruandum exiſtimo de his, qui iure uictoriæ, cæſisq; hoſtibus triũphare ſoliti ſunt. Nam triũphantibus quidem pro inſtituto maiorum, conuiuiũ dapſile atq; magnificentiſſimũ parabatur: idq; in Capitolio celebrari mos fuit. Ac ne fortè animus eorũ nimiũ efferretur, aut immodeſtius in maiore fortuna inſoleſceret, propè aſſidebat ſer

uulus

uulus, quí ſubínde ín conuiuio díceret: Magís ſeruo tuo pareo, quàm tibi. Quo uelut probro admonitus, ſe ipſum, atq; hominum conditionem æquo animo extimaret. Mitto nūc quæ planipedes, cæteriq; Mimorū ſcriptores liberè atq; mordaciter in eum dictitabant. Notum & illud de triūphantibus quòd annulo etiam ferreo uti conſueuerunt, quod & Caius Plinius teſtatur, qui Caium Mariū ſcribit cum ferreo annulo triumphaſſe de rege Iugurtha.

CAPVT VI.

De animantibus, arboribus, ac lapidibus, quæ naturali conſenſu cum ſolis & lunæ uiribus conſentiant.

DIſputatum ſæpius eſt, ac dilgēter probatū à philoſophis, ineſſe rebus ſuperioribus uim inſitam atq; ingenitam, quæ magna ex parte cum inferioribus conueniat. Quo circa ſympathíam quandam, & quaſi concentū inter hæc elementa ſtatuerunt, unde animantium motus, atq; taciti conſenſus congruere cum diuinis corporibus uideantur. Qua in re academici imprimis complura attulerunt, arboresq; & lapides etiā ſentire has uireis, eorūq; affectibus moueri, atq; affici aſſerunt: quo nomine aſcribuntur hæc inferiora ſuis numinibus. Inter animantia quæ dicata Apollini traduntur: aries, crocodilus, cantharus, aſtur, leo: & gallus à Cheromone ſtoico, & Porphyrio referuntur. Inſitū gallis eſt (ut inquit Proclus) numen Apollinis aduocare, & uelut proprijs cāticis exurgenti applaudere. Pythagoras aūt cauendum monuit, nequis gallum mactaret, quoniā ſoli & lunæ dicatus foret. Inter arbores: de lauro, palma & lotho ſcribitur, quòd ad ſolis poteſtatē maximè accedant. Lothos eñ ante emerſum ſolis folia ſua implicat, & contrahit. Eo autem exiſtente ſenſim reuoluit atq; explicat. Heliotropium præterea & ſelinotropium herbas enumerant, quæ ſolis uireis ac

lunæ conſenſu mirifico ſubſequantur. Vnde inditum illis eſt nomen. De lapidibus multa ab Aegyptijs & Magis tra/duntur, ut de helinite, ſelinite, aſterite, uranopthalmo, & a/lijs pluribus, quæ uel ſyderum imaginem præferunt, uel po teſtatem eorum atq; affectus ſentiunt, quod ipſum & Pro/clus in commentario de magica exiſtimauit, qui & dæmo nes inquit ſolareis aliquando fuiſſe cũ leonis facie, quibus cũ galli obijcerentur, confeſtim euanuiſſe, de quo in epiſto licis noſtris copioſè diſſeruimus.

CAPVT VII.

Verſiculi aliquot in Vergiliano poëmate emendati, ac de dacty-licis & ſpondaicis numeris nonnihil.

PAuloantè rogatus ſum per epiſtolam ab amicis ut aliquid pro Vergiliana emendatione in com/munem uſum conferrem, quod à nobis fa/ctum ſatis accuratè, pro ſtudio ac diligentia no/ſtra in bonis diſciplinis. Inter alia uerò quæ notauimus, mo nui deprauatum eſſe carmen illud in Georgicis, quo curati ones atq; remedia pecudum morbis deſcribit.

Et ſpumas miſcent argenti, ac ſulphura uiua,
Idæaſq; pices, & pingueis unguine ceras.

Sed legendum eſt, uiuaq; ſulphura: ita em̃ uetuſtiora exem plaria retinent, & Honoratus Seruius ac Macrobius agno ſcũt. Illud etiã in ſexto Aeneidos libro ita ſcribere oportet:

Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam præmiſſus Achates Afforet.

Quæ noſtri grãmatici ferè omiſerunt, ut pridem ſcripſimus ad Aldum Romanũ, qui de omni antiquitate, boniſq; litte ris optimè meritus eſt. In his dactylicos uerſus accipere de/bemus, quoniã in ultima ſede dactylũ habent ut ſpõdaicos illos, qui ſpondeũ in quinta: etſi uocant̃ præterea ſpõdaici uer/

Spondaici uerſus.

uerſus,qui omnibus ſpondeis cōſtant,ut illud poetę Ennij
Ciues Romani tunc facti ſunt Campani.
De quo & grāmatici multa, & Cenſorinus in natalicio ad Cerelliū ſcribit. In his aūt (quos poſuimus) uerſibus ſecutus eſt Homerū Vergilius, pariq; licētia & acephalos & lōgiuſculos,delitijsq; profluētes imitatus eſt, quod Euſtathius in Macrobianis cœnis copioſè diſſeruit.

CAPVT VIII.

Qua ratione intelligatur uer ſacrum fieri,ac uerba Plinij expoſita de populis Sabinis ex hiſtoria Siſennæ.

PIcentes populi(ut à Plinio ſcribitur)originē à Sabinis acceperūt uoto uere ſacro,qua in re ſecutus uidetur Siſennæ hiſtoriā,qui de Sabinis agens,eos refert uouiſſe uer ſacrū ſe facturos ſi melioribus locis conſtitiſſent. Quā rem Nonius Marcellus apud ipſum Siſennā obſeruauit, ut in libro habet de his quę à doctis quærūtur. Quo loco uer ſacrū pro religioſo inquit à Siſenna acceptū eſt,cū alij pro uitabili atq; execrando intellexerint. Relatū de Lacedæmonijs eſt,q; hi quidem uer ſacrū deſtinauerūt, quo tempore urbem Heracleam condiderūt. Sextus aūt Pompeius ob eam rationē dictū exiſtimauit, quòd in magnis periculis uouēdi mos fuit,ſe cuncta animalia immolaturos, quæ uere proximo naſcerentur. Quæ res(inquit) cū paulò crudelior atq; atrocior uideretur,pueros,puellasq; innocentes interimere, in adultam ætatem perductos uelabant,atq; extra fineis exigebant Hinc appellati ſunt Sacrani ex oppido Reate orti, quòd in ſacro uere nati haberētur. De his ſacris & in commentarijs Græcorum mentio habetur,qui maiore diligentia atq; ſtudio Romanos ritus ac inſtitutiones perquirunt. *Sacrani.*

CAPVT IX.

Plauti uerba expoſita in prologo Pœnuli, quo loco Ariſtarchi Achillem nominat contra imperitorum ſententiam.

IN comœdia M. Plauti (quæ Pœnulus inſcribitur) ſic à prologi perſona refertur:

Achillem Ariſtarchi mihi comentari lubet,
Inde mihi principium capiam ex ea tragœdia.

In quibus exponendis noſtri grammatici conjecturis tantum nituntur, nec afferunt aliquid de Achille Ariſtarchi dignum Plauti eruditione, quo ſententiam ſatis explicare uideantur. Ego uerò pro Enniana fabula intelligendum exiſtimo, cuius hæc ipſa inſcriptio foret, quoniam Q. Ennius tragœdias aliquot compoſuit, quales à priſcis citantur: Stratocles, Medea, Alcynous, & Achilles Ariſtarchi, quod abundè probatur, cum ex antiquis authoribus, tum ex collectaneis Sexti Pompei, in quibus ad hunc modum legitur: Prolato ęre aſtitit poëta Ennius cum dixerit in Achille Ariſtarchi, ſignificat clypeo ante ſe ptento. Quod ipſum in uulgatioribus iſtis exẽplaribus neutiq; comperies. Voluit aũt Plautus argumentũ fabulę ex Ennij tragœdia transferre in Pœnuli prologũ. Qua in re cõplures uariè diſſerũt, ſed nullis (quod ſciam) probis ac receptis authoribus.

CAPVT X.

Perlepida hiſtoria de Phryne meretrice, & Praxitele, & quo cõmento uſa ſit inexplorãdis Praxitelis operibus quæ abſolutiora forẽt.

SAtis lepida & purbana hiſtoria refertur de Phryne meretricula, quo commento atq; arte uſa ſit in explorandis, cognoſcẽdisq; Praxitelis operibus quæ ab authore ipſo haberẽtur in ſummo precio. Nam cum Praxiteles illius formam incredibili amore deperiret, eiq; polliceretur ſe conceſſurum quod illi opus pulcherrimũ

cherrimũ uideret,ſed ea conditiõe,ut nihil dicẽte illo quod cũq; uellet pro ſuo iudicio eligeret. Phryne puerũ inſtituit, qui oportunè accurrẽs,nũciat officinã ipſam Praxitelis magno incendio correptã ac iam pleraq; opera flammis aſſumpta. Ad hęc Praxitelis extemplò ad officinã ſe ꝓripiens,& ſimul actum eſt inquit de meis omnibus laboribus,ſi Satyrus & Cupido concremati ſunt. Tum Phryne: Mane (inquit)& bono animo ſis, nihil tibi ignis obfuit. Quo dolo uictus Praxiteles,quæ forent operum abſolutiſſima, profeſſus eſt. Phryne autem Cupidinem delegit,de quo cum à poëtis Græcis pluria afferuntur, tum à Pauſania in Atticis. Neq; illud omiſerim, factam fuiſſe à Praxitele imaginem meretricis lætantis,quam putarunt nonnulli Phrynen eſſe quòd in ea deprehenderent amorem artificis,& mercedem in uultu meretricis. Quæ res cũ ab alijs,tum à Plinio refert.

CAPVT XI.

De doctrina Ioannis Scotti,& quàm ſæuiſsima cæde ab ingratiſsimis diſcipulis interemptus fuerit.

NOtum eſt ferè omnibus quã egregia eruditione clariſſimoq; ingenio pręſtiterit Ioannes Scottus in rebus diuinis,ut qui omnem Chriſtianę theologiæ diſciplinam maximo ſtudio coluerit. Qua in re illud mihi uiſum eſt adnotatione dignũ, quod in Gallorũ annalibus legitur de ſæuitia diſcipulorũ in eum ipſum atq; incredibili immanitate. Is em̃ Scottus,cum fortè in Britannia Chriſtianæ religioni ſe dicaſſet, atq; diſcipulos aliquot(ut fit)erudiret, factum eſt ut illi contra præceptorẽ cõſpirarent,graphijſq; aſſumptis,illum ſæuiſſimè interimerẽt Quo ſcelere nihil atrocius aut flagitioſius dici poteſt. Idem Ioannes Græcas litteras calluit, quæ illis temporibus magna ex parte amiſſę fuerant. Hinc Francorum rex Carolus

(qui Caluus eſt appellatus) cum Chriſtianę theologiæ ſtudio teneretur, Ioanni Scotto mandauit, ut Dionyſij Areopagitæ libros (qui de ſacra hierachia inſcribuntur) latinitate donaret. Quod ipſum pro officio ſuo erga regem accuratè abſoluit, etſi maiorem diligentiam quã elegantiam tali opere indicauit.

CAPVT XII.

Verba ex epiſtola Octauij Auguſti, relata de luxu & mollicie Mecœnatis, & quàm impudenter atq; inſcitiſsimè ab imperitis deprauata ſint.

CElebrantur epiſtolæ aliquot diui Auguſti ad C. Mecœnatem, in quibus uiri molliciem, atque fluentes delitias pereleganter & uenuſtè irriſerit, ſicuti in his etiam uerbis apparet, quæ Auienus in cœnis Macrobianis retulit. Vale Mecœnas mel gentium, ebur Hetruriæ, laſar Arretinũ, adamas ſupernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum ſmaragde, Iaſpi figulorũ, berille & carbũculum Porſenæ. Ita em̃ legere oportet, quod & ueteres codices docent, quibus uerbis ab Auguſto inſinuatur Mecœnatẽ ipſum permultis Italiæ populis gratum fuiſſe, quanq; hoc loco magis id afferẽ, ut effœminatum atq; molliſſimum hominem argueret. Id ipſum eò libentius putaui obſeruandum, quod in quibuſdam cõmentarijs Annij Viterbienſis (qui pleraq; omnia impudentiſſimè confinxit) deprauari hæc uideo, et æſar pro eo quod eſt laſar, & figulos pro poëtis exponi, tam omnino inſcitè q̃ imꝓbè atq; inſolentiſſimè, cũ nihil dici abſurdius atq; ineptius poſſit. Auguſtus em̃ Mecœnati illudens, affectatas illius cocozelias lepidiſſimè inceſſebat, ut qui cõſueuiſſet eius myrobrechos (ut inquit Suetonius) ac cincinnos in ſcribendo perſequi, & imitando per iocũ irridere. Quo

circa

circa perurbanè ipſum uocat mel gentium, Hetruriæ ebur, & Aretij laſar. Anneus quoq; Seneca diſcinctum Mecœnatem, eiusq; moliſſimas delitias, & portentoſam orationē appellauit, quod alibi diximus.

CAPVT XIII.

De impia et uaniſsima ſuperſtitione Templariorū, et quomodo à Clemente pontifice maximo abolita fuerit non iniocunda cognitio.

DE Templarijs hæreticis, eorumq; diſciplina & inſigni flagitio cōplura referuntur in quorundam annalibus, nos quædam pauca de his pro tempore adnotabimus. Fuerūt igitur anno poſt Auguſti imperium, circiter milleſimo & trigeſimo in Solymis ciuitate, qui ſub prætextu religionis Templarios ſe nominarunt, breuiq; tempore tantum nominis atque fidei obtinuerunt, ut præter ingenteis diuitias (quas cumularunt) templa etiam uarijs regionibus atq; urbibus adepti ſint. Eaq; ratione Templarios quidam putāt fuiſſe appellatos, quòd in templis frequentes atq; aſſidui uerſarentur. Hi aūt pro inſita hominum libidine, tanta animi inſolentia ac peruerſitate elati ſunt, ut Chriſti ſacris impudentiſſimè abdicatis, in flagitia quædam atq; fœdiſſimam falſitatem diuerterint. Traditur enim eos ſimulacrum quoddam ſummo artificio cōpoſuiſſe, cui hominis cutem ſuperinduxerant, eidemq; binos præfulgentes carbunculos ſub ipſa fronte collocaſſe, qui uice oculorum promicarent. Quod ſiquis tali factioni nomen dabat, primò ad hanc ſtatuam perductus erat, ordinemq; & uitā Templariorū perdiſcebat. Qua in re illud in primis cautū fuit ut abnegata Chriſtianę ueritatis religione ac reiecto ſanctiſſimę crucis uexillo, ſacra ritè pagerent. Morientiū prætereà cadauer in cineres adactū, cęteris in potū conferebant, qua potione firmiores atque conſtantiores

ſe

ſe futuros putabāt. Eos uerò qui ex Templarijs, uirginiſq́ cōiugio fuiſſent nati, ſubiecto igne torrebāt, ſimulq́ ex humore deliquato, ſuum ſimulacrum perungebant: quo maiorem decorem atq; religionem probarent. De his ſacerdotibus, & illud notatum eſt, quòd amore maſculorum fœdiſſimo tenerentur: quocirca creditur fuiſſe tam nefarium ſcelus detectū, atq; in Viennenſi concilio damnatum: aſſerente hoc pontifice maximo Clemente, qui Benedicto ſucceſſit. Nam eo tempore, quicunq; ex Templarijs deprehenſi ſunt, propter impiam atq; ſceleſtam diſciplinā concremati fuerunt: quæ trecentis propémodum annis perdurauit, non ſine maxima bonorum calamitate.

CAPVT XIIII.

Tertulliani uerba expoſita de Curio aleatore, & quàm nobilis tradatur fuiſſe in talari ludo: ex Marco Cicerone, Pediano & alijs.

IN libro Tertulliani (quē de Pallio inſcripſit) mētio habet̄ de Curio aleatore his uerbis: Taceo Nerones, & Apicios, & Ruffos, dabo authorē Tacitum impuritatis Scauri, & aleæ Curij, & uinolentiæ Antonij. Et memento interim iſtos ex multis togatos fuiſſe. Quo loco dubitari uideo à pleriſq; de ipſius Curij alea. Sed ne quis in hoc perquirendo nimium fatiget̄, ſciendū eſt Curium hunc fuiſſe uirum quæſtorium, ac ſatis nobilem, tēporibus M. Tullij: cuius aleam, & eruditionē in talis, poëta etiam Caluus celebrauit. Cicero in oratiōe (quam habuit cōtra C. Antonium & L. Catilinam competitores) Liciniū gladiatorem, & Q. Curiū accuſat: ut homines flagitioſos. Quocirca Pedianus Aſconius eundem Curium notiſſimum aleatorem uocauit, qui poſtea (inquit) damnātus eſt. Caluus aūt poëta elegātiſſimus tali uerſiculo aleatorē Curiū demōſtrat:

Et talis Curius pereruditus.

Vt ab eodem Aſconio traditur.

CAPVT XV.

Quid ſignificent hæ uoces, hoc eſt tricones apud Iulium Capitolinum, & lymphiones in epiſtola Phlegontis liberti, ac de lympholentis nonnihil.

IN hiſtoria Iulij Capitolini uerba hæc leguntur de Vero imperatore. Fertur & nocte perpeti alea luſiſſe, cum in Syria contraxiſſet id uitium, atq; in tãtum uitiorum Caianorum, & Neronianorum, ac Vitellianorũ, fuiſſe æmulum, ut uagaretur nocte per tabernas, ac lupanaria, obtecto capite, cucullióe uulgari, uiatorio, & commiſceretur cum triconibus, cõmitteret rixas, diſſimulans quis eſſet, ſæpeq; afflictũ liuida facie rediſſe, & in tabernis agnitum cum ſe abſconderet. Quod autem dixerit Verũ imperatorem triconibus ſe commiſcuiſſe, ac temerè inſeruiſſe, uidetũ eos homines tricones intelligere, qui gerrones à ueteribus, ſeu rixatores dicuntur, quales hi ſunt, qui contentiones ac rixas auidius conſectantur. Id ex ſatyris poëtæ Lucilij aſſumptum eſt, qui primus (ut puto) ab intricando hanc uocem deflexit. Carmen Lucilij id eſt ad Panetium:

Cotta Senex Craſſi pater huius Panœti
Magnus fuit triconum, idem manus ſoluere nulli
Lentius.

Quo loco tricones Nonius accipit pro moroſis hominibus & ad quamq; rixam paratis. Lymphiones autem pro uentoſis, & furibundis quidam exponunt, qua uoce Phlegon Hadriani imperatoris libertus eſt uſus, in epiſtola ad Seruianũ ter Conſulem. In qua omnis Aegyptios refert, cuiuſq; lymphiões artis uideri, hoc eſt (ut ego exiſtimo) diſcurſantes atq; ſatagios. Cũ podagroſi (ut inquit) & chiragrici homines habeant, in quo ſe maximè occupatos oſtendãt. Quod apud autorem Vopiſcũ comperies in uita Auguſti Saturnini. Qui-

AA dam

dam lympholentos pro eodem accipiunt, ſeu (quod idem eſt) nympholentos, quaſi furentes & debacchantes, quos Græci frequenter nympholeptos appellãt, ut à Sexto Pompeio exponitur, qui paulò tamen ieiunius etymon huius uocabuli explicauit.

CAPVT XVI.

Quis apud ueteres Aegyptios maximus omnium deus haberetur, qualiq́; imagine ſit ex oraculo Serapidis celebratus.

QVis apud ueteres Aegyptios deus deorum fuerit habitus, qualiq́ effigie, id ipſum ex celebri oraculo ſeruari poteſt, quod à Serapide Aegyptiorum deo prolatum traditur, cum Nicochreontes Cypriorũ tyrannus, paulò curioſius hoc indagaret. Sic enĩ Serapis commonuit: Eum ſupra cætera omnia pro maximo numine habendum atq; uenerandum, cuius caput cælũ foret, uenter maria, pedes terra, aures in ipſo æthere locarent̃, oculi præfulgentes, clariſſimum ſolis lumen. Sed eſt apponendum oraculum ſuis uerſibua, quo melius cõſiderari atq; clarius poſſit innoteſcere.

†μαθεῖν. Εἰμὶ θεὸς τοῖος † δὲ μαθεῖν, οἷον κα' ἐγὼ εἴπω,
Οὐράνιος κόσμος κεφαλή, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσί, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ομμ' ατά τηλαυγὲς λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Quod à Vectio Prætextato relatum eſt in cœnis Macrobianis, cum de Iſide & Serapide diſſerit. Romani autem paulò tardius in urbem acceperunt Serapidis numen, etſi magno cultu atq; ueneratione quidã principes eum proſecuti ſunt, templum ipſius in regiõe urbis noua (quę circus flaminius dicitur) locatũ fuit: quo loco, & Iſeum & Mineruam Chalcidicam fuiſſe conſtat, ut à Publio Victore traditur.

Finis libri uigeſimiquarti commentariorum Petri Criniti.

PETRI

PETRI CRINITI

COMMENTARIORVM DE HONESTA DISCIPLINA, LIB. VIGESIMVS QVINTVS.

CAPVT I.

Qui maximè homines comitiali morbo uexentur, & quibus argumentis hoc agnoſcatur ex L. Apuleio, & alijs.

IT Ariſtoteles philoſophus, & medici aliquot aſſerunt eos maximè homines comitiali morbo teneri, quia atra bile uexentur, & ingenio ac doctrinis excellant. Quod in quęſtionibus phyſicis copioſè ab Ariſtotele probatum eſt. Sed uiſum mihi hoc loco exempla quædam referre, quibus probari poſſit, eos plerũq; homines comitiali morbo affectos, qui & ingenio ſummo, & animi magnitudine præſtiterint. Neq; ob aliam cauſam medici Herculeũ appellarẽt, q̃ quòd ille infeſtarẽt tali ægritudine. Iulius cæſar extrema iam ætate animo repente, linqui conſueuit, atq; etiam per ſomnium exterreri. Comitiali quoq; morbo (ut eſt author Suetonius) bis inter res gerendas correptus eſt. Sed & Plotinus philoſophus inſignis (cuius libros digeſſit Porphyrius in nouenarios) eodem morbo laborauit, ut in Græcorum commentarijs legitur. Mitto alios compluris, qui apud authores memorantur. L. uerò Apuleius in oratione ad Claudium proconſulem, non modò hũc maiorem morbum uocari ab antiquis tradit, ſed etiã diuinum, ac ſacrũ, quòd in rationalem maximè partẽ (quæ longè ſanctiſſima eſt) deſæuiat. Quo circa religioſum fuit apud Roma. eo tẽpore cũ populo agere, quo morbo comitiali quiſq; in ſenatu opprimerẽt. A qua ſupſtitione deno-

minatum eſſe comitialem morbum grammatici exiſtimarunt. Hinc illud carmen apud A. Serenum:

Et ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt
Quòd fieri nobis ſuffragia iuſta recuſat.
Sæpe etenim membris atro langore caducis
Conſilium populi labes horrenda diremit.
Ipſe deus memorat dubiæ per tempora Lunæ.
Conceptum, talis quem ſæpe ruina profudit.

Inter alia uerò eius morbi indicia, hæc à noſtris medicis referuntur: Cum caput grauedine oppreſſum eſt, ceruix obtorpet, tempora ipſa uelut ictu quodam pulſantur, aures tinnitum emittunt, in labris rorem quendam & ſpumã reddunt, ac ſubinde oculos circũducunt. Illi autem ſanari ægrius atque difficilius dicũtur, quibus dexteræ partes magis afficiantur, quod etiam Ariſtoteles probat, ut Hippocratem & Galenũ mittamus, qui libros integros de hoc morbo compoſuerũt. Neque illud ignoratur Liuium Druſum (qui tribunus plebis fuit) cum tali morbo laboraret Anticyram contendiſſe, & in ea inſula aſſumpta elleboro cõualuiſſe. Quod à Gellio ſeruatũ eſt in Atticis noctibus ex hiſtoria C. Plinij. Solæ autem coturnices in omni animãtium genere præter hominem comitiales habentur, ut ab antiquis eſt adnotatum.

CAPVT II.

De nominibus ueterum auſpiciorum, ac de illorum ſuperſtitioſis obſeruationibus ex antiquis grammaticis.

DE auſpicijs ueterum complura à M. Tullio, Auguſtino & alijs referuntur: cum ea ferme omnia Romani auſpicato perficerent, quæ ad publica & priuata officia ptinent. Inter alia, & hæc apud authores probatos nominantur, hoc eſt cęleſtia, pedeſtria,
Cliua. ſoliſtima, canaria, peſtifera, caduca, piacularia, item cliua & inebra,

inebra, quæ fieri aliquid inhiberent: quoniã ueteres ferè cuncta ardua & difficilia conſueuerũt cliuia appellare, unde & cliui pro locis arduis dicunt. Cæleſtia uocarunt, cum tonitrua uel fulmina æderent, quo tẽpore nefas habitũ eſt apud Romanos agere quicquã cum populo, & ob eam cauſam Iouem Elicium, tonantem, & fulguratorẽ in Hetruſcorũ libris nominarũt. Pedeſtria uerò pro illis accepta ſunt, quæ ex uulpe (ut inquit Feſtus) lupo, ſerpente, equo, cæteriſq; quadrupedibus redderent. Soliſtima, quæ ex tripudijs gallinaceorum ut alibi diximus. Canaria item, quòd in illis rutilæ canes immolarent, quæ ſacra pro frugibus fiebant cõtra uredines atq; ſæuitiam Caniculæ ſideris. Peſtifera, in quibus cor ipſum in extis, aut caput in iocinere nõ extitiſſet. Caduca, cũ in tẽplo aliquid decidiſſet, in quo exauguratio facta diceretur, quod accidebat: ſi quãdo in augurando uirga augurãtis è manu decidiſſet, qua cõtemplari, & auſpicium capere mos fuit. Piacularia, ex quibus triſtia, & ominoſa portendebantur: cum hoſtia ꝓfugiſſet ab ara, aut percuſſa mugitũ dediſſet, aut in aliã partẽ corporis, quã oporteret cõcidiſſet. Mitto nunc oſcinia & regalia, de qbus cũ ab alijs agit̃, tum à Feſto Pompeio. De his auſpicijs (quæ per acumina fiebãt) nõ ſatis hactenus mihi compertũ eſt, etſi M. Cicero in libris de diuinatione hæc celebrat: Bellicã rem (inquit) maiores noſtri niſi auſpicato adminiſtrari noluerũt: quamq; multi anni ſunt, cũ bella à ꝓconſulibus & propretoribus adminiſtrantur, qui auſpicia non habẽt. Itaq; nec amnis tranſeunt auſpicato, nec tripudia auſpicant̃: nam ex acuminibus quidem (qđ totũ auſpiciũ militare eſt) M. Marcellus quinquies coſ. totũ omiſit: idẽ imperator & augur optimus. Soliti aũt ſunt ueteres augures quinq; ſignorũ genera in auſpicijs obſeruare, hoc eſt, ex cælo, ex auibus, ex tripudijs, ex quadrupedibus, & ex diris: quod à Feſto Pompeio diligenter exponi-

tur, ex commentarijs Verri Flacci.

CAPVT III.

Quanta fuerit Eſdræ ſacerdotis eruditio, & quàm mirifica eiuſdem memoria in ordinanda atq; componenda Hebræorum philoſophia, ac de cabala etiam nonnihil ex uerbis Pici Mirandulæ.

DE Eſdra Hebræo relatum id eſt, dignũ prorſus memoria atq; obſeruatione, eum quidem tam egregia, ac ſingulari eruditione præſtitiſſe, in legibus atq; diſciplinis omnibus Hebræorũ exponendis, ut uniuerſas eorũ doctrinas, in memoria habuerit. Eundem prętereà Iudæorũ litteras immutaſſe, ne cum populis Samariteis congredi poſſent, ac uolumina illa ſacræ theologiæ digeſſiſſe, eoq; ordine cõdidiſſe, quo imperãte mox Philadelpho in Græcã eruditionẽ ſunt a lxx interpretibus conuerſa, quod & Hieronymus, alijq; ueteres ita probãt, ut inter admiranda, atq; inſignia Hebræorũ referãt. Neq; ſunt omittenda hoc loco, quæ à Pico nuper Mirãdula audierim, cum ſacra hæc apud Hebræos diligentius atq; curioſius indagaret. Diuinę legis interpretatio inquit (quam Moſes ab ipſo deo accepit) ſubinde per animos reuelata eſt, & cabala appellata, quod idem eſt apud Hebræos, quod apud nos ſcientia ſecretior, ob eam ſcilicet rationẽ, quòd illã doctrinam non per litterarũ monimẽta, ſed ordinarijs reuelationũ ſucceſſionibus alter ab altero quaſi hæreditario iure ſuſciperet. Sed poſtq; Hebrǽi à captiuitate Babylonica per Cyrum reſtituti ſunt, & inſtaurato templo ſub Zorobabele ad legẽ ſubſtituendam animũ adiecerunt. Eſdras tum præfectus eccleſiæ, poſt emendatũ Moſis opus, cum intelligeret per exilia, cædes, fugas, captiuitatẽ gentis Iſraeliticæ inſtitutũ à maioribus morem tradendæ per manus doctrinæ ſeruari nõ poſſe, futurumq; ut ſibi diuinitus indulta cæleſtis doctrinę arcana perirent,

perirent, quorum cõmentarijs non intercedentibus durare diu memoria non poterat: cõſtituit ut conuocatis (qui tunc ſupererãt) ſapientibus afferret unuſquiſq; in mediũ, quæ de legis myſterijs memoriter tenebat, adhibitisq; notarijs, in lxx uolumina relata ſunt, quoniam totidem in ſynedrio ſapientes conuenerant. Qua de re qui minus fidei mihi habẽt, Eſdram ipſum audiant ita loquentem: Exactis xl diebus loquutus eſt altiſſimus dicens: Priora quæ ſcripſiſti propalàm pone, ut ea uniuerſi legant. Nouiſſimos autẽ lxx libros conſeruabis, ut eos tradas ſapientibus de tuo populo: in his ẽm uena intellectus continetur, et ueræ ſapientiæ fons & ſcientiæ flumen. Atq; ita feci. Hi ſunt (inquit Picus) lxx libri ſcientiæ cabalæ, in quibus merito Eſdras uenam intellectus, id eſt ineffabilem de altiſſima diuinitate theologiam, ſapientię fontem, de intelligibilibus, angelicisq; formis abſolutã metaphyſicen, ſciẽtiæ flumẽ, id eſt, de rebus naturalibus firmiſſimã philoſophiam eſſe, clara imprimisq; uoce pronũciauit. Hi libri cum ſumma diligentia, & incredibili ſtudio à Sixto quarto pont. Max. eſſent perquiſiti, curauit ut in publicam noſtræ religionis utilitatẽ Latinis litteris mandarẽt, quod ab eo propter importunũ obitum abſolui nõ potuit. Noſtra uerò ætate, in tanto pretio atq; religione habentur apud Hebræos, ut neminem liceat niſi quadraginta annos natũ eos attingere. Mirumq; eſt, quã cabalæ ipſius doctrina Chriſtianis decretis cõſentiat, quã eadem locis multis comperiũt, quæ apud Paulum ferè, Dionyſium, Hieronymum, Auguſtinum, & alios noſtrę religionis principes leguntur. Hactenus Picus quæ mox in ſuum opus rettulit, uir uns ætate noſtra, qui propter multiplicem rerum, & doctrinarũ ſcientiã cum omni antiquitate comparari poſſit.

CA.

CAPVT IIII.

Quid ſit apud iureconſultos præſcriptio quinq; pedum, in fin bus regundis, ac Marci Ciceronis uerba expoſita in libris de legibus.

QVæſitum eſt ſuperiori ætate à uiris doctioribus, quid nam in iure noſtro ciuili præſcriptio quinq; pedum ſignaret, qualisq; foret in ea intellectus, quam rem Laurentius Valla, & alij complures, cum non ſatis perciperent, hac una ſe ratione defendebant, quòd Ioannes Baialardus (inter eos qui ius ciuile profitent̃) uir conſultiſſimus ingenuè affirmarit, ſe illud ignorare. Nos aũt minimè ab re futurũ exiſtimamus, ſi totum hoc noſtra diligentia exponatur. Sciendum igitur ſumptum id ex duodecim tabulis fuiſſe, in quibus quinq; pedes habiti ſunt, inter uſucapiones, etſi in digeſtis ipſis Iuſtiani imperatoris præſcriptio quinq; pedum ſublata eſt, ſicuti alia permulta, quæ propter nimiã uetuſtatem abolita fuerunt, ut à Sexto Cæcilio iuriſconſulto traditur. Sed actionẽ hanc quinq; pedum ex legibus Solonis in duodecim tabulis tranſtulerũt, in qua cõtrouerſia haberetur de finibus, ſiquando ſpacium quinq; pedum interceſſiſſet. Ita enim cautum fuit à Solone, ut eſt author Plutarchus de iure uſucapionum:

Siquis in agro aliquid plantarit, quinq; pedes à uicino abeſto:
Si ficum, uel oleam, pedes nouem abeſto.

Quoniam iſtiuſmodi arborum radices longius proſerpunt, damnumq; ob id ac perniciem finitimis afferũt. C. quoq; iuriſconſultus legem Solonis citat in finibus regundis ad hũc prope modum:

Si qui ſepem: uel maceriem, ad alienam regionem eff odeřint, limitem ne excedunto:
Si murum: pedem unum, ſi domum pedes duos relinquunto:
Si ſepulchrum, aut foueam, quantum ſit altum, tantundem relinquunto:

Si

Si puteum paſſum: ſi oliuam aut ficum nouem pedes relinquunto:
In cæteris arboribus quinq; pedes ſeruanto.

Hinc Cicero perleganter & eruditè iocatus eſt in legibus, cum dixerit: ſe non permiſſurum depaſci poſſeſſionem academiæ à ſtoicis, quoniã uſucapionẽ (inquit) duodecim tabulæ inter quinq; pedes eſſe uoluerũt, quòd in finibus tantũ diſſentirẽt, in cæteris omnibus optimè cõuenirent. Iul. Nypſus de hac re meminit in libro ad Celſum quẽ de mẽſuris agrorũ compoſuit: Quinq; pedum (inquit) præſcriptione ſummota finalis iurgij uel locorum libera peragatur intentio. In quo Theodoſij, & Valentiniani imperatorũ epiſtolis citat ex quibus tolleretur iſtiuſmodi actio in regundis finibus.

CAPVT V.

Quæ foret in libris pontificum dea Tutulina, & de ſacerdotibus Tutulatis in Saturnio carmine diligenter notatum.

IN ueterum libris (qui pontificales appellati ſunt) mentio inuenitur de Tutulina dea, cuius nomen ut interpretatur M. Varro à tutando deductũ eſt. Itaq; de poëta Ennio legitur illum Tutulinæ loca habitaſſe, ut à Portio ſcriptum eſt. In magno cultu & religione fuit, adeò, ut piaculum haberetur, ſi quis eam fortè inauſpicato appellaſſet. Proinde ſic adnotatum eſt in antiquis ſacris.

Obſeruanto ferias: ſi quis Salutem, Semoniam, Setiam, Segetiam, Tutilinam inauſpicato nominaßit.

Refert Auguſtinus eius numen tutandis frumentis præfuiſſe, ut Nodinum, Patelenam, & Hoſtilinam, de quibus commodè diximus. Sed & ſacerdotes Tutulati ob eam rationem uocati ſunt, quòd in ſacris capitibus ceu metam habere conſueuiſſent, quę tutulus diceretur, quod etiamnum Chriſtiani ſacerdotes ferè cuſtodiunt. Matres quoq; familias conuo

lutos ad uerticem capitis crineis, tutulos dixerunt, ut Varro aſſerit, qui Saturnium carmen exponens, de argeis atq; tutulatis copioſè diſſeruit. Qua in re Sex. Pompeius uidetur diſſentire, qui tutulum pro ornamento capitis flaminicarũ accepit, quòd innexa crinibus purpura in uerticẽ extaret. Hinc

Tutanus. Tutulli milites, & Tutanus deus nobilis, quẽ omnes mortales (ut inquit Varro) labore affecti inuocarent, quòd ijs præſidium atq; opem afferret. Tutelares item dij qui lares, patrij, & magni dicti ſunt. Tutelariumq; ſacra ueterum annalibus celebrata, in quibus patrocinium & ſalus urbis, uelut à certis numinibus rogabatur. Fulgentius Tutulum pro pallio expoſuit, quo Rom. ſacerdotes caput obnuerẽt, cum in ſacris uerſarentur, in quo Varronis ac Numæ teſtimoniũ citat. Vnde & illud inquit Vergilianum:

Et capita ante aras phrygio uelabat amictu.

CAPVT VI.

Lapidare, & lapidationes uario ſignificatu intelligi, & quid item lapideſcere & lapire ſit.

MVltiplex ac diuerſa ſignificatio eſt in his uerbis, quæ lapidare, & lapidationes dicimus. Nam de cælo lapidatũ inter prodigia legimus, pro eo qđ eſt lapides pluiſſe, ut apud authores frequenter comperies. Hinc illud apud C. Suetoniũ de Germanici cæſ. obitu: Quo defunctus eſt die lapidata ſunt templa, ſubuerſæ deorum aræ, lares à quibuſdam familiares in publicũ abiecti. Lapidationem uerò factam in aliquem intelligere debemus, cum in eum lapides coniecti ſunt, quod ipſis principibus Romanis alicubi accidit, ut conſpiratione facta impetum atq; lapidationes contra eos populus faceret. M. Tullius hoc uerbo utitur locis multis, & in geſtis Clodij: Marcellinus (inquit) cũ grauiter queſtus eſſet de Clodianis incendijs,

dijs,trucidationibus ac lapidationibus ſentẽtiam dixit.Macrobius autem ut interdum audacior,nimiusq́; nouitatis affectator,paulò durius lapidare,pro inceſſere & notare uſus eſt.Nam cum de Laberij poëtæ mordacitate diſſerit, eiusq́; uerſiculis in C.cęſarem:Vniuerſus(inquit)Romanus populus ad unum cæſarem oculos,& ora conuertit,notantes eius impotentiam hac dicacitate lapidatam.Dicuntur etiam delapidata itinera,quæ lapide ſtrata ſunt,ut à Sex.Pompeio traditur:ſicuti dilapidare pro expugnare,& deperdere.Elapidare apud Plinium,pro eo quod eſt lapides eximere. Lapideſcere uerò apud eundem,nihil eſt aliud, quã obdureſcere & in lapidem conuerti : quod Græci λιθίζειν dicunt:In flumine (inquit) Silere ultra Surrentum non uirgulta modò immerſa,uerùm & folia lapideſcunt.Qua figura ſunt,nocteſcunt, fereſcunt,cauleſcunt,uireſcunt,opuleſcunt, luteſcunt, & alia generis eiuſdem,quibus maximè traditur delectatus Furius Antias:etſi à Ceſellio Vindice accuſat̃,quòd in his Latinam linguam dedecorauerit.Apud C.Plinium ſæpe idem comperies,quod illi neceſſarium fuit in tam uaria rerum hiſtoria,ac multiplici naturæ opere deſcribendo.Inſolẽtius uerò Pacuuius lapire dixit pro rigeſcere in tragœdia.

De lapidata itinera.

Lapire.

Lapit cor cura,ærumna corpus conficit.

Quod ipſum & Nonius diligenter obſeruauit.

CAPVT VII.

Quo nomine apud ueteres manna diceretur,ac de illius uſu & cognitione apud medicos,tum de manna thuris nonnihil.

PAulo antè accidit, ut Venetijs agerẽ, atq; in ſermone (ut fit) hominum doctiorum adeſſem,inter quos bilem mihi mouit,ne riſum dicam,quorundam medicorũ inſcitia, qui (cum de manna

mentio haberet̃) pari improbitate atq; ignorantia aſſeuera-bant, non multis antè ſæculis, neq; ante Galeni ætatem, ad noſtros inuectam fuiſſe mannã. Quod à uero maximẽ diſſidet, ſiquidẽ mannæ uſus, ut noſtri uocant, uel Tiberio cæſ. imperãte à medicis ꝓbatus eſt, tametſi alio nomine Romani authores eam appellãt, ut in plerisq; alijs contigit, quæ ad uſum uitæ ꝑtineant. Aſtipulat̃ huic ſententiæ Cor. Celſus, qui curari quædã ulcera tradit, ſi perungant̃ melle, addito rore Syriaco, aut amaris nucibus. Quo loco Syriacũ rorem pro eo intelligi oportet, quod à noſtris medicis manna Hebraico nomine uocat̃. Cuius humor (ut conſtat) Syrijs olim populis celebratus eſt. De quo cũ plures, tum Dioſcorides copioſè ad Arium ſcribit: Mannam referẽs, quæ ἰνκανδρος dicit̃ probari in Libano candore præcipuo, eamq; adulterari, ſi addatur reſina ex pinu uel tenuiſſima ſiligo, quam γῦριν appellat. Sunt qui in Papinio poëta de mãna intelligãt, quo loco Palæſtinos & Hebræos liquores nominat. Orpheus uates & hanc inter thymiamata refert. Mitto Galenũ & alios medicinæ authores, qui nobis hac in re patrocinantur. Noſtris temporibus ea maximè in precio eſt, quã Calabrenſem uocant: cuius cõmendatio habet̃ ſi albicãs & friabilis ſit. Neq; deſunt qui hanc Syriacæ præferãt. Minimè aũt me præterit, uel in ipſo thure mannam dici à Plinio & alijs micas thuris, quæ eliſæ ſunt. In thure (inquit Plinius) ex concuſſu micas, mannã uocamus. Quod & Barbarus Hermolaus nõ ignorauit, ut in ꝑquirenda omĩ antiquitate diligẽs & accuratus.

CAPVT VIII.

Quæ habita ſit apud ueteres authores minor multa, & maxima, ac de mulctandis iniurijs ex XII tabulis diligenter obſeruatũ.

APud eos authores (qui ius ciuile profitent̃) complura ac uaria de antiquorũ pœnis tradunt̃. Sed hoc loco illud adnotandũ exiſtimo, quod à grammaticis

maticis ſeruatum eſt de minore multa & maxima. In XII igi tabulis uigintiquinq; aſſes illi appellati ſunt, ad quos multa hæc minor pertineret, quod intuliſſent alicui iniuriam. Quo circa ſic in duodecim tabulis ſcriptum fuit:

Si quis iniuriam alteri faxit uigintiquinq; æris pœnæ ſunto.

Tunc enim ſinguli aſſes librarij erant, quos ſenatus, populusq; Romanus in uſu haberet, ut à Sex. Cæcilio iuriſconſulto aſſerit. Neq; me latet paulò mox hanc legem de uigintiquinq; aſſibus fuiſſe abolitã, & à prætoribus reiectam, iudicesq; additos recuperatores, qui damnũ illatæ iniuriæ uindicarent. Quod & Q. Labeo rettulit, ut à Gellio in Atticis cõmẽtarijs ſcribit. Notum præterea eſt, quòd ex his litteris ſignarent, qui tali pœna eſſent damnati: V.Q.A.L.K.S. hoc eſt, uigintiquinq; aſſes legitimè condemnati ſunto. De maxima pœna, quæ ſumma & ſuprema dicit, ſcriptũ eſt à Pompeio in hunc modum: Multam maximã ueteres illam uocarunt, quæ triũ milliũ & XX aſſium foret: ſiquidem nefas habitũ eſt, quemq; pluris, quã XXX bobus, & duobus ouibus multari. Exiſtimatur aũt bos centuſſibus, ouis decuſſibus, diuq; ſeruatũ Romæ fuit per ipſas pecudes multare ciuiũ delicta, in quibus ferè ſuas diuitias habuerũt: unde pecunia & peculiũ nomen accepit, quod à Columella, & alijs pluribus tradit. Nõ me præterit hac in re diſſentire A. Gelliũ, qui minorem multã ad unũ ouem referri ſcribit, ex authoritate M. Varronis: Cum citatus (inquit) eſt reus neq; reſpondit, excuſatus non eſt. Ego ei unũ ouem multã dico. De pœnis uerò in hunc modum Cicero: Octo (inquit) pœnarũ genera in legibus continent, hoc eſt, damnũ, uincula, uerbera, taliones, ignominiæ, exilia, ſeruitutes, & mors. De quibus anno ſuperiore, cum Ferrariæ agerem in palatio Herculis principis, permulta diſſerui, cum Pandulpho Collenucio iuriſconſulto, qui ætate noſtra ueteres omneis diſciplinas ſtu-

locuples eſt, quantis opibus ac diuitijs excellit, neminémq; exiſtimamus habere prudentiam, aut præſtare ingenio, præter hos homines, qui magnis largitionibus, & ambitioſis ſumptibus, ſeſe ampliores, clarioresq; demonſtrant. Quo fit, ut quæſtū pro innocētia, pro uirtute diuitias, pro ſapiētia aurū habeāt. Quod ab ipſis academicis probatur, qui diuites plerunq; malos eſſe referūt, atq; alijs ꝑnitioſos: quoniam cæteros omneis deſpiciunt, cum ad auri fulgorē, quaſi ad ueram felicitatē omnem uitæ curſum atq; induſtriā dirigunt. Hactenus Canaccius. Qua in re Euripidis poëtæ carmē aſcribendum eſt, quod ab eo ſub auari diuitis perſona refertur:

Sine me uocari peſſimum, ut diues uocer:
An diues omnes, quærimus, nemo an bonus.
Non quare, & unde, quid habeas tantum rogant:
Vbiq; tantus quiſq;, quantum habuit fuit.
Quod eſſe nobis turpe ſit quæris, nihil:
An diues optem uiuere, aut pauper mori.
Bene moritur, quiſq; moritur dum lucrum facit,
Pecunia ingens generis humani bonum.
Cui non uoluptas matris, aut blandè poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens,
Tam dulce ſiquid uenit in uultu micat
Meritò illa mores, cælitum atq; hominum mouet.

In his Euripides prædiuites homines, eorumq; inſolentiam pereleganter accuſat, quorum inanis gloria eſt, & bracteata felicitas, ut ab Anneo Seneca ſcribitur.

CAPVT IX.

De oraculis, quæ ederentur in Dodone, ex ſonitu peluium, & Auſonij poëtæ carmē expoſitum.

IN epiſtola poëtæ Auſonij leguntur hi uerſus ad (Paulinum:

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni:
Ad numerum quoties radijs ferientibus ictæ:

Reſpondent

Reſpondent dociles moderato uerbere pelues.

In quibus Paulinum ipſum arguit nimij ſilentij, cum omni a quidem animantia (ut inquit) uocem aliquam emittant, ni hilq; ſit à natura conſtitutum, in quo nō reddatur aliquis ſonitus, ut in ſiſtro, cymbalis, ac peluibus Dodonæis. Vt autem hoc intelligatur de ſonitu Dodonæo, legendi ſunt Græci authores, qui morem fuiſſe referunt, uti uaticinantes mulieres ad quercum agerent, quæ in urbe Dodone erat. Qui uerò ad capiendum reſponſum ingrederentur, protinus moueri quercum, ac ſonitum fieri credebant. Ibi enim ſtatua uiſebatur, uirgam ferens, qua lebetem (qui propè aderat) percutiebat. Ex quo reſponſum (ut inquit Auſonius) moderatis ictibus pelues referrent. Hinc à P. Vergilio Dodonæi lebetes dicuntur. Hoc ipſum de reſponſis Dodonæis per ſonitum, cum locis multis apud Græcos exponitur, tum in Sudæ collectaneis. Auſonius pelueis poſuit, quos Græci lebetes nominant. Quod idcirco notandum fuit, quoniam epiſtola hæc Auſonij, à pauciſſimis adhuc legitur, neq; ſunt referēda hoc loco, quæ Herodotus atq; alij ſcribunt de Dodonæis columbis & oraculis, quoniam nihil ferè pertinent ad explicādum Auſonij carmen.

CAPVT X.

Quid ſit ſonticus morbus in legibus decēuiralibus, & cauſa ſontica, quoue ſignificatu accipiendum ſit ſontire uerbum, ex ſententia iuriſperitorum.

SExtus Cæcilius & alij ueteres iuriſperiti (qui duodecim tabulas interpretati ſunt) morbum ſonticū pro uehementi, & grauiſſima ægritudine acceperunt. Caſſius uerò, & Venuleius (ut in pandectis habetur) pro iuſto & perpetuo ſonticum exponunt, quòd alió qui rei gerendæ impedimēto eſt, proindeq; in militaribus decretis, non tenebatur is eſſe iureiurando aſtrictus, qui ſontico

tico morbo eſſet affectus, quod apud authorem Cincium obſeruauit Gellius. Iurabant enim milites (qui ſcripti erant) ſe affuturos pro uoluntate & imperio conſulis, niſi harunce cauſa aliqua interceſſiſſet, hoc eſt, funus familiare, feriæ deni cales, calendæq́. Quæ non eius rei ergò in eum diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet, morbus ſonticus, auſpici-um'ue, quod ſine piaculo præterire non liceret, ſacrificiúm ue, anniuerſarium, quæ uerba in Atticis noctibus deprauata ſunt. Caius Plinius eſt author eius lapidis ſuffitu (qui Gaga tes uocatur) morbum ſonticum, & uirginitatem deprehen-di, definitumq́ eſt à Marco iuriſciuilis, legumq́ peritiſſimo qua in re ſonticus morbus à febri differat, cum de habendis, probandisq́ iudicijs differit. Apud poëtam Neuium ſonti-ca cauſa, pro iuſta & legitima exponitur. Sonticam eſſe opor tet cauſam, quamobrem perdas mulierem. Aelius ſtilũ ſon ticum exiſtimauit pro noxio dictum: unde ſontes homines pro obnoxijs & deperditis, & ſontire uerbum (ut refert Pom peius) pro eo, quod eſt in aliqua re obeſſe, & grauiter noce-re. Quæ tamen uox propter nimiam antiquitatem, atq; inſo lentiam, magis intelligenda eſt, quàm uſurpanda, ne illorũ ingenia ſcribendo imitemur, qui ſuis ineptijs ac friuolis affe ctationibus impudentiſſimè contaminant Latinam eruditio nem. De hoc ipſo morbo & Perottus Sipontinus diligen-ter multa perquiſiuit, ne uidear eius uiri ſtudi-um contempſiſſe, qui de omnibus qui-dem litteris eſt optimè meritus.

CAPVT XI.

De nominibus & poteſtate deorum apud ueteres, & quã inanis ac futilis eorum ſuperſtitio foret copioſè enarratum.

MArcus Varro & alij ueteres complures diligẽter quæſierunt de Romanis dijs, eorumq́ poteſtate. Nos hoc loco breui adnotatione quadam colligemus, ut facilius agnoſci atq; intelligi poſſit quã friuola, inanis, ac prorſus ridicula fuerit eorum ſuperſtitio quæ res illorum ſtudiũ atq; cõmentarios inſtruere & adiuuare poterit, qui de antiquorũ ſacris atq; ferijs ſcripſerunt. Auſpicabimur uerò à dijs maioribus & quaſi patricijs, deinceps ad alios accedemus. Iuppiter (quẽ optimum maximũ dixerunt) pro ſublimi æthere acceptus eſt, in qua allegoricè poteſtatem totius luminis intellexerũt, unde Lucetius, Dieſpiter, Elitius, Fulminator, & Feretrius uocatur. Iuno pro aëre, quòd elemẽto ſuperiori ſubditũ ſit, & ob id Lucinã, Fluonã, Hecaten, Matrẽ, & Dianã nominarũt. Neptunus ad maria, Pluto refertur ad terrã, eosq́ cũ ſuis coniugibus Salacia & Proſerpina cõponunt. In focis domeſticis Veſta collocatur. In fabrorũ fornace Vulcanus, quibus ignea ferè atq; feruidiora (ut inquit Varro) conueniũt. Sic enĩ de Veſta in antiquis legibus:

Virgines Veſtales ignẽ foci publici ſempiternum cuſtodiunto:
Publicè & priuatim modo, rituq; agunto.

In uaticinijs atq; diuinationibus Apollo, cuius numẽ atq; egregia poteſtas cũ ab alijs multis, tum à Vectio Prętextato deſcribit in cœnis Macrobij. In emundis, uendendisq́; mercimonijs Mercurius, cuius feſta ob id à mercatoribus magno cultu ſeruata ſunt. In Iano rerum principia, ianitores, portitores, meſſores, ac terminatores, eundem põtifices

mul-

multis uarijsq́ nominibus uocant, ut Geminũ, Bifrontem Quadrifrontem, Patrem, Quirinũ, Iunonium, Cluſiuum & Patulciũ in ſaliari carmine deus deorũ eſt appellatus. In Saturno tempora et grates cui ſarculorũ inſitões, pomorũq́ eductiões & omnẽ agri colendi diſciplinã tribuũt. Quo nomine à Romanis etiã Stercutius creditur dictus (ut eſt author Prætextatus) quòd ab eo ſit inuentũ, ut in ſtercorandis agris fœcunditas adderet. Martem et Bellonã ad conflictus & cædes referunt. Cererẽ cum ſuo Triptolemo ad frumenta & ſegetes. Liberum ad uiteis & uineas, quem Bacchum Bromiũ Lenæumq́ dixerunt. Dianam ad lucos, nemora & ſyluas. Mineruam ſeu Palladem ad ingenia, diſciplinas & arteis, quam Cicero etiam inter patrios deos & urbis cuſtodes locat. Hactenus de dijs maioribus: plebei & ignobiles ingentem turbam ac infinitum quaſi agmen conficiunt, ut nihil propè inueniatur in officijs uitæ mortalium, quin ad aliquod numen rettulerint. Qua in re probant, quàm ridiculæ uanitati honores dicarent. In his quæ ad hominum uitam, educationesq́ pertinẽt, Statilinum, Statanũ, Fabulinũ Vagitanũ, Pilunnũ, Picunnũ, Cuninam, Leuanam, Ruminam, Edulicam, Potinam, Carnam. Statalinum & Statanũ quòd eo tempore pueris præſideant, cum ſtandi & conſiſtẽdi poteſtatem habent. Fabulinum & Vagitanum, cum fandi ac uagiendi auſpicium eſſet. Picunnum uerò & Pilunnũ pro dijs coniugalibus acceperunt, in quorum æde lectiſternia parabantur, unde pueris uitæ præſidium foret, ut à Mar. Varrone traditum eſt. Cuninam cum in cunis agerent. Leuanam cuius ope de terra ſubleuarentur. Ruminam quòd exugẽtibus opem ferret; nam ueteres rumam pro mamma acceperunt, unde ſubrumi agni, ac ficus ruminalis apud authores nobilis. Edulicam & Potinã quòd eſcam atq́ potiones exhibeant, Carnam quòd humanis uitalibus præeſſet

cui ſacrum in Cœlio monte conſtitutũ fuit. Volupiã quocꝫ & Libentinã, propter uoluptates & libidines. Ad officia hominũ Adeonam, Albeonã, Volunã, & Volunum. Vacunam prætereà & Feſſoniã, propter uacantes & feſſos. Hinc apud Horatiũ Vacunæ templum celebratur. Pelloniam ad hoſteis depellendos. Agenoream, Strenuã, & Stimulam quod excitarent ad agendum, & excitatos ſtimularent. Numeriã ad numeros. Quietã & Murcidam propter quietem ac deſidiam, quoniã murcidos (ut ait Põponius) pro deſidioſis atcꝫ ignauis habuerũt, cuius templum in Auentino fuit, ob eamcꝫ cauſam (ut creditur) Murcus eſt appellatus. Virtutẽ prætereà, Mentem, Honorẽ, Fidem, Victoriam, Pietatem, Concordiam pro dijs ſtatuerũt, ut omittamus Metũ, Spem Pallorẽ & Febrem, cuius ędes in palatio collocatur. In morbis Angeronã, Orbonã, Proſam, Poſtuertã, quibus templa conſtituerũt, ut quiſcꝫ præcipuè illos coleret, quorũ auxilio magis egeret. Tanta eſt ambitioſæ mortalitatis ſocordia. Sentiam, dicendis ſententijs. Conſum, conſilijs præpoſuerunt, unde conſualia, feriæ publicæ, & in circo ludi ad aram Conſi, propter raptum Sabinarũ. Carmenta ad fata, Camœnæ ad cantus relatæ ſunt, quarum ædes in regione urbis quę porta Capena dicitur. Vitunus & Sentinus ad uitam & ſenſus. In cõiugijs quocꝫ menſtruis, partu, & funeribus deos confinxerũt, ut Syluanũ, Deuerram, Intercidonẽ, Domiducum, Domicium, Manturnam, Virginenſem, Subigum Premam, Partũdam, Populoniã, Menam, Tellumonem Ruſonem, Orcum quem dixerũt etiam Quietalem & Neniam, cuius templum fuit extra portã Viminalem. Ad frumenta & ſegetes Segetia, Seia, Tutilina, Proſerpina, Nodinus, Volutina, Pataiena, Hoſtilina, Flora, Lactucina, Matura, Rũçina, Rubigus, Auerrũcus & Spinẽſis, Segetia cui ſegetes ipſę cõmendantur. Seia quæ ſatis frumẽtis opitulat

anteq; è ſolo exiſtant. Tutulina collectis atq; recōditis Pro/
ſerpina germinātibus. Nodinus geniculis et nodis culmorū
Volutina inuolucris illis folliculorū. Patelena cū pateſcūt fol
liculi ut ſpica exeat. Hoſtilina cū ſegetes nouis ariſtis coęquā
tur, qm̄ ueteres hoſtire et hoſtimentū dixerūt pro exęquati/
one. Florā, Lactucinā & Maturā uocarūt: quoniā florētibus
lactentibus, et matureſcētibus pręſidio ſint. Rubigū ne con
trahant rubiginē qua interdum ſegetes occupantur. Auer/
runcū ne auerrūcari ulla tempeſtate aut couelli poſſint. Rū/
cinam ad runcationes. Spinenſem propter ſpinas & uepres
Pomonā propter poma quā magna religiōe coluerūt unde
Pomonales flamines et ſacra in pontificū cōmentarijs tradi
ta. Fructeſam propter fructus. Aeſculanū & Argentinū ab
ære et argento. Quo circa diuus Auguſtinus (ut eorū demē
tiæ illuderet) Aurinū adiecit. Ad agros et latifundia Rurinā
deam ruri tribuerūt. Collinā collibus, Valloniam uallibus
Iugatinū montium iugis, Forulum foribus, Cardam cardi/
nibus, Limentinū ac Terminum, limitibus ac terminis: un
de terminalia ſacra in pontificū faſtis relata. Palem paſtori/
bus, Empandam paganis, Arculum arculis & capſulis, La
uernam furunculis, qui ob id (ut puto) Lauerniones uocati
ſunt. Fornacem fornacibus, & hinc fornacalia ſacra farris
torrendi gracia. Prætereo Nundinam, Tanagream, Allocu
tiū, Anteuortam, Matutam quæ Leucothea dicitur. Larun/
dam, Monetam, Februū, Furinam, Fidiū, Larentiam, Muti
num, Alburnū, & Inuū ſeu Panem cum ſua canna, Maie/
ſtam quoq; Cloaciniā, Veniliam, & Maniam, in cuius ho/
nore compitalia eſſent conſtituta. Opem conſiuam, Bonū
euentū & Vertunnū qui Hetruriæ deus exiſtimat̄. Jn qua
deorū colluuione agnoſcūtur urbani, ruſtici, militares, agre
ſtes, patricij, opifices, funerarij, coniugales, deſidioſi ac fru/
mētarij de quibus accuratiſſimè ſcriptum eſt à Marco Var/

rone in libris de rebus diuinis, quos ad Caium Cæſarem miſit. Nos Auguſtinum in his, Tertullianum, Lactantium & alios complureis ſecuti ſumus, qui ex Varronis theſauris talia collegerunt. Sic autem ſcriptum fuit in antiquis legibus de ipſis dijs:

Ollos diuos (qui cæleſtes ſemper habiti) colunto,
Ollosq; quos in cælum merita uocarunt,
Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum,
Et ollis propter quæ datur homini aſcenſus in cælum,
Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, delubra ſunto,
Nec ulla uitiorum ſacra ſolennia faciunto,
Certasq; fruges, certasq; baccas publicè libanto.

Quæ ueterum flagitia, ineptamq; ſuperſtitionem, authores noſtri, prolato crucis uexillo ſic deiecerũt, ut ipſam quidem ueritatem, non tantum è Cleantis puteo extraxerint, ſed ad communem omnium utilitatem ſuper montem (ut inquit Hieronymus) collocarint.

FINIS.

ADMONITIO

ADMONITIO OPERIS AD LEGENTES.

ABſoluta ſunt ad hunc diem uolumina uiginti quinque de honeſta diſciplina, in quibus plurimum diligentiæ ac laboris poſui, quo prodeſſem cæteris, & meo nomini conſulerem in tanta ſtudiorum uarietate, et erunt hæc ueluti ſubſidia quędam quibus memoria reddi inſtructior poſſit atq; locupletior in his omnibus, quæ ad uſum uiuendi, eruditionemq́; antiquitatis pertinere uideantur. Neq; poſt hac defuturi ſumus incepto operi, iuuandi bonorum ingenia, quoniam ſemel huic militiæ nomen dedimus. Neq; licet à ſignis diſcedere, aut aciem refugere. Aedentur paulo mox libri complures quos inſcripſimus epiſtolicarum reſponſionum. Nam docendo, uigilando & ſcribendo magis cupio fatigari, quã malo otio atq; uoluptatibus (ut pleriq; faciunt) animum deprauare in ea præſertim ciuitate, in qua ambitio pro uirtute, pro modeſtia improbitas, eruditio pro deſidia habetur. Satis autem mihi futurum eſt, ſi conſeneſcere in hoc noſtro otio licuerit atq; uitæ reliquũ diſponere, ut omnes facilè intelligant nullo modo me defuiſſe præclaro inſtituto bonarũ diſciplinarum, quod ab ineunte ætate ſuſcepi. Et quoniã decet agentem negotiũ poſteritatis potius bonis aduigilare, quã multis, ea potiſſimũ ratio me monuit, ut meipſum probarẽ liberalibus ſtudijs, q̃ ut infami ambitu, prauisq; artibus laudẽ nominis atq; gloriã quęrerẽ. In his uerò cõmentarijs legem hanc uolumus aſcriptã è ſacris Elenſinis, quę plebis inertiã profanũq; uulgus longè arceat, quoniã pauloantè experti ſumus nihil magis obeſſe probis ingenijs atq; optimis inſtitutis, q̃ rudem imperitorum audaciam, quæ nullo quidem iudicio aut ratiõe, ſed inſcitia atq; libidine omnia expendit,

ꝙ ſicubi de ueterū dijs ac religiōe(ut fit)diſſerui,hoc ipſum ꝑpterea factū à nobis eſt,ut literis humanioribus cōſuleret. Neq; renouare quicquam uolumus, aut eam ſuperſtitionē probare(ut quidam temerè obloquuntur,quam non modò reieci ut uanam & improbam,ſed ut nefariā,flagitioſamq; locis multis coargui.

Legis cautio contra ineptos criticos.

Quoi legent hoſce libros maturè cenſunto,
Profanum uolgus,& inſcium ne attrectato,
Omneisq; legulei,blenni,barbari procul ſunto,
Qui aliter faxit:is ritè ſacer eſto.

FINIS COMMENTARIORVM PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA.

PETRI CRINITI PRAEFATIO librorũ de poëtis latinis ad Coſmum Paccium pontificem Arretinum.

LIbros noſtros de poëtis Latinis Coſime pontifex Arretine, tuo nomini dicare conſtitui, qua in re uideri poſſum, rectè atq; ordine feciſſe. Multa enim (ut cõſtat) magno cultu atq; ueneratione haberi ſolent, quòd ipſis templis deorũ ritè dicata ſunt, quo magis tibi gratulandum eſt, qui ſumma eruditione, optimiſq; diſciplinis excellis. Ego uerò permultùm in hoc opere elaboraui, ea perquirẽdo ac diligentiſſimè obſeruando, quæ ad hanc hiſtoriæ partem cõponendam pertinerent. Neq; mihi conſilium fuit ea omnia complecti, quæ infinitis penè authorum commentarijs traduntur. Multa de induſtria prætermiſi, ne quis fortè diceret plus laboris atq; ſtudij à me impenſum in congerendis poëtis, quàm prudentiæ ac iudicij in eligendis. Itaq; fore quidem exiſtimo hos libros minimè ingratos illis hominibus, qui rectè iudicare uoluerint, neq; præterea obſcurum eſt, quantum Romana ciuitas in hac ſtudiorum facultate claruit, ſiquidem Romani etiam principes, aucto imperio, & rebus clariſſimè geſtis, magna cura, incredibiliq; diligentia poëticam coluerunt. Octauius Auguſtus, Germanicus Cæſar, & alij plures maxima animi uoluptate in hoc diſciplinarum genere uerſati ſunt. Nos à Liuio Andronico exorſi ſumus, qui princeps apud Latinos habitus eſt, in ædendis carminibus, ut ſuo loco à nobis dicetur. Peruentumq; eſt uſq; ad Theodoſij Auguſti tẽpora, quibus Romana omnis eruditio ſimul cum maieſtate imperij cõminuta eſt, ingruentibus in Italiam uarijs populis atq; Barbaris nationibus. Idq; effecimus ſumma breuitate, imitati Suetonium Tranquillũ, his maximè libris, quos de grãmaticis ac

rhetoribus Latinis compoſuit. Neq; deſunt exempla doctiſſimorū uirorum, qui de poëtis apud ueteres diligēti ſtudio ſcripſerūt, ut apud Græcos Zeno Cythieus & Ariſtoteles, apud nos M. Varro & Vulcatius Sedigitus, quorū opera interciderūt iniuria longæ uetuſtatis. Eorum nos induſtriā ſequimur. Nihil enim potius aut antiquius mihi poteſt accidere, quā uerſari in hoc liberali officio bonarū diſciplinarū, etſi nullū omnino præmiū conſtitutū eſt probis ingenijs propter aduerſam rerum fortunā, & iniquiorem temporū cōditionem. Sed nolim uideri cuiq; in hac parte nimis ambitioſus, referendis his malis, quæ noſtra tempeſtate inualeſcunt. Laurentius Medices auunculus tuus, cum illi relatum foret in ciuitate ſua nonnullos eſſe, qui præclaro ingenio ac excellenti eruditione præſtarēt, primū lætitia incredibili affectus eſt: deinde multū his pollicēdo, clareq; & munificè agendo effecit, ut & benemeriti uiderent̄ de ſuis ſtudijs, & acrius atq; attentius indies puigilarent in proſequēdis atq; excolendis optimis diſciplinis. Haud ēm ſatis dignā exiſtimauit, uir, cōſilio, & prudentia clarus, in ciuitate ſua eos homines haberi ſine ulla mercede, qui aſſiduā operam, ſingularemq; induſtriam ponerent in tam præclaro opere, indagandæ atq; illuſtrandæ antiquitatis. Sed his miſſis ad inſtitutū noſtrū accedamus, quo per ſuas ætates poëtæ omnes epici, comici, tragici, lyrici, & alij ueteres trāſigantur, qui apud Latinos in hoc ſcribendi genere præſtiterūt. Et ſanè nihil toto opere magis me ipſum uariè agitauit, quā diuerſa ſcriptorum traditio de tēporibus, cum magna ex parte inter ſe longè diſſentiāt. Tu interim munus hoc noſtrū læto animo capias monimentū quidē ꝑpetuū ſummæ erga te beniuolētiæ. In quo teſtes habemus locupletiſſimos, cū alios plureis, tū Ber. Oricellariū cuius libri de urbe Romana facilè ꝓbaturi ſunt omībus poſteris, quantū illius diligētiæ iure optimo ſit concedendū, in obſeruandis atq; illuſtrādis antiquorum monimētis. Bene Vale Kalen̄ Nouembris. M. D. V.

DE ORIGINE POETICES APVD LATINOS.

QVi apud ueteres Latinos paulò diligētius de poëtice ſcripſerunt, eiusq; originem accuratè inueſtigarunt, ſerò aſſerunt à Romanis fuiſſe hanc facultatem receptam, annos poſt urbem conditam ſupra CCCC. Ante id tempus Romani ciues illi habebantur nobiliores atq; egregij, qui ſtrenuè pugnando acres forent, ac in rebus gerendis excellenti animo & uirtute pręſtarēt. Sic laudabāt bonus ciuis Romę ut bonus colonus, & fortis miles. Quo nomine malebāt ea tēpeſtate ab alijs ſua geſta deſcribi, quàm ipſi aliorum narrare. Sed poſtea quàm imperiū ad id magnitudinis acceſſit, ut rebus clariſſimè geſtis, pacē ſibi & pacis cōmoda uindicaſſent, ſatis pulchrū atq; magnificū putabāt reipub. operam nauare, & in ſenatu bene dicendo, reliquisq; diſciplinis pcipiendis ingeniū ſuum inſtruere. Atq; ut de poëtica rectius, ordineq; agat, imperante adhuc Numa Pompilio, & occupata iam tum armis ciuitate, ſaliorū carmina facta ſunt, quæ ſacerdotes gradiui Martis ancilia geſtantes, cū tripudijs & ſolemni ſaltatu certis diebus decantarēt. Et hęc quidē inculta atq; incondita tradunt fuiſſe pro temporū uetuſtate, ppterea q; parū poſteris ſæculis intellecta. Paulo mox cantica quædā & deuotionū ſacra uulgata ſunt, laudesq; deorū immortaliū uerſibus abſolutæ, qbus more ſuo deos cōprecari conſueuerūt, aut expiare urbē inſigni aliquo pdigio. Neq; tū Romæ defuerūt qui uaticinijs æditis popu. Romani facta deſcriberēt, ut Pub. Licinius Tegula, & Marius Vates, q pobſcuris uerſibus futuras cladeis Punicis bellis prænūciauit, ac de ludis præterea Apollinaribus carmē reliquit. Per eadē ferme tēpora (quantū ex antiquorū monimētis colligere poſſumus)

primus omnium ſtudiū poëtices in urbē intulit Liuius Andronycus, eamq́; facultatē illuſtrare cœpit ædito carmine de bello Punico, ut ſuo loco proſequemur. Auxerūt hanc paulo mox, præcipueq́; inſtruxerunt, Q. Ennius, M. Plautus, Næuius, Paccuius, Accius & Lucilius, qui Græcorū diſciplinas imitati, permultū excoluerūt ſuis fabulis atq; carminibus Romanorum ingenia. Qua in re illud minimè prætermittendum exiſtimo, quod à M. Catone relatū eſt, poëtas ipſos principio in urbe contēptui habitos, & craſſatores uulgo appellatos, qui poëticæ ſtudio tenerent. Quo circa minimè mirari oportet, ſi M. Fuluio nobiliori uitio datum eſt, quod is conſul cum eſſet, in Aetholiam prouinciā Q. Enniū ſecum duxiſſet. Factū tamen eſt, ut paulo mox principes etiā uiri aucto imperio, & domi, foriſq́; pace adepta, ad hanc ſtudiorum partem animum inclinarint. Summoq́; cultu, atq; honore illos habuerūt, qui carmine abſoluēdo uiderent admodū excellere. Gratiſſimus fuit P. Scipioni Ennius, Marito, L. Plotius, C. quoq; Lælio uiro clariſſimo, P. Terētius, qui adeò familiariter cum eo uixiſſe traditur, ut illius fabulæ à nonnullis Lęlio aſcribant. Decius præterea Brutus uir, maximus, atq; imperator egregius, magnopere poëtam Accium dilexit, nullam quidem ob aliam rationem, præterquā quòd in ſcribendo carmine præclaro ingenio foret. Hinc ſacratū in ipſa urbe Muſis templū, & magna religione habitū: quoniam exiſtimarēt à Gratijs abeſſe illorum ingenia, qui paulò indoctiores haberent, & quaſi a Muſarū ſacris alieni. Sed hæc non debeo proſequi longiori oratione: nam ſecreto opere de hac materia diligentiſſimè complura collegimus, quæ ſuis & ipſa temporibus ædentur ad cōmunem ſtudioſorum utilitatē. Nunc ad eos poëtas accedemus, qui ſcribendis carminibus præcipuè apud Latinos claruerunt.

MOnendi ſunt qui legent hos libros, ne uitio mihi uertant, ſicubi uiderint litteras nonnullas perperam locatas, id enim neceſſariò accidit, dum ipſi opifices (qui libros formis excudũt) in rem ſuam attentiores complura paßim peruertunt, aut temerè poſtponunt: quo fit, ut quædam litteræ egrediantur de præſcripto, aliæ interdum ſubſiſtant: qui ſunt paulò doctiores perfacilè hæc agnoſcunt atq; inter legendum corrigunt in cõmunem ſtudiorũ utilitatem, ad eos prouocamus, ne uideamur decedere ab inſtituto noſtro probandi mea ſtudia illorum iudicijs, qui magis rationem ipſam ſequuntur, quàm libidinem in cenſendis atq; æſtimandis ingenijs. Reliquum eſt, ut ſubijciamus eorum poëtarum nomina, de quibus egimus per ſingula uolumina.

Ex libro primo	
Liuius Andronicus epicus	Caput I.
Q.Ennius epicus	ij.
M.Plautus comicus	iij.
Gn.Neuius comicus	iiij.
M.Pacuuius tragicus	v.
Statius Cæcilius com.	vi.
L.Accius trag.	vij.
Pub. Terentius com.	viij.
C.Lucilius Satyricus	ix.
Sex.Turpilius com.	x.
Gn.Matius mimographus	xi.
L.Afranius com.	xij.
Fabius Dorſennus com.	xiij.
M.Attilius tra.	xiiij.
Q.Trabeas com.	xv.
Gn.Aquilius com.	xvi.
C.Licinius Imbrex com.	xvij.
Q.Nouius com.	xviij.
Ex libro ſecundo.	
T.Lucretius phyſicus	xix.
L.Pomponius Bononienſis com.	xx.
Decius Laberius mimographus	xxi.
Q.Catullus epigrãmatũ ſcriptor	xxij
Q.Atta com.	xxiij.
Pu. Syrus mimographus	xxiiij.
Portius Licinius epigram.	xxv.
Valerius æditus epigram.	xxvi.
C.Valerius Catullus epi.	xxvij.
Cor.Licinius Caluus epigrã.	xxviij.
Q.Cornificius epigram.	xxix.
C.Heluius Cinna	xxx.
M.Furius Bibaculus	xxxi.
Pu.Terẽtius Varro Atacinus	xxxij.
C.Ticida epigram.	xxxiij.
Fu.Antias	xxxiiij.
L.Iul.Calidius	xxxv.
Laurea Tul.	xxxvi.
Ex libro tertio.	
Pub.Verg.Maro heroicus	xxxvij.

Q.Horatius Flaccus xxxviij.
T.Valgus xxxix.
Albius Tibullus elegiacus xl.
M.Mallius mathematicus xli.
Cn.Cornelius Gallus xlij.
Sex.Aurelius Propertius elegi.xliij.
Lu.Varius tragic. xliiij.
C.Mecœnas xlv.
Pub.Ouidius Naſo xlvi.
Caſſius Seuerus xlvij.
Domitius Marſus epigr. lxviij.
Iulius montanus xlix.
C.Germanicus l.
Au.Cæſius Baſſus lyr. li.
Aemilius Macer Veronenſis lij.
C.Rabirius liij
L.Anneus Seneca trag. liiij.
C.Aſinius Gallus lv.
A.Perſius Flaccus ſatyr. lvi.
Cor.Seuerus lvij.
M.Anneus Lucanus lviij.
Pomponius Secundus trag. lix.
Gn.Getulicus epigr. lx.
Sextilius Hena Hiſpanus lxi
Saleius Baſſus epicus lij
Clodius Sabinus lxiij
C.Pedo Albinouanus liiij
Vulcatius Sedigitus lxv

Ex libro quarto.

Pub.Statius Papinius heroi. lxvi.
Silius Italicus hero. lxvij.
Val.Flaccus Setinus heroi. lxviij.
Aruntius ſtella lxix.
Dec.Iunius Iuuenalis ſatyricus lxx
M.Va.Martialis epig. lxxi.
Sentinus augur epigr. lxxij.
Veſtritius ſpurina lyr. lxxiij.
Voconius uictor epig. lxxiiij.
L.Paulus Paſſienus eleg. lxxv.
T.Annianus po.feſcen. lxxvi.
M.Mimographus lxxvij.
A.Serenus lyricus lxxviij.
Vergilius Romanus com. lxxix.
Feſtus Ruſſus Auienus lxxx.

Ex libro quinto.

Alphius Auitus lxxxi.
Septimius Afer lxxxij.
T.Caphurnius Siculus lxxxiij.
Aurelius Olympius Nemeſianus caput lxxxiiij.
Maurus Terentianus lxxxv.
Cl.Claudianus Alexādrinus lxxxvi.
Dec.Auſonius Gallus lxxxviij.
Danuſus Hiſpanus lxxxix.
Iuuencus Hiſpanus xc.
Aurelius Prudentius Clemens xci.
Pontius Paulinus xcij.
Licentius Hipponenſis xciij.
Venātius Honorius Fortunatus xciiij
Fauſtus Gallus xcv.
C.Sollius Sidonius Apollinaris xcvi.

FINIS.

PETRI

PETRI CRINITI

DE POETIS LATINIS, AD COSMVM PACIVM PONTIFICEM ARRETINVM, LIBER PRIMVS.

Liuius Andronicus epicus Caput I.

L. Liuius cognomine Andronicus, poëta epicus habitus eſt. Romæ floruit poſt urbē conditam, annis paulò ſupra quadringentis, quæ res probis authoribus confirmatr. In annalibus enim quos habemus à Græcis, plerūq; annorum ſupputatio falſa eſt, & hiſtoriæ ueritas corrupta. Marcus Cicero, & alij ueteres Liuium hunc referunt primùm dediſſe fabulas apud Latinos, eoq; maximè tēpore reſtitiſſe, quo ſenatus, populusq; Romanus pacem fecit cum Pœnis. Gellius autem ſcriptor nobilis, & in perſcrutanda omni antiquitate diligens, de Liuio Andronico ad hunc modum tradit, quo loco annorum hiſtoriam contexit. L. Liuius poëta (inquit) fabulas primò in urbe Roma docere cœpit, Cor. Claudio, Appij Cæci filio, & Marco Tuditano Cos: poſt obitum Sophoclis & Euripidis, annis plus ferè centum & ſexaginta, quod & Marcus Cicero probat, qui ad Brutum ſcribens anno ante natū Ennium refert Liuium dediſſe fabulas. Portius uerò Licinius cum de poëtica loquitur, eius ſtudium dicit Romæ cœptum bello Punico ſecūdo. Quod ex his uerſibus facilè colligitur, quos Horatius Flaccus imitatur:

Punico bello ſecundo muſa pennato gradu
Intulit ſeſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Sed

Sed hæc ſatis hoc loco, ne fortè uideamur nimiũ detineri in his repetendis. Idẽ Liuius domi ac foris primò docuit, utraq; lingua (ut Suetonius tradit) non ſine magna commendatiõe ſui nominis. Nã uetuſtiſſimi illi erãt ferè Semigræci, & Græcas diſciplinas atq; etiam Hethruſcas pari ſtudio diſcebant, quod ex ueterum monimentis intelligitur. Laudatur Liuius & eius carmen, cum ab alijs multis, tum à Valerio Maximo & T. Liuio qui copioſe ſcribunt, quãtum Romæ præſtiterit æditis carminibus, quæ ter nouenæ uirgines, data reſte per manus, per urbem euntes, decantarunt ad iram deorũ placandam. Prætereo de his fabulis referre, quas Liuius dicitur à Satyris tranſtuliſſe, puerumq; ad canendum inſtruxiſſe ante tibicinem. Præcipuè uerò commendatus eſt ab antiquis grammaticis Liuius in Odyſſea, & Romanis annalibus. Etſi quidam temerè hæc referunt ad alterum Liuium, parum diligenter conſiderantes, quæ à Gellio & Priſciano ſcribuntur. Diomedes quidẽ ſic de Liuianis annalibus prodit: Epos (inquit) apud Latinos primus dignè ſcripſit Liuius, is geſta Romani populi duodeuiginti complexus eſt libris. Hi ſunt appellati annales Liuiani, quòd acta ſingulorum annorũ continerent. Idem prætereà Liuius compoſuit hymnos deorum, ut à Terentiano & Liuio notatum eſt in Romana hiſtoria. Afferuntur hi uerſus Liuij ex hymno de Diana:

Et iam purpureo ſuras include cothurno
Baltheus & reuocet uolucres in pectore ſinus
Preſſaq; iam grauida crepitet tibi terga pharetra
Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes.

In his uariat carmẽ, ac ſub heroico myurõ apponit, quocirca ſic de Liuio Terentianus:

Liuius ille uetus Graio cognomine ſuæ
Inſerit in omni uerſu puto tale docimen
Præmiſſo heroo, ſubiungit nanq; myuron

Hymnum quando chorus feſto canit ore Triuiæ.

Hæc ſunt quæ de Liuio Andronico digna relatu exiſtimaui mus: de obitu eius nihil apud ueteres legimus.

Q. ENNIVS *Caput* II.

QVintus Ennius poëta epicus, Tarenti natus traditur, ut eſt author Euſebius. Vt pleriq; uolũt, Rhudijs oppido Salentinorũ, quod à Mella Pomponio & alijs ueteribus affirmatur. Translatus in urbem dicitur à Catone queſtore, deuicta Sardiniæ prouincia, qua tempeſtate miſſi ſunt ab Athenienſibus legati ad Senatũ populi Romani: Diogenes ſtoicus, Carneades academicus & Critholaus peripateticus: florente in ſcena Marco Plauto & in ciuitate Marco Catone oratore clariſſimo. Deinceps inſequuti ſunt Statius Cæcilius, Pacuuius, Accius & Publius Terentius. Dicitur fuiſſe Ennius ingenio acri, & eruditione multiplici, ut qui domi, foriſq; docuerit. Et cum Græcam linguã, Oſcamq; & Latinam calleret, ſolitus eſt dicere ſibi eſſe tria corda, de quo multa ſcribuntur à Gellio in Atticis commentarijs. Siquis eſt qui cognoſſe uelit, qualis & quãtus uir Quintus Ennius fuerit, qua fide, modeſtia, comitate, ingenio, doctrina, cultu, probitate uixerit, legat illos uerſus ex annali ſeptimo, quos Aëlius Præconius, non minus ad ipſum authorem Ennium exiſtimauit referendos, quàm ad Seruilium Geminum. Neq; defuerunt qui putarent Quintum Ennium de ſe ipſo & ingenio ſuo talia ſcripſiſſe. Nos cò libentius carmen aſcribemus, quoniam Gellius pari diligentia ediſcendum aſſerebat, atq; præcepta quædam & optima decreta philoſophorum de ratione & officijs rectè uiuendi:

Hocce loquutus uocat, qui cum bene ſæpe libenter
Menſam, ſermonesq; ſuos, rerumq; ſuarum
Comiter impertit, magna cum lapſa dici

† in Gellio nō habetur

† Pars foret, è ſummis rebus, paruiſq; regendis,
Parte fuiſſet, de paruis, ſummiſq; gerundis
Conſilio, induſtro lato, ſanctoq; ſenatu,
Cui res audacter magnas: paruaſq; iocumq;
Eloqueret, quæ tincta malis, & quæ bona dictu,
Euomeret, ſi quid uellet, tutoq; locaret.
Quæ cum multa uolup, ac gaudia, clamq;, palamq;
Ingenium cui nulla malum, ſententia ſuadet.
Vt faceret facinus, leuis, haud malus, idem
Doctus, fidelis, ſuauis homo, facundus, ſuoq;
† Intentus, atq; beatus, ſcitus, ſecunda loquens in
Tempore, commodus, & uerborum uir paucorum.
Multa tenens antiqua, ſepulta, & ſæpe uetuſtas
Quæ facit, & mores, ueteresq; nouosq; tenentem,
Multorum ueterum leges, diuûmq; hominumq;
Prudentem, qui multa loqui ue tacere ue poſſit.
Hunc inter pugnas compellat ſeruilius ſic.

† Contemptus ſcitus, atq; beatus.

In Auentino colle dicitur domũ habuiſſe, prope ędem Tutulinæ deæ, adeoq; tenui uictu & parcis ſumptibus uixiſſe, uti contentus fuerit unius ancillæ miniſterio. Inter amicos habuit Marcum Catonem, C. Cethegum, & M. nobiliorẽ, quem ſequutus traditur, cum conſul in Aetholiã proficiſceretur. Scipioni Affricano ita coniunctus, atq; cariſſimus fuit ut inter præcipua fidei ac beniuolẽtiæ exempla relatum hoc ſit à ueteribus, Compoſuit permulta opera, uario, & multiplici carmine: nam præter celeberrimos libros annaliũ, ſatyras etiam, comœdiaſq; & tragœdias ſcripſit. Annales eius Q. Vargunteius, inter antiquos grammaticos nobilis, magna celebritate certis diebus expoſuit. Octauius quoq; Lãpadio eoſdem libros diligentiſſimè emendauit, ut in ueterũ cõmentarijs adnotatum eſt. Duodecimũ annalem addidit cum ſeptimũ, et ſexageſimũ annum ageret, ut eſt author M.

Q. Vargũteius

Varro

Varro.Satyrarum libros ſcripſit quadratis uerſibus, qui in magno precio habiti ſunt.Citatur prætereà Ennius in his fabulis,hoc eſt,in Telepho,in Ambracia,Eumenidibus, Alcmenone, Andromacha,Thieſte,Medea, quam ex Euripide in Latinum cõuertit.Item in Phœnice, in Telamone,Hecuba,Hectoris luſtris,Achille Ariſtarchi, & Pãchratiaſtis, in Epicharmo,in Creſphonte.Idem in Latinum ſermonem tranſtulit poëtam Euhemerum,qui de dijs Græca oratione libros compoſuit,ut Cicero & alij ueteres teſtantur. T.Lucretius eundem Ennium refert, primum fuiſſe apud Latinos,qui coronam ſibi ex Helicone aſſumpſit:quo loco Pythagoræ ſententiam repetit de animæ Metamorphoſi:

Ennius,ut noſter cecinit,qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam
Per gentes Italas hominum,quæ clara clueret.

Silius Italicus centurionem fuiſſe Ennium tradit in bello contra Pœnos,ac præſtãti animo rem geſſiſſe, ut in his uerſibus declaratur: *Ennius centurio.*

Nota parum magni longo tradantur in æuo
Facta uiri,& meritum uati ſacremus honorem.
Ennius antiqua Maſſapi ab origine regis,
Miſcebat primas acies, Latiæq; ſuperbum
Vitis adornabat dextram decus,hiſpida tellus
Miſerunt Calabri.Rhudiæ genuêre uetuſtæ.
Nunc Rhudiæ ſolo memorabile nomen alumno
Is prima in pugna uates,ut Thracius olim
Infeſtam bello quateret,cum Cynthius Argo:
Spicula depoſito,Rhodopeia pectore torſit.
Spectandum ſeſe,non parua ſtrage uirorum,
Fecerat,& dextræ gliſcebat cædibus ardor.

Quintilianus poëtam Enniũ ſummopere cõmendat, pariq;

ueneratione colendum atq; adorandum ſtatuit, qua ſacros uetuſtate lucos, in quibus grandia & antiqua robora nō tantam habēt ſpeciem, quantam religionem. Vixit ad extremā ſenectutem. Cumq; morbo articulari teneretur, eo ingraueſcente ſeptuagenario maior in fata conceſſit. Sepultusq; traditur unà in monumēto Gn. Scipionis, uia Appia intra primum ab urbe milliarium. Neq; deſunt qui dicant ipſius Ennij oſſa ex Ianiculo fuiſſe in patriam translata. Fuit alter Ennius paulò poſterior, in officio artis grammaticæ nobilis, qui de metris ſcripſit, deq; augurandi diſciplina libros reliquit. Sed hoc † dicemus commodius. Nunc illud carmen uulgatum adijciemus de poëta Ennio, quod equidem ſubdubitaſſem ab eo fuiſſe compoſitum, niſi Marcus Cicero pluribus locis ab ipſo Ennio æditum affirmaret:

†forte aliâs addendum

Aſpicite ô ciues ſenis Ennij imaginis urnam
Hic ueſtrum pinxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, cur uolito uiuus per ora uirûm.

M: PLAVTVS *Caput* III.

MAr. Plautus patria Sarſinas fuit ex Vmbria, quod ipſe de ſe inſinuat, in fabula Moſtellaria, & alij ueteres tradunt. Conſtat eum his tēporibus Romæ uixiſſe, atq; in ſcena præſtitiſſe, quibus in ciuitate Pub. Scipio Fuluius nobilior, & M. Cato excellentes habiti ſunt. Ingenio perurbano fuit & maximè feſtiuo, quod cum alia multa indicant, tum comœdiæ ipſius plenæ iocunditatis, ac leporum. Relata ſunt ab A. Gellio complura in Atticis noctibus de eruditione & fabulis Plautinis, & authoritate M. Varronis, qui Plautum ait, cum erogaſſet omnem pecuniam in ſcenicis ornamentis, ad ſummam paupertatem fuiſſe redactum. Eaq; ra-

tione

tione in urbem rediſſe, & operam piſtori locaſſe ad uictum comparandum, his molis circumagẽdis, quas truſatileis uocant, Hieronymus manualeis appellauit. Et cum aliquandiu in piſtrino uerſaretur, ibidem fabulas aliquot dicitur cõpoſuiſſe ut Saturionem & addictum. M. Varro in libro de Plautinis comœdijs uerba hæc poſuit, quæ aſcribenda exiſtimaui, ut à Gellio eſt obſeruatũ: Feruntur ſub Plauti nomine comœdiæ circiter C. & xxx. Sed homo eruditiſſimus Lælius xxv duntaxat illius eſſe cenſuit. Neq; dubium eſt, quin iſta etiam, quæ à Plauto ſcripta non ſunt, ueterum poëtarum fuerint, ut M. Accij, C. Plautij, á quo dictæ ſunt Plautianæ fabulæ, non Plautinæ. Cæterùm cum xxv à ueteribus cõnumerentur M. Plauti comœdiæ, ſciendum eſt præter illas xx (quæ à noſtris grãmaticis conſenſu omniũ pro Plautinis habentur) tris à Gellio nominari, hoc eſt, Boëthiam, Neruulariã, Fretum. Varro & Sex. Pompeius alias plureis nuncupant, ut Artemonem, Friuolariam, Phagonem, Ceſtrionem atq; Aſtrabam, easq; inter Plautinas referunt. De Aſtraba tamen Gellius & Nonius dubitarunt. In fabulis ſuis ſequutus eſt Græcos authores, maximè Demophilum, Philemonem, & Epicharmum Siculum, ut Horatius Flaccus teſtatur. Tantumq; ſcribendi elegantia & ſalibus uiſus eſt præſtitiſſe, ut Epius ſtolo affirmare non dubitauerit: Muſas ipſas Plautino ſermone fuiſſe locuturas, ſi Latinè loqui uoluiſſent, quod à Fabio Quintiliano refertur. Quo circa Gellius cenſor optimus omnium ſcriptorum, appellat eundem Plautum parentem ac principem in omni Latina elegantia. Volcatius Sedigitus, cum de ordine comicorũ ſcribit, poſt Cęciliũ collocauit Plautũ, cæteriſq; omnibus prætulit. Nomen Plauti deductum eſt à planitie pedum (ut eſt author Sextus Pompeius) prius enim Marcus Plotus dicebatur. Hinc ſemiplotia calciamenta dicta ſunt, quibus in ue

Plautianæ fabulæ.

Gellius cenſor optimus omnium ſcriptorum

nationibus uterentur. Sed hac de re ſuo loco diximus. Obiiſſe traditur paucis annis poſt Quintum Ennium, Olympiade centeſima xlv. Quantũ iacturæ factum ſit in eius obitu, teſtatus eſt idem poëta his uerſibus de ſe compoſitis:

Poſtquàm eſt morte captus Plautus
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta.
Deinde riſus, ludus, iocusq; & numeri
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

GN. NAEVIUS Caput IIII.

CN. Næuius poëta comicus illuſtris eſt habitus. Campanus fuit, ut à Gellio traditur in Atticis noctibus. Volcatius Sedigitus poſt Cecilium & Plautum cõſtituit illi tertium locum. Neq; Licinio tantum, uerũ etiam Attilio, Terentio, atq; Turpilio præpoſuit. Eo maximè tẽpore in ſcena dicitur præſtitiſſe, fabulis ad populũ æditis, quo. Sp. Carbilius cognomẽto Ruga primus Romæ de amicorum ſententia diuortiũ cum uxore fecit, quòd eſſet ſterilis, iurauitq; apud cenſores, uxorem ſe liberùm quærendorũ cauſa habere. Traditum eſt ab antiquis ſcriptoribus poëtã Næuium ſtipendia feciſſe bellis Punicis, idq; ipſum teſtari Næuium eo carmine, quod à ſe ſcriptum eſt de bello Punico. Qua in re nec illud eſt omittendum, quod cum eſſet unicum uolumẽ Nęuij, Octauius Lampadio grãmaticus excellens, diuiſit illud in ſeptem libros, ut alibi diligenter expoſuimus. Priſci enim grammatici conſueuerũt pro iudicio ſuo atq; eruditione omniũ ſcriptorũ opera percenſere, authoresq; ipſos aut numero eximere, aut in ordinem redigere. Scripſit Nęuius præter Punicum bellum comœdias ac tragœdias ſtilo in primis erudito & graui, ut ueteres teſtantur. Comœdias aliquot exemplo Græcorũ compoſuit, probris, atq; maledicen

Sp. Carbilius.

Lampadius grãmaticus

tia plenas. In quibus Romanæ ciuitatis princeps acriter eſt inſectatus, ut qui Metellum conſularem uirum, & P. Scipionem Affricanum maledictis ſuis onerauerit. Sic enim de Scipione:

Etiam, qui res magnas manu ſæpe geſſit glorioſè
Cuius facta uiua nunc uigent, qui apud gentis ſolus
Præſtat, cum ſuus pater cum pallio unà ab amica abduxit.

Hinc factũ eſt, ut poëta Næuius in uincula conijceret à triũuiris, ꝓpter immoderatã uerborũ petulantiam, ac mordacitatem. Et cum aliquãdiu haberet in cuſtodijs, fabulas aliquot cõpoſuit. Paulomox à tribunis plebis è carcere exẽptus eſt, ea conditione, ut delicta illa, ac probra dilueret, quæ contra Romanos ciueis ſuis fabulis inſeruerat. De quo ſcribuntur cõplura in Atticis cõmentarijs. Qui de Næuij fabulis agũt, citant illũ in Alceſte, in Aureolo, Lycurgo, Tripholo, Leonte, in Colace, Aegyſto, Tereo, & Zenone. Terẽtius Varro in libris de Latina lingua ad M. Tulliũ pluresis alias pro Næuianis cõmemorat, ut Eſionam, Claſtidiũ, Dolum, Demetrium, Perſas, Lampadionẽ, Agedonem, Romulũ, Stigmatiam. Ab hoc Næuio multa mutuatus eſt, P. Verg. ſicuti ab Ennio, Lucretio, Pacuuio & alijs, ut à Macrobio diligenti ſtudio eſt obſeruatũ. Obijſſe traditur Vticæ, cũ factione nobilium, præcipueq́ Metelli foret ex urbe eiectus. Nunc epigramma illud uulgatũ referemus ab ipſo Næuio de ſe cõpoſitũ, in quo Campana ſupbia meritò ab antiquis culpata eſt:

Immortales, mortales, ſi foret fas flere:
Flerent diuæ Camœnæ Næuium poëtam.
Itaq; poſtquàm eſt orci traditus theſauro
Obliti ſunt Romæ Latina loquier lingua.

De Q. Nouio, qui attellanarum ſcriptor fuit, ſuo loco dicemus, ne tam apertò decipiantur noſtri grammatici, cũ Næuium hunc pro Nouio imperitè accipiant.

M. PA-

M. PACVVIVS Caput V.

MAr. Pacuuius in ſcribendis tragœdijs nobilis, hiſdem ferme temporibus natus eſt, quibus Cato queſtorius, & Metell. clariores in urbe habebant. Quidã tradunt illũ fuiſſe ex Brunduſio Calabriæ urbe: nepos fuit Q. Ennij, quod Euſebius, ac Plinius referũt. Romæ uixit in ſumma claritate nominis. Cõmendatur maximè illius ingenium, & natiua quędã facilitas in capiendis liberalibus diſciplinis. Neq; defuit illi ſtudium pingendi, quod & C. Plinius indicat, qui Pacuuij poëtæ opera in magno honore à ueteribus habita affirmat, eaq; in primis, quæ in æde Herculis foro boario perfecit. Quocirca clariorem fecit eam artem in urbe propter gloriam ſcenæ. Idem Pacuuius amplum ac ſonorũ dicendi genus ſequutus eſt ut M. Varro teſtatur. Quod ſi durior alicubi ac propè horridus habitus eſt, idipſum tamen non uitio illius, ſed temporum aſcribitur Nam Fabius Quintilianus apertè aſſerit, clariſſimum fuiſſe Pacuuium grauitate ſententiarum, uerborum pondere, & authoritate perſonarum. In qua ſententia & M. Cicero fuit, qui hunc ipſum cæteris omnibus in tragœdia facilè præfert, carmenq; illius magnopere cõmendat. Grammatici ueteres permultùm Pacuuio conceſſerũt, eiusq; fabulas complureis enumerant, in quibus non mediocrem laudem acceperit, ut Peribeam, Hermoniam, Athalantam, Ilionam, Antiopam, Teucrum & Medeam. Citatur etiam in Chryſe, in Nyptris, in Paulo, in Horeſte, in Armorũ iudicio. Ex qua fabula decantatum carmen traditur cum ludi celebrarentur in funere Iulij Cæſaris, quo magis commiſeratio, & inuidia excitarẽt contra ipſius interfectores. Horatius Flaccus in epiſtola ad Octauiũ Aug. cum de antiquis poëtis iudiciũ facit in Pac. doctrinæ famã locauit. Paulo ſenior fuit L. Accio, et in hiſdẽ ædibus

bus (ut refert. M. Cicero) Pacuuius atq; Accius, fabulas do cuerũt, paucis quidẽ annis interpoſitis. Vixit ad extremam ſenectutẽ, & ut ſeruatũ eſt in Latinis annalibus, cum tædioſe ſenectutis, ac morbo detineretur. Tarentum ſe contulit, ibiq; prope Nonagenarius obijt, neq; ſine maxima iactura ſtudiorũ. Quantum modeſtia uitæ, atq; uerecũdia præſtiterit, teſtis eſt hoc carmen, quod idem de ſe Pacuuius compoſuit:

Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Vt ſe aſpicias, dein, quod ſcriptum eſt, legas:
Hic ſunt poëtæ Pacuuij Marci ſita oſſa.
Hoc te uolebam neſcius ne eſſes: Vale.

STATIVS CAECILIVS *Caput* VI.

STatius Cæcilius in Gallia natus eſt (ut creditur) et ob id Mediolanenſem quidam dixerũt, quod ex annalibus Hieronymi acceperunt. Illud pro certo haberi debet, in urbe Roma cum uixiſſe, & in ſcribendis comœdijs principem locũ tenuiſſe, ut à Volcatio Sedigito ſcriptum eſt, qui hunc ipſum Cæcilium, non Terentio tantum, & Plauto, ſed reliquis omnibus comicis ſine cõtrouerſia præpoſuit. M. Cicero in eadem ſentẽtia eſt, tantũq; Statio Cæcilio concedit, ut illius quidem carmen, ut conſtat ſummis laudibus proſequatur. Fabius Quintilianus (qui in omni antiquitate publicus cẽſor eſt habitus) tris maximè in deſcribendis nominat comœdijs: hoc eſt, M. Plautũ, P. Terentium, & Statium Cæcilium. Vixit in ſumma familiaritate cum poëta Ennio, ut ab Euſebio refertur. Idem magnopere dilectus eſt à Terentio, qui tantũ illius iudicio tribuit, ut ad poëtam Cæcilium, ceu ad optimũ cenſorẽ ſuas fabulas referret. Enumerantur ſupra triginta Statij comœdiæ a grammaticis ueteribus. Neq; togatas minore ſtudio compoſuit, quàm palliatas, unde ſingularem gratiam reportauit, iudicio erudi

torum. In precio magno fuerunt, Nauclerus, Syracuſæ Pauſimachus, Hippobolymeus, Epiclerus, Cratinus, Plotius, Aſotus, Epheſtion. Citatur etiam in Subditiuo, in Fallacia in Andria, in Annalibus, in Fœneratore, in Venatorio, in Vmbris, in Obolo, in Synariſtoſis: quarũ partem à Menandro, Philemone & Apollodôro tranſtulit. Neq; defuerunt antiqui grãmatici, qui hunc Cæcilium accuſauerint, quòd in uertendis à Menandro fabulis, parùm aptè aut concinnè quædam tranſtulerit. Mortuus eſt ſequẽti anno poſt obitũ Q. Ennij, & iuxta Ianiculum ſepultus tradit̃. De Statio rhetore, qui Toloſanus fuit ſuo loco ſcripſimus.

L. ACCIVS Caput VII.

L. Accius poëta inter principes tragœdiarũ ſcriptores relatus eſt à ueteribus. Paulò iunior fuit M. Pacuuio. Natus traditur parẽtibus libertinis, Marcino & Serano Cos. Quidam ſcribunt fuiſſe illum relatũ inter eos colonos qui ex urbe ad oppidum Piſaurũ cõceſſerunt, ubi fundum ſuũ poſſedit, qui de ſuo nomine Accianus eſt appellatus. Ingenio acri fuit, & in ſcribendis fabulis miro ſtudio incubuit. Notum eſt quantũ ei cõceſſerit Decius Brutus, uir clariſſimus, cum uoluerit Accianis uerſibus templorũ ac monumentorũ aditus exornari, quod à M. Tullio refertur. Idem Accius cũ iter faceret in Aſiam, diuertit ad poëtã Pacuuiũ, qui Tarenti agebat, cũq; eo dies aliquot uerſatus eſt, & cũ Atreũ ſuã illi recitaret, laudauit eam Pacuuius, et ſimul grãdia inquit & ſonora eſſe quæ ab Accio ſcripta forent: uideri tamẽ ſibi duriuſcula & ſubacida. Quod Accius quidem minimè negauit: Nec ſe (inquit) pœnitere, quoniam idem ferme ingenijs ſolet accidere quod pomis. Quæ enim dura admodum & acerba naſcuntur, paulatim mitia fiunt, atq;

perfectiora

perfectiora redduntur. Quæ uieta gignuntur, & mollia, nũquã ad uerã frugẽ & maturitatẽ perueniũt. Sic inquit Accius ſentiendũ eſt de hominũ ingenijs. Statura fuit admodũ breui, ut à C. Plinio refert̃, etſi imaginem ſuã collocauit in æde Camœnarum prægrandi forma. Citantur eiuſdem Accij fabulæ complures à noſtris grammaticis, ut Phœnicæ, Menalippus, Epigoni, Medea, Alcmeon, Prometheus, Philoctetes, Atreus, Neoptolemus. Marcus Cicero præcipuè nominat Brutum, & Argonautas, in qua tragœdia magnopere laudatum eſt illud carmen de Argo naui, quod admirabundus paſtor refert. Nos illud quoque ſubijciemus, ut æſtimari facilius poſſit, de ingenio & doctrina Accij poëtæ:

Tanta moles labitur,
Fremebunda ex alto ingenti ſonitu, & ſtrepitu,
Præ ſe undas uoluit uertices ui ſuſcitat
Ruit prolapſa pelagus, reſpergit, profluit,
Ita dum interruptum credas nimbum uoluier,
Dum quod ſublime uentis expulſum rapier
Saxum, aut procellis uel globoſos turbines
Exiſtere ictos undis concurſantibus
Niſi quas terreſtreis pontus ſtrages conciet.
Aut fortè triton fuſcina uerrens ſpecus
Subter radices penitus undantiin freto,
Molem ex profundo Saxeam ad cælum eruit.

Fuit inter alios & Accius Labeo, cuius Iliadem Perſius notauit ceu imperitum opus, & inſaniæ plenum. Sed alibi dicemus de Accio Labeone.

PVB. TERENTIVS *Caput* VIII.

Pub. Terentius poëta comicus, Carthaginienſis patria fuit. Romam perductus traditur, cum in tenera ætate foret. Quibus potiſſimum bellis id acciderit, parũ compertum eſt, ut refert Aelius Donatus ex Feneſtellæ commentarijs. Illud pro certo conſtat, eum Romæ diligentia Terentij Lucani Patroni accuratè inſtitutum atq; liberalibus diſciplinis eruditum. Cunq; facilitate ingenij, & elegantia imprimis excelleret, breui cõſecutus eſt, ut à Terẽtio Patrono eſſet manumiſſus. Per ea tempora in ſcena floruit quibus præclari atq; egregij ciues Romæ habiti ſunt M. Marcellus, Pub. Scipio, Q. Fabius Maximus. Neq; deſunt authores qui ſcribant eundem Terentium maxima familiaritate uixiſſe, cum Pub. Scipione, & C. Lælio, ſæpeq; ſolitum apud nobiliores ciuitatis cœnitare, qua in re dum placere illis omni opera nititur, eorũq; cõmodis inſeruire, ad ſummam inopiam traditur redactus. Statium prætereà Cæcilium qui ſcribendis comœdijs excelluit, magna diligentia obſeruauit, eiq; ſuas fabulas more ueterum recitare conſueuit. Comœdias ſex compoſuit, eaſq; ab Apollodôro & Menandro poëtis Græcis in ſermonem Latinum conuertit, tanta ſermonis elegantia et proprietate ut eruditorum iudicio, nihil perfectius, aut abſolutius in eo ſcribendi genere habitum ſit apud Latinos. Secutus eſt in his Q. Enniũ, M. Plautum & Neuiũ: ut ipſe teſtatur cũ ſuis calumniatoribus reſpondet. Phormionem & Hecyram ab Apollodôro tranſtulit: reliquas quatuor à Menandro. Aelius Donatus qui complura diligentiſſimè de hoc poëta ſcribit, cum alia multa in eo commendat, tum præcipuũ dicit quòd in ſcribendis fabulis ea arte uſus eſt, ut & morẽ antiquum retinuerit, & ita temperauerit affectus, ut neque

ad tragicam magnitudinem intumeſcat, neq; abijciatur ad hiſtoricam, quod minimè factum eſt inquit à Plauto, Afranio, & cæteris comœdiarum ſcriptoribus. M. Cicero in epiſtola ad T. Atticum refert P. Terentium eſſe optimum authorem Latinitatis, eiusq; fabulas multos exiſtimaſſe propter elegantiam ſermonis à C. Lælio ſcriptas. Quā opinionem idem Terētius maximè ſcribitur confirmaſſe, quo magis calumniatores ſuos in odiū traheret. Sic enī refert in Adelphis fabula ſub perſona prologi:

Quod illi maledictum uehemens exiſtumant,
Eam laudem † ducit maximam. Cum illis placet, † hic dixit
Qui uobis uniuerſis & populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio:
† Quiſq; tempore uſus eſt ſine ſuperbia. † Suo quiſq;

Horatius Flaccus ueterum poëtarū optimus cenſor, in Cæcilio grauitatem, in Terentio artem conſtituit, qua inter cæteros comicos mirificè excelluit. Quod & Quintilianus uidetur ſentire in libris ad Marcellum Victorium. Sed idem tamen inquit maiorem graciam habuiſſet, ſi intra trimetros conſtitiſſet. Auſonius quoq; Vergilium Homero, Terentium Menandro adiungit, eiq; elegantiam Latini ſermonis præcipuè tribuit:

Tu quoq; qui Latium lecto ſermone Terenti,
Comis, & aſtricto percurris pulpita ſocco.

Traditum eſt illum poſt æditas aliquot Romæ fabulas in Græciam adnauigaſſe, quo facilius diſciplinas Græcorum atq; inſtituta perciperet. Plurimaſq; fabulas à poëta Menādro in Latinū conuertiſſe, quæ facto naufragio perierunt. De obitu illius uaria ſcribunt authores. In Arcadia obijſſe, cum alij plures teſtantur, tum poëta Auſonius, ob nimium dolorem amiſſarum fabularum quas ipſe naui præmiſerat. De forma illius atq; effigie referuntur complura ab Aelio

Donato, qui eiuſdem comœdias magna eruditione inter/pretatus eſt. Arguměta illa quæ Terentianis fabulis præpo nũtur, à Sulpitio Apollinari illuſtri grammatico compoſita ta ſunt. Quod cum alijs multis argumentis tum maximè antiquitate codicum probari poteſt, in quibus nomen Sul/pitij legitur.

C. LVCILIVS caput IX.

C.Lucilius ſatyrarũ ſcriptor, hiſdem propè temporibus floruit, quibus poëta Accius, Sextus Turpilius & Statius Cæcilius in ſcena cele/bres habiti ſunt. Ex Arunca urbe Auſoniæ fuit, quocirca alumnus Aruncę uocatus eſt à Iunio Iuuenale. Parentes habuit ſatis nobileis, & (ut quidam grammatici tradunt) fuit auunculus Cneo Pompeio. Illud imprimis manifeſtum eſt, fuiſſe Luciliũ ingenio acerrimo, & in ſcribendis uerſibus feſtiuo & urbano. Amicos habuit Q. † Actam poëtam comicũ Albutiũ, Lapathum, Albinũ, & C. Perſiũ (qui eſt appellatus ab antiquis doctiſſimus) ad quos ſcribere etiã conſueuit. Præter alios omneis Q. Philocomum familiariſſimè coluit. Idem Lucilius primus cœpit ſcribere ſatyras, maximeq; inſectatus eſt Rutilium Lupum Carbonẽ, L. Tubulum, & alios plureis quorũ ſcelera atq; flagitia ferre æquo animo non poterat. Fuit enim Lucilius optimis moribus, & alienæ iniquitatis acerrimus accuſator Satyrarum libros ſupra triginta compoſuit, uti Varro & alij grammatici oſtendunt. Neq; me præterit Q. Philocomũ & Lælium Archelaum, fuiſſe authores, ut Lucilij ſatyræ, in libros referrẽtur, quod à Suetonio ſcribitur. Nam grammatici ueteres cenſoria uirgula utebantur, poëtarumq; carmen in libros diuidebant, ut C. Octauius Næuij opus de bello Punico, & Q. Vargunteius Ennianos annaleis. Horatius

† Attam

ratius

ratius Faccus lutulentum uocat Lucilium, & in ſcribendis carminibus incompoſitum, qua in re magni authores ab eo diſſentiunt, præcipueq́ Gellius & Fabius Quintilianus cuius uerba ſubijciemus: Satyra quidem tota noſtra eſt, in qua primus inſignẽ laudem adeptus eſt poëta Lucilius, qui quoſdam ita deditos ſibi habet amatores, ut eũ nõ eiuſdem modò operis authoribus, ſed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego quantũ ab illis, tantum ab Horatio diſſentio qui Lucilium fluere lutulenter, & eſſe aliquid quod tollere poſſis, putat. Nam eruditio in eo mira, libertasq́ & acerbitas & abundè ſalis. Hadrianus imperator eundem Lucilium omnibus poëtis præponebat, qui ſatyram ſcripſiſſent. Metrophanẽ ſeruum habuit, cuius fidem atq́ induſtriã in ſatyris cõmendauit. Mortuus eſt urbe Neapoli, eodem pro pè anno, quo Furius Bibaculus natalem habuit. Neque deſunt authores qui ſcribant publico funere Lucilium fuiſſe elatum, cum annum ætatis ſextum & quadrageſimum impleuiſſet.

SEX. TVRPILIVS *Caput* X.

SEx. Turpilius poëta comicus ingenio facili fuit et in fabulis cõponendis idoneo, quocirca tantũ nominis cõſecutus eſt in ſcena, ut comœdiæ Turpilianæ magnopere probatæ ſint à Romanis ciuibus. Inuenio apud ueteres grãmaticos, hunc Turpiliũ ſumma beniuolentia coniunctũ fuiſſe P. Terẽtio, & in hiſdem ludis utriuſq́ fabulas aliquando actas. Vul. Sedigitus ſeptimũ locum Turpilio dedit inter comicos poëtas, eũq́ Luſcio, Q. Ennio et Trabeæ præponit. Non. Marcellus in cõmentarijs ad filium xv comœdias nominat, quæ à Turpilio cõpoſitæ fuerunt, in quibus legendis atq́ obſeruandis, diligentiam ſuam atq́ ſtudium probat. Citatur in Philopatro

in Lemnis, in Demetrio, in Bethonibus, in Pedis, in Epiclero, in Canephoro, in Traſilione, in Demiurgo Hecyra Paraterusa & Leucadia. Lyndia quoq; in magno precio habita eſt à grammaticis, in qua commendantur præcipuè hi ſenarij de officio & ratione uiuendi:

Profectò, ut quisq; omnino contentus fuit
Ita fortunatam uitam duxit maximè
Vt Philoſophi aiunt iſti, quid uis ſat eſt.

Authores ſunt qui referant hunc Turpiliū ad extremā pene ætatē acceſſiſſe, & in Sinueſſana urbe perijſſe: hiſdē penè temporibus, quibus Furius Bibaculus natalem ſuum habuerit.

GN. MATIVS Caput XI.

GN. Matius mimorū ſcriptor, in magno precio eſt habitus, quod cum alij plures, tum Aul. Gellius teſtatur in Atticis commentarijs. Ingenio fuit eleganti & facili. In ſuis autem mimis quos uocauit Mimiambos, uerba quidem noua & perlepida poſuit, ut grammatici obſeruarunt. Iulianus rhetor uir multiplici eruditiōe, ornatus permultū delectatus tradit Martianis fabulis, propter natiuum quendam leporem, & mirificam illorū ſuauitatem, maximeq; hos uerſus commendabat:

Iam tonſiles tapetes ebrij fuco:
Quos concha purpura imbuens uenenauit. Et item
Sinu amicam reficere frigidam caldo.
Columbatim labra conſerens labris.
Quapropter edulcare conuenit uitam
Curasq; acerbas ſenſibus gubernare.

Idem Matius, ut quidam exiſtimant, compoſuit opus hexametris uerſibus quod inſcriptum eſt de Iliade, cuius carmen M. Varro & alij grammatici quandoq; citant. Sed hac in re parum conſentiunt ueteres authores. Maurus Terentianus de

de poëta Matio facit mentionem, eiuſq; mimiambos ut ele/gantes, & lepidos celebrat. Fuit alter Matius Romanus ciuis & amicitia Octauij Cæſaris nobilis, qui primus tõſilia nemora excogitauit.

L. AFRANIVS Caput XI.

L. Afranius poëta comicus, hiſdẽ ferme temporibus in urbe claruit, quibus poëta Terẽtius & Cæcilius in ſeniũ uergebant. Vulcatius Sedigitus Afranium hũc n õ numerat inter cæteros comicos. Operam ſuam atq; diligentiam poſuit in togatis fabulis componendis. Sunt enim togatæ illæ in quibus de rebus Romanis ageretur, à toga denominatæ. In his primum locũ obtinuit, ut à ueteribus traditur. Menãdrum poẽtã præcipuè imitatus eſt, ſtilo & orationis charactere, quocirca ſic Horatius in epiſtola ad Octauium Auguſtum:

Dicitur Afrani toga conueniſſe Menandro.

Furius Albinus & Macrobius aſſerunt Afraniũ ipſum per/multa à Menãdro ſumpſiſſe, quod ille etiam liberè atq; ingenuè profeſſus eſt, ut omnibus apertè demonſtraret, quàm modeſtus, atq; ingenuus foret. Itaq; in compitalibus ita re/ſpondet ſuis obtrectatoribus:

Fateor ſumpſi non à Menandro modò,
Sed ut quiſq; habuit, quod conueniret mihi:
Quod meum poſſe melius facere credidi.

Cumq; ingenio ac ſalibus èxcelleret, ſententias paſſim, & a/cutè dicta, inſerebat ſuis fabulis, non ſine ſumma elegantia, & mirifica uenuſtate. Quod cum alij multi, tum M. Cicero teſtatus eſt. Culpatur à Quintiliano Afranius, quòd in ſuis argumentis amores proprios paulò impudentius uulgaue/rit: In togatis (inquit) excellit Afranius, utinamq; non inquinaſſet argumenta puerorum fœdis amoribus mores ſuos faſ

GG ſus.

ſus. A. Gellius permultùm Afranio tribuit, præcipueq́ illud carmen putauit commendandum, in quo de ſapientia ſic loquitur:

Vſus me genuit, mater peperit memoria:
Sophiam me Graij uocant, uos ſapientiam.

Citatur idem Afranius perſæpe ab antiquis grammaticis, in Augure, in Conſobrinis, in Cinerario, in Compitalibus, in Brunduſinis, in Fratribus, in Homine, in Incēdio, in Emancipato, in Prodito, in Patella, in Roſa, in Suſpecta, in Sella, in Talione. De obitu ipſius nihil apud ueteres legimus.

FABIVS DORSENNVS *Caput* XII.

FAbius Dorſennus inter comicos poētas relatus eſt ab antiquis authoribus. Vulcatius Sedigitus (qui de poētis ſcripſit) minimè hunc nominat, quo circa uerisimile eſt, minus nobilē fuiſſe habitum. Horatius in epiſtola ad cæſarem Auguſtum, cum de comœdia diſſerit, de Plauto, & Dorſenno agit, eorūq́ fabulas ſatis celebres in ſcenis demonſtrat. Sic em̄ de Dorſenno:

† *ſit* *Quantus † enim Dorſennus edacibus in paraſitis*
Quàm non adſtricto percurrat pulpita ſocco
Geſtit enim nummum in loculos demittere, poſthac
Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.

Idem Dorſennus à Plinio cōmendatur in comœdia Achariſtione, quo loco uerſiculos eius affert. Feſtus quoq́ Pompeius Afranium & Dorſennum poētas citat, cum de temeto loquitur, & hunc ſenarium lepidiſſimū Dorſenni repetit:

Sequimini præminaciæ, ſequimini temeti timor.

Hic eſt ille Fabius Dorſennus (quantum exiſtimare poſſumus) in cuius monumēto carmen hoc legebatur, ut ab Annæo Seneca relatum eſt:

Hoſpes reſiſte, & philoſophiam Dorſenni lege.

In numis

In numis prætereà uetuſti æris ita legitur DORSEN. P. cum effigie barbata, ut priſci illi Romani fuerunt.

M. ATTILIVS Caput XIII.

M. Attilius in ſcribendis tragœdijs nobilis habitus eſt, iudicio ueterum. M. Cicero ſic eum nominat ut poëtam duriſſimũ, cum ſcribit ad Pompeium Atticum. Fabius Quintilianus Pacuuium & Accium enumerauit, qui in tragœdia excelluiſſent, de Attilio omiſit. Conſtat hunc ſecutum fuiſſe poëtam Sophoclem, & aliquot fabulas in Latinum conuertiſſe, in quibus duriorem ſe præſtitit, ob eamq́ rationem à Licinio, ſcriptor ferreus uocatus eſt, ut teſtatur M. Cicero, quo loco de Electra illius fabula meminit in libris de finibus. Relatum præterea eſt in ludis C. cæſaris, quædam fuiſſe cantata ad miſerationem illius cædis contra interfectores, & ex Pacuuio in armorum iudicio, & ex Attilio in Electra. Etſi apud Suetoniũ grammatici noſtri decepti ſunt, cum paulò imprudentius Accium pro Attilio ſcripſerint. Vulcatius Sedigitus Attilium poëtam refert inter comicos nobileis, eumq́ poſt Næuium & Licinium collocat. Quidam exiſtimarunt eundem eſſe, mihi parum adhuc compertum eſt, in tanta rerum obſcuritate. De obitu & moribus illius nihil aliud legimus in ueterum monimentis.

Q. TRABEAS Caput XIIII.

Q. Trabeas comœdiæ author, in ordine comicorũ relatus eſt à Vulcatio Sedigito. Locum Octauũ obtinuit poſt Terentium & Turpilium, de quibus commodè diximus. Mentio de hoc Trabea fit à ueteribus grãmaticis, qui pſæpe citant eius fabulas. Cicero minimè dubitauit cõmendare eundẽ Trabeã, carmẽq́ il

lius locis multis referre. Sunt qui credant, in ſcribendis togatis præſtitiſſe, quod & Sextus Pompeius demonſtrat. Laudantur à M. Tullio hi uerſus Trabeæ, in quibus credulitas amantis, ac minima geſtientis animi lætitia lepidè & eleganter deſcribitur:

Læna delinita argento, nutum obſeruabit meum,
Quid uelim, quid ſtudeam, aduenìens digito impellam ianuam:
Fores patebunt, de improuiſo Chryſis ubi me aſpexerit
Mihiſe debet, fortunam ipſam, anteibo fortunis meis.

Ex his colligitur, quantū ſalis, atq; urbanitatis in poëta Trabea fuerit.

CN. AQVILIVS Caput XV.

CN. Aquilius in ſcribēdis comœdijs non ignobilis habitus eſt, ut teſtatur M. Varro. Vulcatius Sedigitus nullam mentionē de hoc Aquilio fecit, in his uerſibus, qui de comicis poëtis leguntur. Quo circa exiſtimandum eſt, illius fabulas, non fuiſſe in magno admodum precio. Relatū eſt ab antiquis grammaticis, comœdias aliquod Plauti, falsò inſcriptas Aquilio, ſicuti Boëthiam, de qua idem Varro parùm conſtanter diſſeruit, ſi Gellij commentarios paulò diligentius legamus. Illud affirmat de Aquilio, eum pleraſq; fabulas à Menādro poëta trāſtuliſſe, qđ & Pub. Terentius & Sextus Cæcilius factitarunt. De C. Aquilio diximus alibi, qui iuris peritus fuit, ac formulas de dolo malo protulit, in quibus de ſimulatione, & diſſimulatione ageretur.

C. LICINIVS IMBREX Caput XVI.

C. Licinius Imbrex inter eos poëtas refertur qui comœdias ſcripſerūt. Vulcatius Sedigitus (cū de comicis ſcriptoribus iudiciū facit) Licinio multùm tribuit, eumq; non Attilio tantum & Ennio præpoſuit, ſed & Turpilio atq; Teren-

tio

tio. Grammatici ueteres citant aliquot Licinij comœdias: ut Næuiam & Neærã, de qua Gellius in Atticis noctibus ſcribit, quo loco de comprecationibus deorũ diſſerit. Afferuntur hi uerſus ex Neæra Licinij:

Nolo ego Neæram te uocent, ſed Nerienem
Cum quidem Marti es in connubium data.

Sextus quoq; Pompeius ita Licinium nominat, ut poëtam maximè lepidum, atq; urbanũ. Hæc ſunt ferè quæ apud ueteres de poëta Licinio obſeruauimus.

Q. NOVIVS *Caput* XVII.

Q. Nouius attellanarum ſcriptor illuſtris eſt habitus Grammatici ueteres, cum de ipſius ingenio & doctrina diſſerunt, permultùm illi concedunt. Aurelius Macrobius probatiſſimũ poëtam hũc uocat inter eos authores, qui attellanas fabulas ædiderunt. Qua in re poſt Nouiũ inquit Pomponius atq; Mommius præclari habẽtur. Scripſit Nouius complureis comœdias, in quibus magnopere probauit ingenium ſuum atq; urbanitatem. Citatur maximè in his fabulis, hoc eſt, in Fullonico, in Exodio, in Virgine prægnante, in Pedio, in Dotata, in Gallinaria, in Geminis, in Partu. De quibus multa legunt in commentarijs Nonij Marcelli, & ſi pro Nouio quandoq; Gn. Neuium temerè ſcriptum ſcio. Hæc ſunt quæ de poëta Nouio adnotauimus. De obitu illius, nihil apud antiquos authores legimus.

PETRI CRINITI

DE POETIS LATINIS, AD COSMVM PACCIVM PONTIFICEM ARRETINVM, LIBRI SECVNDI PRAEFATIO.

IN priore libro Coſme pontifex Arretine eos poëtas cõplexi ſumus, qui rudi adhuc Roma, & populo armis occupato, magna diligentia conati ſunt ciueis ſuos inſtruere, fabuliſq; æditis illorum ingenia delectare. Nã ciuitas ipſa imperio aucto, & rebus proſpere geſtis incredibile dictu eſt, quã breui tempore in omĩ ſtudiorum genere profecerit. Adeò ualet humanum ingenium in præclaris etiam inſtitutis, ubi illud ualde intenderis. In hoc libro eos relaturi ſumus, qui plura indies ac meliora ſcripſerunt apud Latinos, accedemuſq; ad ætatem Publij Vergilij: ne quid deſiderari ab aliquo poſſit in opere inſtituto percẽſendi ueteres poëtas. Mihi enim diligenter intuenti ſtudia hæc noſtra, & antiquorum diſciplinas animo repetenti, neceſſarium præcipuè uidetur, ea in re maximè laborem ponere, qua me ipſum inſtruere poſſim, & aliorum prætereà ingenia excitare: his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi omnino reperiunt̃, qui intẽti admodum ſunt in hoc egregio ac liberali officio litterarum. Tu uerò id accuratè ac diligenter (ut uideo) aduigilas, ut unus propémodum in ciuitate noſtra habearis, qui ſollerti animo cõſiſtas in præſidio bonarum litterarum, putéſque in tantis Italiæ fluctuantis periculis minimè deſerendum tibi, tam inſigne, atque optimum inſtitutum, quò poſſis familiam tuam exemplis illuſtribus, ornare, ac perpetuis tuarum uigiliarum moni-

nimentis immortalem ſtatuere. Sed aliâs de re hac agetur commodius. Interim accedemus ad T. Lucretium qui de rerum natura primus apud Latinos diligenter atq; eruditè carmen compoſuit.

T. LVCRETIVS CHARVS *Caput* XIX.

T. Lucretius Charus, ex Lucretiorum familia natus creditur, quæ Romę inſignis et peruetuſta habita eſt. Paulò antiquior fuit Terentio Varrone & M. Tullio, ut quidam ſcripſerũt, quod eſt obſeruatum diligẽter: quoniam in his annalibus (quos à Græcis habemus) complura falsò expoſita ſunt, cõtraq; rationẽ temporum peruersè ſignata. Ingenio ſummo traditur fuiſſe & in ſcribẽdis carminibus maximè excitato. Solebat enim per interualla temporum ad carmen accedere, nõ ſine quodam animi furore, ut ueteres authores oſtendunt. Hinc illud Statij:

Et docti furor arduus Lucreti.

Fabius Quintilianus (cum de Latinis poëtis diſſerit) Aemilium Marcum, & T. Lucretium præſtare elegantia teſtatur. ſed ipſius Lucretij carmen multùm difficultatis retinere, quæ res nõ modò propter ipſam materiã illi contigit, ſed etiã propter ægeſtatem linguæ & rerũ nouitatem ut ille inquit. Scripſit libros ſex de rerũ natura, in quibus Epicuri doctrinam, & Empedoclem poëtam ſecutus eſt, cuius carmẽ atq; ingenium uehemẽter admiratur. Neq; deſunt qui ſcribant fuiſſe Lucretij opus à M. Tullio emendatũ, quocirca ueriſimile eſt, propter importunũ obitũ ab eo imperfectum atq; inemendatum relictum. Q. Frater plurimũ Lucretij uerſibus conceſſit, & in eius opere multùm eſſe artis atq; ingenij refert Neq; mirari oportere, ſi Lucretij uerſus duriores interdum uidenẽ, & quaſi orationi ſolutæ ſimiles. Fuit

hoc

hoc propriũ illis temporibus, ut optimè teſtatur apud Macrobium Furius Albinus, cuius uerba hæc ſunt: Nemo debet antiquiores poëtas ea ratiõe uiliores putare, quòd eorũ uerſus nobis ſcabri uidentur. Ille eñ ſtilus maximè tum placebat, diuq; laborauit ætas ſecuta, ut magis huic molliori ſtilo acquiſceret. Itaq; minimè defuerunt, imperantibus etiã Veſpaſianis, qui Lucretiũ pro Vergilio, & Luciliũ pro Horatio legerẽt. Idem Lucretius miſit ſuum opus ad C. Memmium, L. Memmij filiũ, qui à deuicta Achaia cognomẽ accepit, & urbem Corinthum diruit, ſignisq; ac tabulis ſpoliauit. Non me præterit alios in hoc diſſentire, ſed hi quidem, dum parũ diligenter temporum rationem obſeruant, facilè refelli poſſunt. Publius Vergilius nõ modò uerba aliquot accepit ex poëmatis Lucretij, ſed locos penè integros ab eo tranſtulit, quod et grãmatici ueteres accuratè notarunt. De hoc aũt Lucretij opere illud à Publio Ouidio ſcribitur:

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti
Exitio terras cum dabit una dies.

Perijt ætate integra cum paucos annos ſupra quadraginta compleſſet. Euſebius tradit, tanto cum furore percitum fuiſſe, aſſumpto amatorio poculo, ut propria manu ſe interfecerit, quo tempore (ut quidam teſtantur) Publius Vergilius uirilem togam aſſumpſit, Gn. Pompeio et M. Licinio Craſſo iterũ Coſ. Inter alios ueteres nominatur Lucretius poëta comicus, ut à Fulgentio relatum eſt in commentario de priſcis uerbis.

L. POMPONIVS BONONIENSIS *Caput* XV.

L. Pomponius attellenarum ſcriptor, hiſdem ferme temporibus in urbe praſtitit, quibus Laberius, Publius, & Iulius Calidius, ut in Latinis annalibus relatum eſt. Euſebius & alij Bononienſem hunc faciũt. Ingenio perurbano dicitur fuiſſe, & in notãdis

dis hominũ moribus maximè feſtiuo. Sunt enim attellanæ fabulæ ab Attella urbe appellatæ, in quibus poëtæ ueteres ſolebant uarios iocos atq; ſales uernili quadã dicacitate admittere. De his Pomponij attellanis M. Cicero; & Anneus Seneca pluribus locis meminerunt, ingeniumq; Pomponij uehementer commendant. Nonius Marcellus magna diligentia obſeruauit has Pomponij fabulas, quod ipſum colligitur ex illius commentarijs in quibus ſupra triginta eius comœdias nominat. Citatur Pomponius ſæpe ab antiquis grammaticis in Aleonibus, in Proſtibulo, in Pannuceatis, in Nuptijs, in Porcaria, in Priuigno, in Piſcatoribus, in Ergaſtulo, in Patruo, in Aſina, in Ruſtico, in Dotata, in Decuma Fullonis, in Præcone poſteriore, in Buccone, in Macchis, Geminis, in Verre ægroto, in Piſtore, in Syris, in Medico, in Maiali, in Sarculario, in Augure, in Petitore, in Annulo poſteriore, in Præfecto, in Ariſta, in Hirnea, in Porcetra. Itidem in Marſupio, in Aeditumo, in Auctorato, in Satyra, & in Gallis tranſalpinis. Gellius præterea & Priſcianus de attellanis Pomponij ſæpe agunt, pluresq; uerſiculos afferunt, ex quibus intelligi poteſt, quantum præſtiterit gratia & ſalibus. De Pomponio ſecundo (qui fuit ſcriptor tragœdiarum, & clariſſimus ciuis) ſuo loco dicemus.

DECIVS LABERIVS *Caput* XXI.

Decius Laberius eques Romanus fuit, & in ſecunda dignitate, quandiu uixit, ſe continuit. Studium atq; operam poſuit in ſcribendis mimis, qua in re non mediocrem laudem conſecutus eſt iudicio M. Tullij, & aliorum. Moribus præclaris, & ingenio urbano fuit. Libertate tanta in accuſandis uitijs, ut libertatis nomen excederet. Quo nomine C. Cæſar magnopere cõmotus eſt, neq; prædicare deſtitit acceptiores ſibi eſſe Publij mimos,

quàm Laberij. Traditum eſt à Sulpitio Apollinare, & Gel. in Atticis commentarijs, Laberium ipſum in ſuis fabulis quæpiam poſuiſſe paulò duriora, ac minus Latina, & ob id à quibuſdam criticis in ordinem coactum. Sed Macrobius & Anneus Seneca plurimùm Laberio concedunt, quòd in eius mimis non minus ſentẽtiarum, quàm lepiditatis foret. Quod ipſum teſtari poſſent ea carmina, quæ à noſtris grammaticis referuntur. Nonius Marcellus & alij ueteres maxima diligentia poëtam Laberium obſeruarunt, eúmque citant ſæpiſſimè in his mimis, hoc eſt, in Virgine, in Gemellis, in Necromantia, in Compitalibus, in Lacu Auerno, in Aquis calidis, in Coloratore, in Catulario, in Sororibus, in Tuſco, in Cropio, in Nuptijs, in Gallis, in Cacometon, in Saturnalibus, in Alexandrea, in Ephebo. Idem Laberius mimos ſuos egit in maxima celebritate, donatusq́; eſt ampliſſimis præmijs, ac iure ſedẽdi in quatuordecim gradibus. Proindeq́; factus nobilior, aucta dignitate, rogatus eſt à C. Cæſare, & perhumaniter inuitatus, ut in ſcenam prodire uellet, & mimos ipſe agere, quos tum aſſiduè componebat. Qua in re Laberius neceſſariò ſe coactum reſpondit, nihil tanto uiro denegare, cui & ipſi dij omnia tribuiſſent. Sed hoc iudicari melius poterit ex ipſis Laberij uerſibus, quos in fabulæ prologo inſeruit. Nos hoc loco illos adijciemus, ut facilius extimari poſſit, quantum iacturę fecimus in Laberianis mimis:

† *curſu auerſu*

Neceſſitas, cuius † curſus tranſuerti impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt:
Quo me detruſit penè extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
Nullus timor, uis nulla, nulla authoritas
Mouere potuit in iuuenta de ſtatu:
Ecce in ſenecta ut facilè labeſcit loco

Vir

Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placidè blandiloquens oratio.
Etenim ipſi dij negare, cui nil potuerunt,
Hominem me negare quis poſſet pati?
Ergo bis trigenis annis actis ſine nota
Eques Romanus lare egreſſus meo, domum
Reuertar mimus, nimirum hoc die
Vno plus uixi mihi, quã uiuendum fuit.
Fortuna immoderata in bono æquè atq; in malo
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere.
Cur cum uigebam membris præuiridantibus
Satis facere populo, & tali cum poteram uiro
Non flexibilem me concuruaſti, ut carperes?
Nunc me deijcis? quo quid ad ſcenam affero?
Decorem formæ, an dignitatem corporis?
Animi uirtutem, an uocis iocundæ ſonum?
Vt hedera ſerpens, uires arboreas necat,
Ita uetuſtas amplexu annorum necat
Sepulchris ſimilis nihil niſi nomen retineo.

Qui uerſus à Laberio ipſo ſub perſona Syri pronũciati ſunt Cunq; inter agendum quaſi cæſus ab hero, exclamaret, iniecit hunc ſenarium:

Porrò Quirites libertatem perdidimus.

Et paulò poſt adiecit:

Neceſſe eſt, multos timeat, quem multi timent.

In quo notari Cæſarem populus Romanus exiſtimauit, coniectis in eum oculis. Hinc Ceſar palmã tranſtulit ad poëtam Publium, qui in eadem ſcena mimum agebat. Laberiũ uerò donauit anulo aureo, quingentis HS additis. Tum Laberius perſpecto ingenio Cęſaris in ſequẽti cõmiſſione interiecit hos uerſus:

Non poſſunt primi eſſe omnes omni tempore
Summum ad gradum cum claritatis ueneris
Conſiſtes ægrè,citiusq́;,quàm aſcendis decidas.
cecidi ego,cadet qui ſequitur,laus eſt publica.

Ad extremam ſenectutem acceſſit,corpore ualido,& ſenſibus integris.De obitu nihil hactenus legimus.

Q. CATVLVS Caput XXII.

Q.Catulus ex Catulorum familia illuſtri natus, ingenio præclaro fuit,& ad carmen faciendum mirè accomodato. Dilectus maximè eſt à C.Cotta, & L. Craſſo propter elegantiam ingenij, & morum ſuauitatem.Idem Catulus tam uenuſtè atq; egregiè luſit epigrammata,ut ab antiquis authoribus relatum ſit,nihil apud Latinos aut Græcos legi poſſe mundius, preſſius, aut uenuſtius,Q.Catuli epigrammatis.Traditum eſt fuiſſe illum facili animo & procliui ad amores ac delitias.Itaq; Roſcium Gallum præcipuè dilexit, qui tum adoleſcẽs elegãti forma,& indole optima florebat: etſi oculos peruerſos habuit,ut M.Cicero,& Diomedes grammaticus teſtant̃. Epigramma autem lepidiſſimum Q.Catuli celebratũ eſt à Marco Tullio de forma Roſcij,quod apponemus:

Conſtiteram exorientem auroram fortè ſalutans
Cum ſubitò à læua Roſcius exoritur,
Pace mihi liceat cæleſtes dicere ueſtra
Mortalis uiſus pulchrior eſſe deo.

Laudatur & illud maximis laudibus,quod ad Theotimum ſcribit.ut relatum eſt in commentarijs Atticis:

Aufugit mi amicus,credo ut ſolet ad Theotimum
Deuenit,ſic eſt,perfugium illud habet.
Quid ſi non interdixem,ne illum fugitiuum
Mitteret ad ſe intrò,ſed magis eijceret.

Ibimus quæſitum, utrum ne ipſi teneamur.
Formido, quid agam, da Venus conſilium.

Hic eſt ille Q. Catulus, qui cum Mario conſule familiariter uixit, & à Marco Tullio magnopere laudatus eſt, quod Archiam, Licinium, & amare, & probare poſſet. De Quinto Catullo uiro cenſorio qui dedicauit capitolium) dicetur à nobis commodius.

Q. ATTA *Caput* XXIII.

Q. Atta togatarum ſcriptor habitus eſt, & in his componendis magnopere à quibuſdam commendatur. Sunt qui referant eundem Romæ uerſatum his temporibus fuiſſe, quibus Pomponius Bononiēſis in ſcena floruit, & Plotius Gallus in tradendis præceptis rhetorices præſtitit. Horatius Flaccus in ea epiſtola (qua loquitur de Latinis poëtis) uidetur Attæ fabulas notare, indignasq; exiſtimare, ut à Romanis ciuibus tanto ſtudio, atq; attentione audirentur:

Rectè nec ne crocum, floresq; perambulet Attæ
Fabula, ſi dubitem, clamant periiſſe pudorem
Cuncti penè patres, ea cum reprehendere coner:
Quæ grauis Aeſopus, quæ doctus Roſcius egit.

Citantur ſæpe à Latinis grammaticis comœdiæ, Q. Attæ, quo circa ueriſimile eſt in magno precio illas fuiſſe habitas. Gellius quidem & alij citant eum in Conciliatore, in Aedilibus, in Tyrone proficiſcente. Traditum eſt cognomē Attæ illis eſſe impoſitum, qui eo uitio pedum laborant, ut uideantur magis inniti plantis, quā liberè ambulare. Iſidórus nominat Attam in ſatyris, quo loco de cæreis & graphijs diſſerit. Sed parū mihi compertū an ad hunc ipſum referri oporteat. Seruatū eſt in Latinis annalibus Attā Romę periiſſe, & in uia Prænestina ſepultum, ſecundo ab urbe miliario.

Attæ.

PVBLIVS SYRVS Caput XXIIII.

PVblius,natione Syrus,in ſcribendis mimis operam poſuit,ac in magno precio his tēporibus habitus eſt,quibus M.Cicero, & Nigidius Figulus perierunt,ut in Latinis annalibus notatum. Idem Publius (ut ſcribit Macrobius) cum puer deduceretur ad patronum,domum,facilè illum promeruit, cum gratia & decore formæ,tum ſalibus atq; ingenio. Quibus rationibus factum eſt,ut à dominio manumiſſus eſſet, & maiori diligentia,quā antea diſciplinis liberalibus eruditus,breuiq; tanto profecit,ut in fabulis componendis magnam nominis celebritatem ſit adeptus. Referuntur ab Auieno dicteria quædam Publij,in quibus mira feſtiuitas, atque incredibilis comitas apparet. Iulius cæſar palàm profeſſus eſt, ſibi acceptiores fuiſſe Publij mimos,quā Laberij,propter ſententiarum grauitatem atq; ſingularem elegantiam. Quocirca prælatus illi eſt, & in ſcena uictor pronūciatus. Caſſius quoque Seuerus,tantum concedebat Publianis mimis, ut eius carmen diſertiſſimum uocaret. Neq; illud omittendum eſt, quod idem Publius in ludis cæſaris omnes illos longè ſuperauit,qui carmen in ſcenam attulerint: in quorum numero Dec. Laberius fuit. Nos hoc loco uerſiculos aliquot referemus ex illius mimis, qui ab antiquis authoribus in ſummo precio habiti ſunt: & perinde accepti, ac ſententiæ quædam ex intimis philoſophiæ adytis, quòd ad uitæ officia, morumq; probitatem maximè pertinere uideantur:

Tam deeſt auaro,quod habet, quàm quod non habet.
Deſunt luxuriæ multa, auaritiæ omnia.
O uita miſero longa, felicibus breuis.
Pars beneficij eſt,quod petitur ſi bellè neges.
Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Cui

Cui plus licet, quàm par eſt, plus uult, quàm licet.
Alienum eſt omne, quicquid optando uenit.
Feras, non culpes, quod uitari non poteſt.
Furor fit læſa ſæpius patientia.
Malum conſilium eſt, quod uitari non poteſt.
Nimium altercando ueritas amittitur.
Nunquàm periculum, ſine periculo uincitur.
Comes facundus in uia pro uehiculo eſt.
Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt.
Ita amicum habeas, poſſe ut hunc fieri inimicum putes.
Improbè Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.
Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.

De obitu ipſius Publij nihil apud ueteres legimus.

PORTIVS LICINIVS *Caput XXV.*

Portius Licinius ex Liciniorũ familia nobili ortus, uir clarus habitus eſt, tum ingenio facili & eleganti, præſertim in componendis epigrammatis. Iulianus rhetor (qui Hadriani principis temporibus uixit) Licinij carmen magnis laudibus extollit: adeò, ut hunc ipſum præferre nõ dubitauerit poëtis omnibus Græcis, quod in Atticis commentarijs obſeruatum à Gellio eſt, quo loco Val. Aeditui. Q. Catuli & Portij Licinij carmen recenſuit. Afferuntur eiuſdem Licinij uerſus complures à noſtris grammaticis, ex quibus probari poteſt, quàm eleganter atq; egregiè poëtæ officium abſoluerit. Nos hoc loco adijciemus epigramma illud elegantiſſimum, in quo ſuos calores, atq; animi æſtus uenuſtiſſimè expreſſit:

Cuſtodes ouium, teneræq; propaginis agnum,
Quæritis ignem, ite huc, quæritis, ignis homo eſt.
Si digito attigero, incendam ſyluam ſimul omnem

Omne

Omne pecus flamma eſt, omnia quæ uideo.

Sunt qui credant eundem Licinium ſcripſiſſe annaleis octo narrijs uerſibus, ſed hoc non ſatis mihi compertum eſt. Illud pro certo haberi debet Macrum Liciniũ fuiſſe authorem annalium Romanorum, de quo dicturi ſumus commodius.

VALERIVS AEDITVVS Caput XXVI.

VAlerius Aedituus, in ſcribendis epigrãmatis poẽta inſignis habitus eſt, maximeq́; aptus ad exprimendas ueneres ac delitias. In quo numero à grãmaticis noſtris relati præcipuè ſunt, Quintus Catullus, Portius Licinius, & Valerius Catullus. Magnopere commendatur Aedituus ab Aulo Gellio, tantumq́; illius carmini conceſſit, ut affirmare auſus ſit nihil ſe legiſſe, uel apud Græcos poëtas uenuſtius, aut ſuauius, qui uideri ſolent cæteris omnibus in hoc genere ſcribendi gratiores atq; elegantiores. Sed eſt adijciendum carmẽ Valerij Aeditui, quo facilius poſſint de hoc ſtatuere, qui hæc legerint. Sic igitur ad Pamphilam:

Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis
Quid mi abeſte quæram, membra labris abeunt
Per pectus miſerum manat ſubitò mihi ſudor
Si tacitus, ſubidus, duplo ideo pereo.

Neq; illud prætermittam ad puerum Philerotem, in quo ſuauior atq; ad ignem profluentior apparet:

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis
Ibimus, hic lucet pectore flamma ſatis.
Iſtam non potis eſt, uis ſæua extinguere uenti,
Aut imber cælo candidus præcipitans.
At contra hunc ignem Veneris, ſi non Venus ipſa
Nulla eſt, quæ poſſit uis alia opprimere.

Laudat idẽ Aedituus, cũ ab alijs multis, tum à M. Varrone qui eius uerſiculos alicubi citauit. De moribus aũt & uita ipſius nihil aliud legimus.

C. VA-

C. VALERIVS CATVLLVS. *Caput* XXVII.

C. Valerius Catullus Veronæ natus eſt, quo tẽpore Terentius Varro in urbe claruit. Quidã Criſpum Salluſtium Catullo ſuparem faciunt. A Catulli autem natalibus ad Publium Vergiliũ paulò minus, quàm duodeuiginti anni connumerantur: ſi quorundam annales ſequimur: quando & illud pro comperto habetur, carmen de paſſere Lesbiæ ad Vergilium fuiſſe miſſum:

Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſserem Maroni.

Cæterùm nõ humili loco, aut obſcuro natus eſt: ſiquidẽ eius parens authore Suetonio Iulij Cæſaris hoſpitio familiariter uſus eſt. Val. autem Catullus primò traditur à Mallio Romã deductus, cũ adhuc in tenera ætate ageret. Paulò mox ingenij facilitate, & doctrina adeò Romæ acceptus atq; ciuibus gratus fuit, ut Marci Tullij patrociniũ meruerit: quod ipſum eleganti epigrammate ingenuè teſtatus eſt, quo gratias Ciceroni patrono egit:

Diſertiſsime Romuli nepotum
Quot ſunt, quotq; fuere Marce Tulli
Quotq; poſt alijs erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſsimus omnium poëta,
Tanto peſsimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Mallium uerò & eius nuptias magno ſtudio celebrauit, cum quo ſe excuſat parũ ſibi licere ueteres amores (ut antea) decãtare: quoniam fratrẽ amiſerit. Ex cuius interitu ſtudiũ inquit ſuum ſcribendi carminis ſe abieciſſe. Sic enim ad Mallium:

Sed tibi ne mea ſint ignota incommoda Malli

Neu me odiſſe putes hoſpitis officium:
Accipe quàm merſer fortunæ fluctibus ipſe
Ne amplius à miſero dona beata petas.
Tempore quo primum ueſtis mihi tradita pura eſt,
Iucundum cum ætas florida uer ageret,
Multa ſatis luſi,non eſt dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amariciem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit,heu miſero frater ademptc mihi.
Tu mea,tu moriens fregiſti commoda frater,
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.

Inter cæteros amicos Furium & Aurelium magnopere dilexit. Cinnam quoq; Cornificium, Fabullum, & Verannium, quem alicubi Veranniolum blanditer appellat. Puellam prætereà Ipſitillam, conciuem ſuam, & Clodiam amauit, quam ficto nomine Lesbiam dicit: ſicuti Madaurenſis Apuleius teſtatur in oratione ad Claudium maximum. Eruditorum conſenſu docti cognomen accepit, ita enim peculiari epitheto Catullus cenſetur, atq; hunc equidem Ouidius Vergilianæ maieſtati opponit: tantum nominis apud eruditos ac laudis eſt conſecutus. Sed & uerſus ipſius quanquam ut duriuſculi notantur (quod uterq; Plinius aſſerit) tamen perelegantes habiti ſunt, ac ſectatores complures in his inuenit, ſicuti Pompeium Saturninum, & Sentiũ augurem, qui Catulli epigrammata, ac Licinij mira diligentia ac ſtudio ſunt æmulati, ut aliâs diximus. Valerius Martialis Catullum ſibijpſi audacter præponit. Sic enim ad Macrum:

Nec multos mihi præferas poëtas
Vno ſed tibi ſim minor Catullo.

Opus ſuum ad Corn. Nepotem miſit, uirum doctrina, &

rerũ

rerum cognitione egregiũ. Diuiditur autem in libros treis, ut primus lyricos, ſecundus elegiacos, tertius epigrammata contineat. Ad hunc enim modum ordinem ferè meliorem cuſtodiemus. Elegiam de coma Berenices ex poëta Callimacho in Latinos numeros conuertit, eamq́; ad Ortalum amicum miſit, quæ in elegiarum adhuc libro legitur. Idem Val. Catullus à Fabio Quintiliano & Diomede inter iambicos reponitur, ab aliis inter Lyricos. In Atticis noctibus, ut poëta elegantiſſimus ac uenuſtiſſimus à Gellio laudatur. Neque illud omittendum eſt, fuiſſe ab ipſo Catullo alia complura compoſita, quæ uitio longæ uetuſtatis deſiderantur. Caius autem Plinius libro hiſtoriæ naturalis uigeſimoctauo ad cæſarem Veſpaſianum (cum de magia diſſerit) Amatorium de incantamentis carmen à Catullo æditum refert. Hinc Theocriti inquit apud Græcos, Catulli apud nos, proximeq́; Vergilij incantamentorũ amatoria imitatio. Sed carmen Ithyphalicum ſcripſit, ut eſt optimus teſtis Maurus Terentianus ad Nouatenum, qui hos Catulli uerſiculos citat:

Et ferme modus hic datur à pleriſq; Priapo.
Inter quos cecinit carmen quoq; Thale Catullus.
Hunc tibi lucum dedico, conſecroq; Priape,
Nam te præcipuè in ſuis urbibus colit ora
Helleſpontiaca cæteris oſtrioſior oris.

Cæſarem maximè Iulium Mamurram, & Nonium Strumam iambicis nominatim proſcidit, ex ueterum conſuetudine, ut C. Lucullus iambicorum author, Luciliúſque & Næuius. Qua in re dignũ illud memoria eſt, quod ipſe Cæſar cum perpetua ſibi ſtigmata (ut ait Suetonius) impoſita uideret, ex Catulliano carmine de Mamurra, eadem tamẽ die poëtã ipſum cœnæ adhibuit, ſimulq́; hoſpitio ſuo nõ ſecus atq; antea uti eũ ꝑmiſit. Mortuus eſt Romæ in iuuenili

admodum ætate, cum annum circiter trigeſimum ageret ut quidam putant, quo tempore Publius Vergilius in urbe Cremona ſtudijs operam daret. Vulgatum quoq; de Vaterio Catullo illud:

Tantum paruus ſuo debet Verona Catullo,
Quantum magna ſuo Mantua Vergilio.

COR. LICINIVS CALVVS Caput XXVIII.

COr. Licinius Caluus in poëmatis ſcribendis per elegans habitus eſt, & apud ueteres inter optimos poëtas relatus. Ingenio lepido & urbano fuit. Cumq; ſuauiſſimis moribus præſtaret, præcipuè dilectus eſt à Val. Catullo, qui ſumma familiaritate cum eo uixit, quod ex Catulli uerſibus facilè poſſumus colligere. Dicitur fuiſſe breui ſtatura, & exiguo corpore, quocirca Sollopichius eſt appellatus à Catullo, ut apud Anneũ Senecã copioſè exponitur. Idem Caluus puellam Quintiliam amore incredibili dilexit, cuius interitũ cũ moleſto animo ferret, teſtatus eſt ſcriptis carminibus de obitu illius:

Hoc etiam docti, confeſſa eſt pagina Calui
Cum caneret miſeræ funera Quintiliæ.

Eruditionem Calui atq; elegantiã in cõponendis uerſibus præcipuè cõmendauit Sentius poëta et M. Cicer. qui refert eũ in ſcribendis iambicis præſtitiſſe. In his eñ minimè dubitauit principes etiã ciuitatis acerrimè inſectari, ut C. Cæſarẽ & Pompeiũ. Fuiſſe eundẽ oratorẽ oſtendunt Fabius Quintil. & An. Seneca, qui Caluũ hunc tradunt habuiſſe diu iniquiſſimã litẽ cũ M. Cicerone de principatu eloquẽtiæ, et cõtra Vatiniũ in eo accuſando uiolentũ ſe atq; acerrimũ præſtitiſſe. An fuerit alter Caluus orator cõmodius diſſeremus, cũ probatiſſimi authores in hoc uideantur diſſentire.

Q. COR.

Q. CORNIFICIVS *Caput* XXIX.

Q.Cornificius per eadem tempora in poëtice floruit, quibus in ſcribēda hiſtoria Salluſtius, Luceius, & Cor. Nepos in urbe præſtiterūt. Fuit ingenio elegāti & lepido, atq; in ſcribendis epigrāmatis uerſatus eſt. Pub. Ouidius Cornificiū hunc nominat inter eos poëtas, qui poëmata & amores decantarūt, ut Caluū Metellum, Cinnam, Hortenſium, Catullum, Propertium, & alios. Grāmatici ueteres ſiquando citant uerſiculos Cornificij, permultū illis cōcedunt. Val. Catullus ſæpe ad hunc ipſum ſcribit, qua in re facilè demonſtrat, quanta familiaritate cum eo uixerit. Sororem habuit nomine Cornificiam, ut ab Euſebio relatum eſt, cuius carmen in magno precio habitum inuenio. Idem Cornificius in militia uerſatus dicitur, & cum præfecturam cohortium haberet, ſuosq; milites paulò ignauiores uideret ad ſubeunda belli diſcrimina, nō deſtitit eos liberius increpare, & iocularibus dictis illudere, galeatos lepores appellans, quòd audito pugnæ claſſico, minimè gradum ſeruarent, ſed relicto præſidio, temerè palantes diffugerēt. Neq; deſunt qui referant eundem aliquādo deſtitutum à militibus inter dimicandum occidiſſe. De Cornificio oratore (qui rhetoricos libros compoſuit) diximus in libris de oratoribus.

C. HELVIVS CINNA *Caput* XXX.

C.Heluius Cinna in epigrammatis & poëmatis deſcribendis nobilis habitus eſt. Eadem ętate claruit (ut conſtat) qua Catullus, Caluus, Hortenſius, & Cornificius celebres fuerūt. Commendat maximè illius ingenium atq; diligentia in abſoluendis carminibus. Inter cæteros amicos poëtam Catullum & Val.

Catonem ſumma beniuolentia dilexit, qui Lydiam & Dianam cōpoſuit. Idem Cinna opus perfecit titulo Smyrnæ, in quo nouem annos conſumpſit, non ſine maxima laude ſui nominis. Itaq; L. Craſſitius inter ueteres grāmaticos excellens, illud interpretatus eſt, ac tanta eruditione id effecit, ut uulgò relatum ſit:

Vni Craßitio ſe dicit Smyrna probare
Deſinite indocti coniugio hanc petere.
Soli Craßitio, ſe dixit nubere uelle,
Intima cui ſoli uota ſua extiterant.

Fabius Quintilianus magnopere commendauit Cinnæ opus, ut magno ſtudio elaboratū, ac diligenti lima perfectū, in qua ſententia & Catullus fuit, qui Voluſio & Hortenſio poëtis Cinnæ carmē præpoſuit. Gellius & alij grammatici perſæpe citant Heluij Cinnæ poëmata, ex quibus apertè colligitur, quā falſa ſit, atq; inepta illorū opinio, qui ſcripſerunt fuiſſe hunc poëtam implicatū & perobſcurū. Sunt qui credant eundem eſſe qui occiſus fuerit à plebe Romana, pro Cor. Cinna ſimilitudine nominis decepta, quo tempore celebratū eſt funus, C. Cæſaris ac Romana plebs cum facibus ad ædes Bruti & Caſſij acceſſit.

M. FVRIVS BIBACVLVS *Caput* XXXI.

M. Furius qui cognomine Bibaculus eſt appellatus, Cremonæ (ut quidam ſcribunt) natus eſt, hiſdem propè temporibus, quibus poëta Lucilius, & Sex. Turpilius, comœdiarū ſcriptor perierunt. Fuit ingenio ſummo & imprimis lepido, adeò ut de ſuo quoq; nomine iocatus dicat: Et Bibaculus erā & uocabar. Quod eſt ab eo dictum imitatione poëtæ Anacreontis, qui neq; ꝓprio nomini pepercit. Idem Furius Bibaculus in carmine iambico uerſatus eſt, cuius acerbitatem, tam doctè

quā

quàm egregiè expreſſit, ut non minorem laudem tulerit, quàm Val. Catullus aut Horatius, ut aſſerit Fabius Quintilianus. Quocirca ueriſimile eſt, Meſſalam Coruinum, pertimuiſſe ingeniũ, & mordacitatem Bibaculi, cum in epiſtola ſcripſerit: nihil ſibi eſſe cũ poëta Bibaculo. Amicos habuit Gallum poëtam et Val. Catonem, quorum ingenium ac doctrinam ſuis hendecaſyllabis laudat. Extãt adhuc elegantes uerſiculi ad Gallum de uilla Tuſculana Catonis quæ propter æs alienũ creditoribus ceſſerat. Nos eos aſcribemus, quo melius poſſit iudicari de Bibaculi ingenio:

Catonis modò Galle Tuſculanum
Tota creditor urbe uenditabat.
Mirati ſumus unicum magiſtrum
Summum Grammaticum, optimum poëtam
Omnes ſoluere poſſe quæſtiones,
Nullum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Afferũtur & alia complura eiuſdem Bibaculi à noſtris grãmaticis, quibus facilè intelligitur, quantum ingenio & elegantia præſtiterit. Hæc ſunt quæ legimus apud ueteres de Furio Bibaculo.

PVB. TERENTIVS VARRO ATACINVS *Caput* XXXII.

PVblius Terentius Varro Atacinus, hiſdem temporibus natus eſt, quibus M. Cicero & Hortenſius clari habebantur in eloquẽtia. Quidam ob id uocarunt Atacinũ, quòd oriundus foret ab Atace uico prouinciæ Narbonenſis: uel ab Atace fluuio, ut alij exiſtimant. Ingenio præclaro fuit, & in componendis poëmatis mirifico ſtudio incubuit. Idem Varro ſingulari diligẽtia (ut traditur) Græcas litteras didicit, quo facilius poſſet illorum ingenia atq; doctrinas imitari. Scripſit Argonautica ſequu-

ſequutus Apollonium Rhodium, ſuumq́ opus libris quatu or abſoluit, ſi antiquis authoribus credimus. Fabius Quinti lianns de hoc Varrone ſic ad Marcellum ſcribit, quo loco iu diciū facit de Latinis poëtis, Atacinus in his (per quæ nomen eſt aſſequutus) interpres operis alieni nō ſpernendus quidē, uerùm ad augendam facultatē dicendi parùm locuples. Probus Valerius & alij grammatici celebrant Argonautica Ata cini, ac ſæpe uerſiculos ex illis referunt. Scripſit etiam epigrā mata, & carmen elegiacum, in quo decantauit puellam no mine Leucadiam quam præcipuè dilexit. Hinc illud notum:

Leucadia,

Hæc quoq; perfecto ludebat Iaſona Varro
Varro Leucadiæ maxima flamma ſuæ.

Illud prætereà relatum eſt ab antiquis authoribus, Pub. Vergilium magnopere delectatū Varronis ingenio, ac illius carmen magno ſtudio imitatum. Citantur à Priſciano hi uerſus in Varronis orthographia:

Ergo inter ſolis ſtationem & ſidera ſeptem
Exporrecta iacet tellus huic extima fluctu
Oceani: interior Neptuni cingitur ora.

C. TICIDA. Caput XXXIII.

C. Ticida in ſcribendis epigrammatis claruit, his maximè temporibus, quibus Cor. Cinna Val. Catullus, & Cornificius præſtiterunt. Afferuntur à grāmaticis noſtris Ticidæ uerſus, ex quibus colligitur, fuiſſe illum elegan ti ingenio, & ad ſcribendum carmen accommodato. Meſſala Coruinus in epiſtola quadam (ut à Suetonio relatum eſt) de hoc Ticida meminit, ſcribens nihil ſibi eſſe cum Furio Biba culo & Ticida. Neq; deſunt apud nos, qui tradāt ab eodem Ticida dilectam fuiſſe Metellam, quam mutato nomine Pe rillam appellauit, quod etiam Catullus fecit, qui Lesbiā pro

Metella Perilla,

Clodia

Clodía nominauit. Habuit inter principes amicos Val. Catonem, cuius poëmata illuſtrauit æditis uerſibus de Lydia illius. Priſcianus Ticidam in hymeneo citat, repetens hunc uerſiculum:

Felix lectule talibus ſole amoribus.

Ouidius quoq; inter eos poëtas hunc enumerat, qui amores decantarunt: ut Metellum, Cornificium, Catonem, Caluū, & alios. Hæc ſunt quæ de C. Ticida apud ueteres legimus.

FVRIVS ANTIAS *Caput* XXXIIII.

FVrius Antias, poëta inſignis habitus eſt, & inter uetuſtiores receptus. Macrobius Furiū hunc & alios complureis enumerat, à quibus poëta Vergilius permulta (ut fit) mutuatus eſt: ut Ennium Næuium, Accium, Lucretium, & Varium. Idem Furius annaleis compoſuit hexametris uerſibus, & poëmata ſatis erudite, & eleganter. Neq; probandus eſt Ceſellius uindex grāmaticus, qui reprehendere Furium auſus eſt, atq; in ordinem redigere. Qua in re parūm prudenter ſe criticū profeſſus eſt, ut A. Gellius teſtatur. Itaq; petulantiæ ſimul atq; inſcitiæ arguitur, quòd hæc uerba damnauerit in Furij poëmatis, id eſt terram luteſcere, nocteſcere, increſcere, purpurare, opuleſcere. Verſus adijciemus ex poëmatis Furianis, in quibus hæc ſunt, ſicuti adhuc leguntur in Atticis commentarijs:

Sanguine diluitur tellus, caua terra luteſcit,
Omnia nocteſcunt tenebris caliginis atræ.
Increſcunt animi, uireſcit uulnere uirtus.
Vt fulica ipſa leuis uolitat ſuper æquora claſſis
Spiritus eurorum uirideis cum purpurat undas,
Quo magis in patrijs poßint opuleſcere campis.

Nonius Marcellus, & alij grammatici perſæpe afferunt uerſus Furij Antiatis, ex quibus colligitur, non illi defuiſſe

KK inge

ingenium aut eruditionem. De M. Furio (qui Bibaculus eſt appellatus) ſuo loco diximus.

L. IVLIVS CALIDIVS *Caput* XXXV.

L. Iulius Calidius, Romæ natus, ex nobili Callidiorũ familia, equeſtrem dignitatẽ ſeruauit, uir probo ingenio ornatus, & optimis artibus inſtitutus. Pedianus & alij ueteres multùm Calidio tribuunt, quòd in abſoluendo carmine plurimùm præſtiterit. Coluit enim magno ſtudio poëticen, ut Cor. Nepos teſtatur, qui Calidium hunc elegantiſſimũ poëtam uocat, & Lucretio ac Val. Catullo adiungit. Neq; dubiũ eſt, eundem fuiſſe uehementer dilectum à Pomponio Attico, & maximis periculis ab eo diligẽter defenſum atq; ſeruatum, ut ueteres authores referunt. Idem Calidius (cum eſſet relatus in numerum proſcriptorũ à Pub. Voluſio, qui fuit præfectus fabrùm Antonij) ab Attico abſolutus eſt propter ingeniũ ſuum atq; elegantem eruditionẽ, quod à Cor. Nepote ſcribitur. De poëmatis Calidij & eius obitu nihil hactenus legimus. De M. Calidio dicemus commodius.

LAVREA TVLLIVS *Caput* XXXVI.

LAurea Tullius, M. Tullij oratoris libertus fuit, & à patrono ſuo propter ingenium, atq; eruditionis elegantiam magnopere dilectus. Cicero enim Tyronem ac Lauream libertos ſuos magnifecit, quod cum alia multa, tum illius epiſtolę teſtantur. Ipſe autem Laurea ingenio pręſtitit, ac in poëmatis ſcribẽdis claruit. Quæ res Plinij teſtimonio patet, qui præcipuis laudibus carmen illius commẽdat. Inter alia epigrammata ſcripſit illud notum de laude Marci Ciceronis, ac de aquis in academia uilla erumpentibus, quæ remedium

dium ægris oculis afferrent. Carmen id eſt dignũ ſanè quod ubiq; legatur propter egregiam indolem, & elegantem ſuauitatem:

Quod tua Romanæ uindex clariſſime linguæ
Sylua loco melius ſurgere iuſſa uiret.
Atq; academiæ celebratam nomine uillam.
Nunc reparat cultu ſub potiore uetus.
Hinc etiam apparent lymphæ non antè repertæ
Languida, quæ infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem
Sint plures oculis, quæ medeantur aquæ.

Leguntur & apud Græcos epigrammata Laurea, in quibus par elegantia, atq; eruditio habetur. Mihi non ſatis conſtat, an idem ſit qui fuerit Marci Tullij libertus.

PETRI CRINITI PRAEFATIO libri tertij de poëtis Latinis ad Coſmũ Paccium pontificem Arretinum.

PEruentum eſt ad ea tẽpora Coſme pont. Arretine, quibus omnes bonæ diſciplinæ acceſſerũt ad ſummum faſtigium, unà cũ maieſtate Romani imperij. Qua in re cum conſidero uitæ mortalium conditionem, permultum quidem intereſſe exiſtimo in rebus humanis, quo maximè æuo, quibusq; potiſſimũ ciuitatibus ipſi homines ætatẽ degant. Imperãte enĩ cæſ. Augu. tam ꝓſperè, tãq; feliciter humano generi conſultũ uideri poteſt, ut nemini dubium ſit, optimis auſpicijs atq; cõſilijs per ea tẽpora adminiſtratũ fuiſſe imperiũ, & omnes artes in ſum

ma dignitate Romę claruiſſe. Nam ubi præmiorum ſpes ali qua eſt, illorum animis qui in preclaro facinore intenti ſunt mirum profectò eſt, quantum excitentur indies, atq; accendantur ſtudia mortalium ad capeſſendam uirtutē. Quo factum eſt, ut uigente Romani imperij fortuna, clariſſima ingenia in ciuitate præſtiterint: nō modò in facultate poëtica, ſed in cæteris omnibus diſciplinis, quæ honeſtæ ac liberales haberi ſolēt. Sequētibus deinde ſæculis, poſthabita uirtute, cum uitia hominum magis æſtuarent, paulatim reſpub. delapſa eſt in partem deteriorem, & ſimul fortunæ conditio cum moribus immutata eſt. Itaq; luxus & immoderatæ libidines ciuitatē primò inuaſerunt: deinceps (ut in magno malo atq; licentia accidit) nimia imperandi ambitio, cuiuſq; animos occupauit, quibus malis impedita ac fatigata ciuitas, non tantum priſtinam dignitatem diminuit, ſed ipſum præterea imperium peſſimè affecit. Quæ omnia relata ſunt à nobis ob eam rationē, ut facilius intelligere poſſimus, quantum eorum imperio mortales iure optimo debent, quibus datum eſt, rectè, ordineq; rempub. moderari, & ingenia ciuium digna mercede confirmare. Nunc ad Publium Vergilium accedemus, qui Auguſto principi gratiſſimus fuit, & ſimul complectemur eos omneis poëtas hoc uolumine, qui uſq; ad Flauios imperatores deuenerunt.

PETRI

PETRI CRINITI

DE POETIS LATINIS, AD COSMVM PACCIVM PONTIFICEM ARRETINVM, LIBER TERTIVS.

P. VERGILIVS MARO *Caput* XXXVII.

PVb. Vergilius Maro natalem ſuum habuit Idibus Octobris, M. Craſſo, & Cn. Pompeio Coſ. quæ res probatur cũ ueterũ monimentis, tum uerſibus illis Val. Martialis:

Maiæ Mercurium creaſtis Idus,
Auguſtis redit Idibus Diana:
Octobres Maro conſecrauit Idus.

Natus eſt in uico Ande, qui non longè abeſt ab urbe Mantua, ob id quæ Andinus uates appellatur à Silio Italico. Modicis facultatibus, peneq́ exiguis, primã ætatem tranſegit. Deinde cum tempus aduētaſſet capiendæ eruditionis, optimis præceptoribus atq; eruditis operam dedit, idq́ effecit uarijs ac diuerſis urbibus. Nam Cremonę primum, deinceps Mediolani, ac poſtremò Neapoli ingenium ſuum magna diligentia & incredibili ſtudio excoluit, maximeq́ Orbilium & Scribonium Aphrodiſium audiuit, à quibus maturè inſtructus. Traditum eſt à ueteribus eodem die poëtã Vergilium induiſſe uirilem togam, quo T. Lucretius in fata conceſſit. Adeò inſigni modeſtia & uerecundis moribus dicitur fuiſſe, ut uulgò appellatus ſit Parthenia, quod præter alios multos etiam poëta Auſonius teſtatur in epiſtola ad Paulinũ. De poëmatis ipſius minimè oportet hoc loco plu ribus agere, cum Seruius grãmaticus & alij plures diligen-

Vergilius Andinus uates.

ter de his ſcripſerint, tradentes, quæ ſint ad hunc ipſum referenda, quibuſq; temporibus ab eo compoſita. Idem Seruius octo opuſcula pro Vergilianis enumerat, hoc eſt, Cyrin, Aethnam, Culicem, Catalecton, Priapeia (de quibus inter grammaticos non ſatis adhuc certis argumentis conſtat) Copam, Epigrammata & Diras. In Buccolicis Theocritum poëtam eſt imitatus: in Georgicis Heſiodum, quē ſine ulla quidem cōtrouerſia longè ſuperauit: in ipſa Aeneide ſequutus eſt ex authoribus Græcis, Parthenium, Piſandrum, Apolloninum Rhodium, & in primis Homerum. Ex Latinis, Q. Ennium, Liuium Andronicum, Næuium, T. Lucretium & alios compluresis, quod ipſum cum alij ꝑmulti adnotarūt, tum præcipuè Macrobius. Octauius cæſar (qui per ea tempora optimis auſpicijs imperium orbis terrarum gubernauit, & in poëtica facultate excelluit) maxima uoluptate tenebatur in legendis atque audiendis Vergilij carminibus, quocirca frequētes epiſtolas ad eum mittere conſueuit, plenas officij atq; beniuolentiæ. Neq; ab re futurum eſt apponere particulam epiſtolæ Publij Vergilij in qua reſpondet Octauio principi, ut Symachus teſtatur: De Aenea quidem meo (inquit) ſi meherclc iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem, ſed tanta inchoata res eſt, ut penè uitio mentis tantum opus ingreſſus mihi uidear, cum præſertim (ut ſcis) alia quoque ſtudia ad id opus, multóque priora impertiar. Quibus uerbis facilè poſſumus colligere, quantum laboris atque uigiliarum poſuerit Vergilius in hoc poëmate abſoluendo. Statius Papinius, & Silius Italicus, ita Vergilij opera admirati ſunt, ut nihil prætereà ſe dicant magis cupere, quā poſſe imitari aliqua in parte maieſtatem Vergiliani carminis. Fabius Quintilianus (cum de poëtis Latinis loquitur)

Octauius poëta.

quitur) Maronem ipſum longè omnium principem conſtituit, quem cæteri maximo interuallo ſubſequantur: quod etiam Domitius Afer exiſtimauit, qui eum poſt Homerū fecit ſecundum, ſed magis proximum quàm tertio. Neque defuerunt apud ueteres, qui tam peruerſo ingenio fuerint, tanq; abſurdo, ut reprehendere Vergilium ipſum non dubitauerint, & in omni poëtica elegantia ineptū dicere. Carbilius quidem grammaticus librum compoſuit de Vergilianis erroribus, cui titulus fuit Aeneidomaſtix. Alij præterèà complures furta eiuſdem colligentes, ut imperitū furem accuſarunt, de quo multa ſcribuntur à Macrobio in Saturnalibus. Cæſar Caligula nihil ueritus eſt affirmare, nullo ingenio, minimaq; doctrina fuiſſe Vergilium. Itaq; paulò abfuit (ut Suetonius refert) quo minus ex omnibus bibliothecis ſcripta & imagines illius aboleret. Qui uerò ſumma eruditiōe præſtant, & inexploranda atq; cenſenda antiquitate excellunt, eam dicunt eſſe maximam laudem, præcipuamq; gloriam Vergilij, ut nullius laudibus creſcat, nullius uituperatiōe minuatur. Vulgatum eſt, cautum fuiſſe ab eo teſtamento, ut hoc opus Aenidos cremaretur, uelut imperfectum, atque inemendatum. Qua in re apponemus eos uerſus, qui referuntur ab antiquis grammaticis in Octauium Auguſtum:

Ergo ne ſupremis potuit uox improba uerbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaq; doctiloqui morietur muſa Maronis?
Ah ſcelus indignum, ſoluetur littera diues
Et poterunt ſpectare oculi, nec parcere honori
Flamma ſuo, doctumq; operi ſeruabit amorem:
Pulcher Apollo ueta, Muſæ prohibete Latinæ.
Liber & alma Ceres ſuccurrite, ueſter in armis
Veſter miles erat, docilis per rura colonis,

Nam

Tacitus eundem Vergilium maximo honore habitũ ab uniuerſo populo Romano & aſſurrexiſſe illi auditis uerſibus in theatro, præſentemq́ ac ſpectantem Vergilium pari ueneratiõe obſeruaſſe, atq Octauium principem. Traditum eſt habitaſſe in Eſquilijs ſecundũ hortos Mecœnatis, ſepeq́ in Cãpaniam ſolitum decedere ad animũ atq ingenium recreandum, quo liberius pro loci amœnitate nauare operam poſſet inchoatis à ſe operibus. Helius Meliſſus grammaticus excellens (qui commentarios de loquẽdi proprietate compoſuit) refert Vergilium fuiſſe paulò tardiorẽ in loquendo, peneq́ indoctum & ſubagreſtẽ. Quæ ſcripta ſunt de illius dicterijs cum Cæſare Auguſto, deq́ contentionibus cum Cornificio grammatico, & appenſis carminibus in Palatinis ualuis, ea quidem neq refellere hoc loco neq aſcribere in animo eſt. Tarenti perijt, ut Seruius refert, ut alij uolunt Brunduſij contracta ægritudine ex itinere ad uiſendum Metapontum propter calores ac nimios æſtus. Paulo mox delatũ eſt illius cadauer Neapolim, ibiq́ ſepultus Vergilius addito hoc carmine:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

Quod etiam notatum eſt ab Euſebio in annalibus. Deplorarũt eiuſdem obitum cõplures alij, & inter cæteros Cornelius Gallus ad Cæſarem Auguſtum:

Temporibus lætis triſtamur maxime Cæſar
Hoc uno amiſſo quem gemo Vergilium.
Sed uetuit relegi ſi tu patiere libellos
In quibus Aeneam condidit ore ſacro:
Roma rogat, precibusq́ etiam tibi ſupplicat orbis
Ne pereant flammis tot monimenta ducum.
Atq iterum Troiam: ſed maior flamma cremabit,
Et laudes Italûm, fac tua facta legi.
Aeneamq́ ſuum fac maior nuntius ornet

Plus fatis poſſunt cæſaris ora dei.

De effigie ipſius, cæteriſq; animi uirtutibus, p̄multa ſcribuntur à noſtris grammaticis, quæ prætermittimus ſtudio inſtitutæ breuitatis.

Q. HORATIVS FLACCVS *Cap.* XXXVIII.

Q. Horatius Flaccus in Venuſio Apuliç oppido natus eſt, patrē habuit Libertini generis, unde illud:

Quem rodunt omnes Libertino patre natum.

Pro certo habetur eius natalem fuiſſe duobus circiter annis ante coniurationē L. Sergij Catilinæ, quo tempore celebres erāt in ciuitate, ex poëtis Val. Catullus, Licinius Caluus, & Heluius Cinna. Ex oratoribus, M. Cicero, Q. Hortenſius, & Q. Catullus. Ex philoſophis Var. Terētius & Figulus Nigidius. Orbilium Beneuentanū (ut conſtat) à puero audiuit, quem appellat alicubi plagoſum. Ac mirum quā breui tempore in bonis litteris ꝓfecerit. Ingenio enim facili & auidiſſimo fuiſſe traditur in capiendis optimis diſciplinis. Vbi autem ſatis uiſus eſt nauaſſe operam Latinis ſtudijs, Athenas ſe contulit, ut philoſophorū prçceptis liberius incumberet, maximeq; Epicureorū placita uidetur probaſſe ut illud urbanè dictum teſtatur:

Me pinguem, & nitidum bene curata cute uiſes
Cum ridere uoles Epi. uri de grege porcum.

Moribus fuiſſe dicit ſubobſcœnis, & ad bilem interdū paulò excitatior. Adeò erga amicos gratus, atq; officioſus, ut nobiliorum etiam ſtudijs & gratia clarior indies ac nobilior eſſet. Nam primò dignitatē tribunitiam honeſtis ſuffragijs eſt adeptus, & Romanæ legioni præpoſitus, quod ipſe de ſe ſcribit. Amicos uerò habuit ex poëtis Albium Tibullum, Quintilium Varrum, cuius obitum officioſè deplorat. Valgium conſularem, Vergiliumq; ipſum, Ex prima nobilitate

Iulium

Iulium Florum, Maximum Lollium, & Mecœnatem, cum quo ſupra ſeptem annos ſumma familiaritate uixit. Quod cum locis multis, tum maximè his uerſibus apparet:

Septimus, octauo propior iam ſuggerit annus
Ex quo Mecœnas me cœpit habere ſuorum
In numero.

Nam cum ipſo quidem Horatio iocari liberius Mecœnas atq; agere conſueuit, eidemq; concredere ſua ſtudia. In rebus ciuilibus (cum ipſa ciuitas magnis factionibus teneretur, uarijsq; ſeditionibus æſtuaret) ſequutus primò eſt Bruti & Caſſii parteis, quod à multis alijs, & à Sidonio Apollinare traditum eſt, qui ad Iulium Maiorianũ ſic refert:

Et tibi Flacce acies Bruti, Caßiq; ſequuto
Carminis eſt author, qui fuit & ueniæ.

Mox uerò accidit, ut fauore Mecœnatis, non dignitates tantum aſſequeretur, ſed ipſi quoq; Octauio imperatore foret inſinuatus, cum liberè & amicè ad illum ſcribat. Illas tamen epiſtolas quæ referunt à quibuſdam Augusti ad Flaccũ, magis confictas opinamur, quã dignas tanto principe, eiusq; ſumma eruditione. Quod ipſum cum alia multa, tum elocutio in primis probat. Compoſuit perplura, quæ uulgò etiam ſunt notiſſima. Nos quã breuiſſimè repetemus. Libros carminum quattuor, Epodon, & Seculare carmẽ, quibus Auguſtum ac Mecœnatem miris laudibus celebrat. In ſcribendis iambicis mirè efficax habitus eſt, quod & Fabius Quintilianus teſtatur: Inter lyricos (inquit) ſolus ferè dignus eſt legi Horatius, quoniam & inſurgit aliquãdo, & plenus eſt iucunditatis & gratiæ, uarijsq; uerbis, & figuris feliciſſimè audax. Ex quo illud peruulgatum:

Hic inter lyricos ſublimi uertice uates
Sidera ſumma ferit, ſeu dulcia furta puellæ
Cantat amicitias, conuiuia, prælia, paces:

Siue Lycambeis lacerat latratibus hoſtem,
Impetit aut uario corruptos carmine mores.

Apollinaris quoq; ſic ad Tonantium de Horatio:

Sed tu per Calabri tramitis aggerem
Vis ut noſtra de hinc curſitet orbita,
Qua Flaccus lyricos Pindaricum ad melos
Frenis,flexit equos plectri potentibus.
Dum metro quatitur corda Gliconico,
Nec non Alcaico uel Pherecratio.
Iuncto & Leſbiaco ſiue Anapæſtico
Vernans per uarij carminis eclogas
Verborum uiolis multicoloribus.

Horatij 19. carminum modi. Diomedes grammaticus & alij ueteres, undeuiginti carminum modos ab Horatio decantatos aſſerunt, quorum rationes in tertio de grammatice libro à Diomede ipſo referuntur. Scripſit de poëtica librum ad Piſones, uolumina duo Satyrarum, ac totidem epiſtolarum. In Satyra uerò Lucilum ſequutus eſt, etſi eum ut lutulentum accuſat. Fabius certè Quintilianus præcipuum in ſatyra dicit hunc ipſum Horatium, ac purum in primis, & terſum. Quin hoc illi propriũ & peculiare fuit, ut ridenti ſimilis, & quaſi diſſimulans improbitatem ac uitia hominum accuſaret, quòd ea magis urgeant atq; afficiant, quæ ſenſim irrepũt, quã quæ aperta fronte inuadunt. Quod ipſum & poëta Perſius demonſtrat:

Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit:
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Sed & poëta Ouidius ingenuè fatet̃ magnopere ſe Horatianis uerſibus delectatum, & eius carmen diligenter audiſſe, ueluti Propertiũ, Macrum Ponticum, & Baſſum, qui iambicos luſit:

Et tenuit noſtras numeroſus Horatius aureis,

Cum

Cum ſcrit Auſonia carmina culta lyra.

Permultos uerò enumerat Horatius, quorum & ſtudium, & iudicium percoluit, ut Plotium, Mecœnatem, Varium, Vergilium, Fuſcos, Valgium; Pollionem, Meſſalam, & alios. Sequutus eſt eum in componendis lyricis Paulus Paſſienus, qui (ut eſt author Plinius) mirificè illum exprimebat. Statura fuiſſe tradit̃ breui, corpore obeſo, oculis lyppis, quæ uel ex carmine illius uarijs locis colligũtur. Mortuus eſt aũt Horatius anno ætatis ſuæ ſeptimo & quinquageſimo, ut in Euſebianis annalibus relatũ eſt. Alij ſupra lxx annum uixiſſe ſcribunt: quod ego tamen falſum exiſtimo, ut alibi obſeruatum eſt.

T. VALGIVS *Caput* XXXIX.

T.Valgius inter eos poëtas refertur à ueteribus, qui elegias & poëmata ſcripſerunt. Familię ortus eſt nobili & inſigni, ut quæ conſulareis uiros tulerit. Neq; deſunt qui eius ingenium atq; elegantiam commendent in ſcribendis carminibus. Horatius Flaccus plurimùm tribuit Valgio, & in eodem numero eũ collocauit, in quo Plotium, Varium, Mecœnatem, Aſiniũ, & Vergilum: ad quorum iudiciũ ſua ſcripta probari poſtulat. Meſſala item Coruinus (qui cum rebus præclarè geſtis, tum eloquentia maximè preſtitit, magnopere Valgium coluit, propter eius elegantiã & ingenium. Itaq; præcipuè laudatus eſt à poëta Tibullo, qui eum dicit aptiſſimũ ad canendas laudes Meſſalæ, & aſſurgere in carmine ad Homerum:

Eſt tibi, qui poſſit magnis ſe accingere rebus
Valgius æterno propior non alter Homero.

Relatum eſt à Seneca de Valgio poëta, quòd is Aethnã Siciliæ montem nobiliſſimum, imperitè unicum uocauit, qui igneis euomeret: cum alij plures tradant̃, qui idem efficiãt.

Inter alios uerſus, qui afferuntur à grammaticis, & hoc carmen Valgij legitur:

Hic mea me longo ſuccedens prora remulco
Lætantem gratis ſiſtit in hoſpitijs.

Fuit in magno precio & alter Valgius, qui inter Apollodôreos refertur, quoniam Apollodôri Pergameni ſectam magno ſtudio dicatur conſequutus, ſed agimus de hoc in oratoribus.

ALBIVS TIBVLLVS *Caput* XL.

ALbius Tibullus Romæ (ut creditur) natus, Hircio & Panſa Coſ. qui annus etiam Naſonis poëtæ natalibus inſignis fuit: nam uterque conſul cum ad liberandum Brutum apud Mutinam mitteretur, fugato Antonio occiſus eſt. Parentes habuit ex equeſtri ordine, bello & pace ſatis illuſtreis. Is autē Tibullus (quod ingenio facili, & egregia forma foret) nobiliores ciuitatis ſibi conciliauit: in quorum numero fuit Meſſala Coruinus, qui mira diligentia & aſſiduis officijs poëtam Tibullum fouit. Quocirca ſui ſtudioſum uocat eum Tibullus, & inſigni carmine laudes eiuſdem ac uirtutem celebrauit. Neque illud ignoratur, cum in eiuſdem Meſſalæ comitatu in prouinciā Phæacum pergeret, in aduerſam ualitudinem incidiſſe. Ex quo tali carmine fidem ſuam atque fortunam uoluit poſteris commendari:

Hic iacet immiti conſumptus morte Tibullus
Meſſalam terra, dum ſequiturque mari.

Horatium Flaccum, & Macrum poëtam (qui de herbis libros conſcripſit) familiariter dilexit, eumque hortatur, ut relictis caſtris, & militia, ad amores & ueneres redeat. Albius enim Tibullus in amoribus & delitijs, ut apparet, pauló proclivior fuit, ut qui Marathum & Cerynthū pueros maximo affectu dilexit: ſicuti Deliā, Sulpitiā, Neæram, & Nemeſim: de cuius

de cuius forma & moribus frequens in ueterũ libris mentio eſt. Vnde illud notum:

Vſit amatorem Nemeſis laſciua Tibullum
In tota iuuit, quem nihil eſſe domo.

Sed & L. Apuleius, quo loco de amoribus diſſerit apud Claudiũ maximũ proconſulẽ, fictum Deliæ nomẽ à poëta Tibullo refert, cũ Plautia uocaret. Flaccus Horatius liberè illũ hortatur amicitiæ nomine, ut forti animo, & coſtanti, immitis Glyceræ faſtũ atq; inſolentiã perferat, tum aliorum exemplis diſcat, quanta ſit in ſequendis amoribus uarietas. In ſcribendo aũt carmine Caſſio Parmenſi eundem præponit, quo loco ſuorum ſermonum iudicem facit, bonaq; animi & corporis illi aſcribit:

Albi noſtrorum ſermonum candide iudex:
Non tu corpus eras ſine pectore, dij tibi formam:
Dij tibi diuitias dederant, artemq; fruendi.
Quid uoueat dulci nutricula maius alumno,
Quàm ſapere & fari poßit, quæ ſentiat, & cui, *Abſoluta felicitas.*
Gratia, fama, ualetudo, contingat abundè?
Et mundus uictus non deficiente crumena?

Is uerò Tibullus in carmine ad Meſſalam copiosè oſtendit, parùm ſibi licere in ocio uerſari, & Muſis pro animi arbitrio incumbere, quod aduerſantis fortunæ iniquitas nimium illi obfuiſſet, & cum ſatis illi opes florerent, conditione temporum factum eſt, ut ad paupertatem redigeretur:

Cui fuerant flaui ditantes ordine ſulci,
Horrea fœcundis indeficientia menſis
Cuiq; pecus denſo paſcebant agmine colles,
Et domino ſatis, & nimium, furiq;, lupoq;
Nunc deſiderium ſupereſt.

Idem Tibullus libros quattuor elegiarum, ſiue amorũ compoſuit, in quibus facilè probatur, quã elegans & candidũ ſit

eius

uideatur, quàm delectare, quoniam ornari res ipſa negat cõ tenta doceri. Neq; deſunt, qui exiſtiment C. Plinium de hoc ipſo Mallio intellexiſſe, quo loco de obeliſcis diſſerit. Is cũ ſuo ingenio pilam auratã in obeliſci apice cõſtituit, ex cuius umbra horarũ momenta obſeruarent. Qua in re maximã cõ mendationẽ accepit. De obitu illius nihil à nobis cõpertũ eſt.

CN. CORNELIVS GALLVS *Caput* XLII.

CN. Corn. Gallus poëta eximius habitus eſt in elegia & poëmatis deſcribẽdis. Eodẽ propè anno creditur natus, quo M. Terentius Varro doctiſſimus Romanorum perijt, ut à Hieronymo relatũ eſt in annalibus. Quidã tradũt fuiſſe illũ patria Foroiulieſem, & eruditũ bonis artibus, diuq; cum Cæcilio Epirota uerſatum in ſumma familiaritate. Fortuna tenui fuit, peneq; infima, ſed ſtudio & fauore Octauij Auguſti ad præfecturæ gradum aſcendit, factusq; indies nobilior, ut mox dicemus. Scripſit elegiarum libros, in quibus commendatur magnopere illius ingenium, & elegãtia. Fabius tamen Quintilianus duriorem hunc fuiſſe dicit. Seruius grammaticus ſic de Gallo ſcribit: Is inquit Euphorionem poëtã in Latinum ſermonem tranſtulit, & amorum ſuorum de Cytheride libros quattuor cõpoſuit. In amicis Octauij Cæſaris primò receptus eſt, ac deinde cũ in ſuſpitionẽ ueniſſet, q̃d in eũ cõiuraſſet, occiſus eſt. Fuit inprimis Publio Vergilio amicus, adeò ut quartus liber Georgici operis à medio uſq; ad finem, eius laudes contineret: quas poſtea iubente Cæſare Auguſto in Ariſtei fabulam commutauit. Idem Gallius amauit Cytheridem meretricem libertam Volumnij, quæ eo ſpreto, Antonium euntem ad Gallias eſt ſecuta. Diomedes (cum de elegia loquitur) eundem Gallum Tibullo & Propertio adiungit. Cytheridem uerò, quam propè ad inſaniam dilexit, mu-

tato nomine Lychorim uocauit. Hinc illud uulgatum:

Gallus & Heſperijs, & Gallus notus Eois
Et ſua cum Gallo nota Lychoris erit.

Notatum eſt à pluribus ipſum Gallum ab Auguſto principe factũ Aegypti præfectum, diuq́; ſummis officijs atq; honoribus euectũ atq; honeſtatum. Ammianus refert à Gallo in præfectura exhauſtam fuiſſe Thebarum ciuitatem, & cum furti ac populatæ prouinciæ in ius uocaretur, ueritum indignationem nobilium, ferro incubuiſſe. Tranquillus uidetur hac in re non nihil diſſentire qui ſcribit, ob ingratum ac maleuolum animũ ab Octauio Auguſto, domo & prouincijs ſuis Cor. Gallo interdictum. Illacrymatum prætereà Auguſtũ uicem ſuam doluiſſe, quòd amicis non liceret quatenus uellet iraſci. Nec deſunt qui tradant tertio & quadrageſimo anno poëtam Gallum propria manu ſe intereniſſe. Leguntur ętate noſtra elegiarũ libri ſub nomine Corne. Galli qua in re facilè eſt imponere imperitis hominibus Qui autem paulò diligentius antiquitatem obſeruarunt, nihil minus cenſebunt, quã ut hæc referenda ſint ad poëtam Gallum. De Aſinio Gallo dicemus paulopòſt, qui fuit filius Aſinij Pollionis.

SEX. AVRELIVS PROPERTIVS *Caput* XLIII.

SEx. Aurelius Propertius ex Meuania oppido oriundus, quod in Vmbria eſt, ut ipſe author copioſè teſtatur, quo loco Vmbriam Romani Callimachi patriam uocat:

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.

Sunt qui ſcribant eius patrem equeſtri dignitate ornatum ac triumuirali poteſtate fuiſſe, tum inter eos connumeratũ, qui L. Antoniũ ſequuti, Peruſia capta ex Octauij Cæſaris autho-

authoritate ad arã diui Iulij pducti, ibidem occiſi fuerũt. Illud om̃ino cõſtat, Aur. hũc Propertiũ magna ex parte amiſſis bonis Romã ſe recepiſſe, cũ patrem ſuũ in tenera adhuc ætate amiſiſſet, quod illis uerſibus apparet:

Aſpice me, cui parua domus, fortuna relicta eſt
Nullus & antiquo Marte triumphus aui.

Et alibi clarius:

Oſſaq́; legiſti, non illa ætate legenda
Patris, & in tenueis cogeris eſſe lareis.
Nam tua cum multi uerſarent rura iuuenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opeis.
Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo
Matris, & ante deos libera ſumpta toga,
Tum tibi pauca ſuo de carmine dictat Apollo
Et uetat inſano uerba tonare foro.

In urbe aũt nominis celebritatẽ breui adeptus eſt, cum ſumma ingenij comitate, tũ elegãtia carminum. Mecœnati, & Cor. Gallo maximè acceptus fuit, quod uterq; poetæ ſtudiis & doctrinæ pro ſimilitudine profeſſiõis fauerent. Ouidiũ quoq;, Tibullum & Baſſum inter principes amicos coluit, ad quos de ſuis caloribus & puellæ ingenio ſæpius ſcripſit. C. Plinus in epiſtola ad Romanum, Paulum refert Paſſienum in ſcribendis elegis eruditum, habuiſſe inter ſuos maiores Propertium, eáque ratione, gentile inquit eſt hoc in Paſſieno, qui ex eodem quoque municipio eſt, quo Propertius. Vnde maximum quoque ſtudium Paſſieno fuit, calores Propertij atque ingenium ſuo carmine exprimere, cum in elegijs (ut inquit C. Plinius) foret egregius, atq; præcipuus Propertius. Libros quatuor elegiarũ cõpoſuit, in quibus ferè ſuos calores, et Hoſtiæ laudẽ ac formã celebrat. Nam in puellã Hoſtiã miro quidẽ affectu exarſit quã mutato nomine (ut eſt author L. Apul. Cinthiã appel

lare maluit Hinc Apollinaris Sidonius ad Heſperium ſcribit: Meminiſſe debes quòd ſæpe uerſum Corinna cum ſuo Naſone compleuit, Lesbia cum Catullo, Ceſennia cũ Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cũ Propertio, Delia cũ Tibullo. Callimachum præcipuè Cyreneum, Mimnermum & Philetã Græcos poëtas in carmine ſecutus eſt, quorum manibus comitem ſe profitetur. Nam ut illi apud Græcos in elegia conſenſu omnium longè præſtiterunt, ita Propertius apud Latinos eorum imitatiōe primas uidetur quorundam iudicio conſecutus. Fabius Quintilianus cenſor in litteris acerrimus, cum Tibullum maximè cōmendauerit, non deeſſe tamen inquit, qui Propertium malint, cũ ſit Ouidius laſciuior, Gallus in elegia durior. Ouidius certè cum ſæpe de ipſo Propertio agat, blandum, tenerũ ac dulcem appellat, multũq; illius carmini ſemper conceſſit, & recenſenti ſua carmina auditor affuit:

Sæpe ſuos ſolitus recitare Propertius igneis
Iure ſodalitij qui mihi iunctus erat.

Sed & Val. Martialis Propertij ingenio & amoribus plurimum tribuit, ut eo maximè loco probauit, quo Galli Lycorim, Tibulli Nemeſim, et Lesbiam Catulli celebrat. Sic enim ſcribit in Apophoretis:

Cynthia facundi carmen iuuenile Properti
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

De obitu eius parũ compertum eſt. Quidam ſcripſerunt illum periiſſe annos alterum & quadrageſimũ natum. Fuiſſe alterum Propertium Fulgentius oſtendit qui in libro ad Calcidium de priſco ſermone, & uerba hæc ex Propertio refert Catillata geris uadimonia publicum proſtibulum.

L. VA-

L. VARIVS *Caput* XLIIII.

L. Varius hiſdem temporibus floruit quibus in eloquentia præclari habiti ſunt: Meſſala Coruinus, M. Callidius, Numatius Plãcus, & Aſinius Pollio. Relatum eſt ab antiquis eundem Varium inter epicos poëtas cenſeri, & in ſcribendis tragœdijs maximè præſtitiſſe. Quocirca magnopere dilectus eſt à principe Octauio, qui ſtudio poëtices magna uoluptate uerſatus creditur. Tantũ illi tribuit Horatius Flaccus, ut cum ſcriberet ad M. Agrippam conſularem uirum, unum dicat eſſe L. Varium, qui poſſet eius geſta atq; egregias uirtutes præclariſſimo carmine poſteris commendare. Cornelius Tacitus ſub Materni perſona, ita laudat Varij Thieſtem, & Ouidij Medeã, ut inter pręcipua opera referat. Nullus inquit liber Pollionis Aſinium, aut Meſſalæ, tam illuſtris eſt, quã Medea Ouidij aut Varij Thieſtes. Sed & Fabius Quintilianus author eſt, Varij Thieſtem cum omnibus quidem Græcis potuiſſe conferri, tantũ ſublimitate carminis, & ingenij felicitate excelluit. Habuit inter amicos Horatium Flaccum, Pollionẽ Aſinium, et Plotium Tuccam. Publium autem Vergilium familiariſſimè coluit, ut in eodem contubernio uerſarentur. Neq; deſunt qui ſcribant fuiſſe dilectam à Publio Vergilio uxorẽ Varij, eoq; nomine dono illi datam tragœdiam à ſe compoſitam: ac deinde ſub nomine ipſius Varij ęditam. Quæ res apertè refellitur authoritate doctiorum. Illud pro comperto habetur, relictos fuiſſe hæredes à Publio Vergilio ex parte Lutium Varium, & Plotium Tuccam. Tum illis demandatum prudentia & authoritate Octauij principis, ut Aeneam Vergilij emendarent, ſed ea conditione, ut nihil operi adderetur. Quidam ętate noſtra imprudenter faciunt, qui cum L. Vario, Quintilium Varrum confundunt

dunt,parum intelligentes,quantum interſe differant,& carminum genere & moribus.

C. MECOENAS *Caput* XLV.

C.Mecœnas ex clariſſima familia regum Hetruſcorum natus eſt.In ſecundo ordine permanſit,tanta ſuæ modeſtiæ commendatione,ut relatus ſit inter nobiliſſimos ciueis. Quidam Arretio oriundum putarunt, quæ urbs habita eſt inter antiquiſſimas Hetruriæ. Illud minimè obſcurum eſt; eundem Mecœnatem dum ageret in tenera ætate, maximè præſtitiſſe facilitate ingenij in litteris perdiſcendis, ut Horatius Flaccus et alij plures teſtantur. Ac primò incubuit ſumma diligentia præceptis eloquentiæ,in qua mediocriter excelluit. Deinde ad poëticam facultatē diuertit,tragœdiasq; & alia uarij generis poëmata ſcribere aggreſſus eſt. Octauio adeò gratus fuit propter ſingularem fidem, & ingenij comitatē,ut ab eo receptus ſit inter præcipuos amicos. Vulgatum eſt de Mecœnate,quantum litteris ac litteratis omnibus fauerit,cum in urbe unus hic potiſſimum haberetur ad quem poëtæ omnes atq; oratores,uelut ad certam anchorā perfugium ſibi haberent.Itaq; ab eo uehemēter dilecti ſunt operaq; & muneribus ampliſſimis honeſtati: Pub. Vergilius,Horatius Flaccus, Aſinius Pollio, Valgius,& alij complures.Reprehenſus eſt à ueteribus quòd eſſet animo molliori,ac ſolutis ueſtibus uteretur,nimiumq; ſinuoſis & fluētibus. De cuius mollicie atq; delitijs,cum multi alij ſcripſerunt,tum Ann.Seneca,qui in cenſendis,notandisq; moribus acerrimus cenſor fuit: Magnumq; (inquit) exemplum Romanæ eloquētiæ daturus erat Mecœnas, niſi illum eneruaſſet felicitas. Referuntur ab eodem Seneca alia multa,in quibus orationem Mecœnatis maximè accuſat,ut mollem

ac

ac nimij delitijs fluentem, quod Suetonius Tranquillus tradit. Itaqꝫ conſueuit Octauius princeps ſæpe illum exagitare ſuis epiſtolis, aut per iocum irridere. Scripſit tragœdiam Prometheum, & elegias complureis, ut ueteres authores teſtantur. Inter cętera illius laudatur hoc carmē de contēnendo ſepulchro:

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Hortos Romæ habuit pulcherrimos in Eſquilijs, ubi uerſari interdum conſueuit, deqꝫ liberalibus diſciplinis ſermonē habere cū amicis ſuis. Ad hos perſæpe diuertit Cæſar Octauius propter loci amœnitatem, uelut qui animum liberum haberet à curis in eo quietis ſeceſſu. Tanta animi libertate uixit Mecœnas cū Auguſto, ut monere illum & reprehendere aliquando non dubitauerit, ut copioſè ſcribit Dion Græcus author in Romana hiſtoria, qui eundem refert primùm inueniſſe notas quaſdam litterarum, quibus ad ſcribendi celeritatem uteretur, ac per Aquilam libertum ad aliorum uſum traditas. Notatum eſt à C. Plinio de Mecœnate inter mirifica naturæ officia, eum nunquam horæ momētum dormiſſe per totum triēnium ante obitum: ſed hoc nō planè compertum eſt, an referendum ſit ad alterum Mecœnatem. Publius Vergilius ad hunc Mecœnatem libros ſuos miſit, qui Georgica inſcribuntur, abſolutiſſimum omnium opus, quæ in eo genere compoſita unquam ab aliquo fuerint. Extant adhuc Propertij poëtę & aliorum laudes de ipſo Mecœnate, quàm liberali animo fuit, quanqꝫ docta eruditione excelluit, quæ à nobis hoc loco omittuntur ſtudio breuitatis. Conſtat eum obijſſe ædita iam ætate, & in ſenium uergente, ut ueteres authores teſtantur.

PVB-

PVB. OVIDIVS NASO *Caput* XLVI.

PVb. Ouidius Naſo genitus eſt Sulmone patria, quod oppidum in Pelignis fuit. Natalem habuit Aprili mēſe, diebus quiquatrijs, quibus ſacra Mineruæ celebrari mos fuit apud Romanos: A. Licinio: & L. Panſa conſulibus, qui Mutinenſi pugna contra Antonium ceciderunt. Neq; deſunt qui referant eodem die natos fuiſſe Pub. Ouidium, & Albium Tibullum poëtam in ſcribendis elegijs maxima elegantia. Maiores illi contigerūt nobili genere atq; ſatis honeſto, à quibus equeſtrem dignitatem acceptā perpetuò ſeruauit. In ipſo adoleſcentiæ ſuæ principio, magnopere probauit, quantum præſtaret ingenij facilitate, ac præclaris moribus. Quocirca Romæ inſtitutus eſt in Latinis litteris, maxima diligētia parentis. Et cum in tenera ætate (ut conſtat) ſumma uoluptate & gratia teneretur cōponēdis carminibus, ab eo ſtudio retractus eſt parētis monitiōibus, qui monere illū aſſiduè & hortari nō deſtitit ad oratoriam facultatem, ut qui ad quæſtū & opeis cōparandas animum magis intendiſſet. Itaq; factum eſt, ut Pub. Ouidius ſtudium illud atq; curam abſoluendi carmina intermitteret, animumq; ad cauſas & forū cōuerteret, præceptoribus, Arellio Fuſco, & Portio Latrone, cuius eloquentiam atq; eruditionem uehementer admiratus eſt. Neq; in ea re tulit uulgarē laudem aut commendationem ingenij ſui, ut refert Anneus Seneca. Nam & in priuatis & in centūuiralibus cauſis, præſedit aliasq; præterea dignitates obiuit, poſteaquàm uirilem togam ſumpſit, & latum clauum adeptus eſt, de quo habentur complura apud ipſum Ouidiū diuerſis locis, quæ ſunt à nobis prætermittēda ſtudio breuitatis. Cæterùm cum nihil animo ſuo potius foret, quàm uerſari in otio litterarum, poſthabita omni cura rerum publicarum, ad inſtitutū ſuum redijt, ac

ac totum ſe dicauit poëticæ facultati, unde perpetuũ ſibi nomen & quietem ſingularem fore ſperabat. Minimè dubium eſt, eundē habuiſſe treis uxores. Primã em̃ ſub ipſam adoleſcentiam ut inutilem, parumq́ ſe dignam repudiauit, cumq́ ea more ueterum diuortium fecit. Alteram bonis parentibus ortam, beneq́ moratam, ſed parum ſtabili cõnubio ſibi coniunctam maturè dimiſit. Succeſſit his Perilla, cuius egregiã formam atq́ probitatem pluribus locis extollit. Neq́ tantũ dilexit eam maxima fide & beniuolentia ſingulari, ſed in poëtica etiam erudiuit, magnaq́ cura excoluit. Quo factũ eſt, ut Perilla, exulanti marito, fidem ſuam diligentiſſimè ſeruauerit. Amicos habuit permultos, cum doctrina & generis nobilitate inſigneis, tum probitate ac moribus ornatiſſimos ut Albium Tibullum, Cor. Seuerum, Sabinum, Sex. Pompeium, Gręcinum & Flaccum uiros conſulareis, quorum familiaritate intimè uſus eſt. Meſſalam præterea Albinouanum, Aemilium Macrum, Maximum & alios complureis, cum quibus, ut ipſe refert, cõiunctiſſimè uixit. Relatum eſt à Suetonio Tranquillo Iulium Higinium (qui Auguſti libertus fuit, ſummoq́ ingenio & doctrina præſtitit) familiariſſimum fuiſſe Ouidio poëtæ. De ipſius operibus haud magnũ operæpreciũ eſt pluribus agere, cũ multi de hoc ſcripſerint, eaq́ uulgò ſatis nota ſint ex commentarijs noſtrorum grammaticorum. Et ſanè hic unus præter cæteros omneis uidetur, plura atq́ uaria poëmatum genera deſcripſiſſe. In eo opere (cui titulum fecit Metamorphoſeōn) ſecutus eſt Partheniũ Chium poëtam, qui Græcè ſcripſit præclarum poëma pari argumento, & materia ſimili. Id Ouidij opus in tanto precio habitum eſt Græcorum ingenijs, ut illud conuerterint in ſuũ ſermonem. Eſt enim refertum uaria atq́ multiplici eruditione, quanquàm ipſe author inemendatum, atq́ imperfectum reliquit, ut ipſe teſtat̃ uerſiculis additis. Nam abſente illo atq́

NN etiam

etiam neſciente, æditum eſt in uulgum ab amicis. Faſtorum libros ſex compoſuit, eoſq; ad Germanicum Druſi filium miſit, reliquos per importunum obitum, & aduerſam exilij fortunam (ut pleriq; putant) non potuit perficere. Is tamē alicubi aſſerit duodecim à ſe compoſitos. Opus quidem eruditum, & plenum magna & copioſa rerum ſcientia:

Sex ego faſtorum ſcripſi, totidem.q; libellos
Cumq; ſuo finem menſe libellus habet.

De amoribus libros treis, in quibus ſub ficto nomine Corinnæ, maximè probauit ingenium ſuum. Complureis etiā epiſtolas, in quibus eſt uſus mira elegantia & artificio ſingulari ut critici aſſerunt. In elegia habitus eſt paulò laſciuior, ut qui nimiū quādoq; indulxerit ingenio ſuo. Prætereo libros artium amandi & remediorū: in Ibim, de obitu Druſi, epigrammata, & poëmata complura, quæ ab eodem compoſita ſunt, ut grammatici ueteres teſtantur. Quædam tamē falsò atq; improbè ad eum referuntur, ut carmē de uocibus auium, de pulice, & alia indigna prorſus atq; aliena ab ingenio & doctrina tanti poëtæ. Volumē prætereà ſcripſit alieuticôn, in quo complexus eſt uaria & inaudita ad eam diem, nomina piſcium, quod amiſſum eſt (ut alia multa eiuſdem authoris) iniuria hominum & longa uetuſtate inſequentiū temporum. Idem Ouidius magnopere commendatus eſt in Medea tragœdia, propter ipſam elegantiam & ſententiarum grauitatem, ut Cor. Tacitus & Fabius Quintilianus referunt. In urbe ſecundum Capitolium habitauit, hortoſq; habuit in colle poſitos, qua uia Appia coniungebatur cum Flamminia. In his magna animi uoluptate uerſari conſueuit, ſuumq; ocium mitioribus curis traducere. Relegatus eſt à cæſare Auguſto in Pontū ad oppidum Tomos, quo tempore Ouidius maiorem quietem atq; ocium dari ſibi ſperabat, recolēdis ueteribus ſtudijs, ut qui acceſſiſſet ad ætatem prouectiorem.

Alieuticōn liber Ouidij.

prouectiorem. Cauſam uerò tam ſæui, tanq́ inciuilis exilij, uariè multi (ut in re ancipiti euenit) interpretantur. Alij hoc referunt ad eos libros, qui ab eo ſcripti ſunt de amoribus, quòd eſſent paulò laſciuiores, ut eſt author Sextus Aurelius, qui de Rom. principibus ſcripſit. Pleriq́ exiſtimant prouenisse hoc ex adulterio cum Iulia Augusti filia. Qua in re etſi Pub. Ouidius nihil omnino apertè retulit, tamē alicubi uidetur id ipſum inſinuare uelata proprij criminis cauſa. Itaque Sidonius Apollinaris uidetur exiſtimaſſe ob id fuiſſe illum relegatum ab Auguſto, ut ſatis declaratur his uerſibus:

Nec te carmina per libidinoſa
Notum Naſo tener, Tomosq́; miſſum
Quondam cæſareæ nimis puellæ
Ficto carmine ſubditum Corinnæ.

Hoc idem innuit Ouidius cum refert:

Lingua ſilet, non eſt ultra narrabile quicquàm.

Et alibi ſeruata ratione obſtinati ſilentij:

Nec breue, nec tutum eſt peccati quæ ſit origo
Dicere, tractari uulnera noſtra timent.

Minime autem obſcurum eſt Iuliam Aug. principis filiam deflagraſſe magna libidine, & infamem fuiſſe uulgatis per urbem adulterijs, ut ab antiquis ſcriptoribus refertur. Quapropter inclinat animus, ut exiſtimem haud ſatis potuiſſe Octauium ſibi temperare, quo minus deſæuiret in poëtam Ouidium, conficta cauſa noui criminis, quod in impudicis carminibus operam atq́ ſtudium poſuiſſet. In exilio ſupra ſeptem annos uerſatus eſt. Cumq́ illi uiuendum foret inter incultas atq́; barbaras nationes, tantum ſibi promeruit gratię, atq́ ſtudij, benè, pręclareq́ agēdo, ut in eius obitu Gethæ illi ac Tomitani populi, tenere lacrymas non potuerint Fuit enim Ouidius moribus apprimè honeſtis & facilitate

mirifica ad conſilianda ſibi ingenia hominum, quod in pri-mis dignum eſt ſumma admiratione. Cum Geticum ſermonem atq; Sarmaticum didiciſſet, poëmata deſcripſit Getica lingua, laudesq; cæſarum decantauit. Obijſſe traditur eodem anno quo T. Liuius, qui nobiliſſimus author habitus eſt in Romana hiſtoria deſcribenda. Sepultusq; fuit iuxta oppidum Tomos, ut Euſebius teſtat̃. Permulti ſcriptores, cum ueteres, tum iuniores deplorarunt obitum illius, ut indignum atq; miſerabilem, habita deteſtatione tam ſæuę, tãq; calamitoſæ relegationis. Sed eleganter imprimis & copioſè (ut ego exiſtimo) Ang. Politianus id fecit his uerſibus:

Et iacet Euxinis uates Romanus in oris
Romanum uatem barbara terra tegit.
Terra tegit uatem, teneros qui luſit amores
Barbara, quam gelidis alluit Hiſter aquis.
Nec te Roma pudet, quæ tanto immitis alumno
Pectora habes ipſis barbariora Gethis?
Ecquis Io Muſæ Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeret ullus erat?
Ecquis frigidulos, qui lecto imponeret artus
Aut qui dulci loquio falleret ore diem?
Aut qui tentaret ſalientis tempora uenæ:
Aut fomenta manu qui properata daret?
Conderet aut oculos media iam morte natantes
Aut legeret ſummam qui pius ore animam?
Nullus erat, nullus, ueteres tu dura ſodales
Heu procul à Ponto Martia Roma tenes.
Nullus erat, procul ah coniunx, paruiq; nepotes
Nec fuerat profugum nata ſequuta patrem.
Scilicet immanes beſſi, flauiq; coralli
Aut uos Pelliti ſaxea corda Gethæ:

Scilicet horribili dederit ſolamina uultu
Sarmata ab epoto ſæpe uehendus equo.
Sarmata, cui rigidam demiſſo in lumina frontem
Mota pruinoſo tempora crine ſonant.
Sed tamen & Beſſi, extinctum, & fleuere coralli
Sarmataq́;, & durus contudit ora Gethas.
Extinctum & montes flebant, & ſylua, feræq́;
Et fleſſe in medijs dicitur Hiſter aquis.
Quin etiam pigrè concretum frigore Pontum
Nereidum lacrymis intepuiſſe ferunt.
Accurrêre leues Paphia cum matre uolucres
Arſuroq́; faces ſuppoſuere rogo.
Quem ſimul aſſumpſit rapidæ uiolentia flammæ
Relliquias tecto compoſuere cado.
Impoſitumq́; breui ſignarunt carmine ſaxum.
Qui iacet hic, teneri doctor amoris erat.
Ipſa locum latè ſancto cytherea liquore
Irrorat niuea terq́; quaterq́; manu.
Vos quoq; Pierides Vari libaſtis adempto
Carmina, ſed noſtro non referenda ſono.

CASSIVS SEVERVS *Caput* XLVII.

CAſſius Seuerus patria fuit Parmenſis, ut ab authoribus traditur. Grammatici ueteres referunt eum ſcripſiſſe elegiacum carmen, & epigrammata, neq; à ſtudio tragœdiarũ abfuiſſe. Publius Ouidius enumerat hunc Seuerũ inter poëtas, qui ſua ætate claruerunt, ut Sabinus, Montanus, Meliſſus, Propertius, & alij plures. Relatũ eſt, eundem Caſſium in acie uerſatum, & pro Bruto & Caſſio ſtrenuè operã ſuam nauaſſe. Quibus ſuperatis, Athenas ſe recepit, ad ſtudia litterarum, ibiq; (dum in otio uerſatur) à Quinto Vario

dicitur interfectus, opera & conſilio Octauij Auguſti. Illud notiſſimũ eſt, Horatium Flaccum infenſo animo fuiſſe contra hunc Caſſium, quod ab eo pluribus locis demõſtratur, ſed præcipuè iambico carmine, quo poëtam Archilochum expreſſit. Nam concitato animo atq; acri illũ eſt inſectatus. Neq; me præterit, quantum decipiantur quidam noſtra ætate, qui Cor. Seuerum pro Caſſio temerè acceperunt. Fuit alter Caſſius Seuerus hiſdem ferme temporibus, qui in cauſis ac Romana eloquentia magnopere excelluit, de quo diximus ſatis in libris de oratoribus.

DOMITIVS MARSVS *Caput* XLVIII.

Domitius Marſus poëta inſignis eſt habitus, in ſcribendis epigrãmatis, ut ueteres teſtanť. Pub. Ouidius & hũc ipſum nominat inter poëtas ſui temporis, ut Cor. Seuerũ, Montanũ, Pedonem, Rabirium, & reliquos. Laudanť eius epigrammata cum ab alijs, tum à Val. Martiale, qui ad exemplum illius laſciuam uerborũ licẽtiam excuſat in ſuis carminibus. Idem Marſus compoſuit bellum Herculis contra Amazones, eoq; argumento uocauit Amazonidem ſuum opus, in quo non magnam laudem adeptus eſt, ut ex antiquis authoribus poſſumus colligere, uulgatis uerſibus, in quibus poëtæ Perſio poſtponitur. Melenem puellã dilexit, eamq; celebrauit longo carmine, ut Catullus Lesbiam. Quocirca ſic de Marſo Val. Martialis:

Nota tamen Marſi fuſca Melenis erit.

Citatur hoc carmen Marſi de Orbilio grammatico:

Si quos Orbilius ferula ſcuticaq; cecidit.

Fuit enim Orbilius paulò aſperior in diſcipulos, & ob id ab Horatio plagoſus uocatus. Hæc ſunt quæ legimus apud ueteres de Domitio Marſo.

IVLIVS

IVLIVS MONTANVS *Cap. XLIX.*

IVlius Montanus in poëtica nobilis habitus eſt, à Publio Ouidio refert̃ inter eos poëtas qui ſua ætate claruerũt, ut Sabinus, Meliſſus, Priſcus, Camerinus, Marius, Seuerus, & alij plures. Primũ tempus cauſis, atq; declamationibus dedit, ſuumq; ingeniũ diligenter excoluit cum Caſſio, Arellio Fuſco, Aſinio, Marcello Aeſernino, & alijs. Commendat̃ præcipuè Montani urbanitas & lepor. Quo factũ eſt, ut Tibe. cæſari pergratus haberet̃. Scripſit poëmata hexametris ac pentametris, in quibus non uulgarẽ laudem meruit, ut copioſè aſſerunt Ouidius & Anneus Seneca. Reprehenſus eſt à quibuſdã, quòd in ſuo carmine parũ prudenter quædam repeteret, quo uitio & Ouidius dicit̃ laboraſſe. Quocircà dictũ perelegantur eſt à Scauro, non minorẽ eſſe uirtutem ſcire deſinere, quã ſcire dicere. Referuntur ab antiquis Montani uerſus, in quibus ortum ſolis atq; occaſum deſcripſit. Vnde feſtiuè dictum commendatur Nactæ uiri clariſſimi. Carmen id eſt:

Incipit ardenteis phœbus producere flammas
Spargere ſe rubicunda dies, iam triſtis hyrundo
Argutis redit uſa ci. is immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore miniſt. at.

Et paulomox;

Iam ſua paſtores ſtabulis armenta locarunt:
Iam dare ſopitis nox pigra ſilentia terris.

C.GERMANICVS AVGV. *Caput I.*

C. Germanicus Augu. ex nobiliſſima Claudiorum familia ortus eſt, patre Druſo, ac diligẽti cura in urbe eruditus. Tantum profecit ſub prima adoleſcentia in optimis diſciplinis, ut incredi-

Dumq; imæ partes rapido traherentur ab amni:
Præſecuit tenerum lubrica teſta caput.
Orba quod inuentum mater dum conderet urna
Hoc peperi flammis, cætera (dixit) aquis.

CAESIVS BASSVS LYRICVS *Caput* LI.

Caeſius Baſſus inter poëtas lyricos relatus eſt. Floruit ætate Claudij principis, & uſq; ad Flauiorum imperium peruenit, quod ipſum Fabius Quintilianus teſtatur, qui refert illum à ſe uiſum, quo tempore libros ſuos de oratoria inſtitutione componeret. Fuit hoc obſeruandũ ea ratione, ut facilius deuitemus illorum errorem, qui parùm prudenter de Cæſio Baſſo diſſerunt. Idem libros aliquot ſcripſit uario & multiplici carmine, ut Flaccus apud nos: & Pindarus apud Græcos. Veteres authores cum de poëtis lyricis agunt, Horatiũ Flaccum, & Cæſium Baſſum, præcipuè enumerant, qui legi mereantur. Diomedes quoq; grãmaticus moloſſicos numeros refert (qui duriſſimi habẽtur) à Cæſio Baſſo compoſitos. Amicos habuit Publium Ouidium, & Perſiũ ſatyrarum ſcriptorem: qui ad hunc Baſſum ſcribens, ita illum alloquitur:

Admouit iam bruma foco te Baſſe Sabino?
Iam ne lyra, & tetrico uiuunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris ueterum primordia uocum,
Atq; matrem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ.
Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honeſto,
Egregios luſiſſe ſenes.

Neq; deſunt, qui ſcribant, eundẽ Cæſium cum uilla ſua conflagraſſe, ardente Veſeuo monte ignibus latè æſtuantibus. Celebres fuerunt hiſdem ferme temporibus Aufidius Baſſus, hiſtoriæ author: & Saleius Baſſus poëta epicus. De utroque dicemus ſuis locis.

ſunt de Rabirio: Egregiè mihi uidetur M. Antonius apud Rabirium poëtam exclamare,cum fortunam ſuam ad alios tranſeuntē uidet,nihilq; aliud ſibi relictū præter ius mortis:

Hoc habui,quodcunq; dedi.

Parùm mihi compertum eſt,an idem ſit hic Rabirius,qui ſatyras ſcripſerit,quod à Fulgentio refert:Rabirius inquit in ſatyris de Mecennia:

Abſtemium temulenta fugit Mecennia nomen.

Hæc ſunt quæ legimus de C.Rabirio apud ueteres authores.

L.ANNEVS SENECA TRAGICVS Cap. LIII.

L.Anneus Seneca,natione Hiſpanus, patria Cordubenſis fuit.Inter eos poëtas refert,qui tragœdias ſcripſerunt,ut Pacuuius,Accius,Attilus,& Pomponius Secūdus, qui eadē ætate claruit, & cum ipſo Seneca paribus ſtudijs uerſatus eſt in faciēdis tragœdijs,ut Fabius Quintilianus teſtat.In magno precio habitus eſt,& ob elegantiā ingenij plurimū cōmendatus.Scripſit tragœdias x,in quibus ꝑpter ſublimitatē carminis,grauitatemq; ſententiarū,non uulgarē laudem cōſecutus eſt,& ſi tempora illa (in quæ incidit) magna ex parte aduerſa extiterunt melioribus diſciplinis.In ſuis fabulis Euripidem atq; Aeſchilū tradit imitatus,quæ res facile intelligit ab his, qui paulò diligētius eas obſeruabūt. Qui ſcribūt poëtā hūc filiū fuiſſe Annei Senecæ, qui in ſtoicorū diſciplinis magnopere claruit,cōiecturis tantū nitunt,neq; hāc rē(ut ego exiſtimo) ullis authoribus aſſerūt.Minimè aūt dubium eſt, duos fuiſſe Senecas,quorū alter in philoſophiæ ſtudijs præclarus atq; excellēs habitus eſt.Itaq; diuus Hieronymus ꝑpter egregiā illius probitatē,ſingularēq; uitę conſtantiā(ut puto)inter authores chriſtianos collocauit:quę res optimis rōnibus & antiqs ſcriptoribus ꝓbat.Val.Mar.duos celebrat Senecas, &

unicum Lucanum ex eadem Corduba. Sidonius Apollinaris in ſuis poëmatis, ſic de Anneo Seneca ſcribit ad Felicem eo carmine, in quo de Latinis poëtis diſſerit:

Non quòd Corduba præpotens alumnus
Facundum ciet, hic putes legendum
Quorum unus colit hiſpidum Plotona
Incaſſumq́; ſuum monet Neronem.
Orcheſtram quatit alter Euripidis
Pictum fecibus Aeſchilum ſecutus
† *ſolitus* *Aut plauſtris* † *ſolitum ſonare Theſpim.*
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebat Olidæ patrem capellæ.

Ex his manifeſtè colligitur, quid exiſtimari debeat de utroque Seneca, præcipuè quod elici poteſt ex octaua eiuſdē tragœdia, in qua Neronis ſcelera, & crudeliſſima flagitia copiosè enumerant̃. Grammatici ueteres uident̃ maximi feciſſe præter cæteros omneis Pacuuium & Accium in ſcribendis tragœdijs, ut alibi diximus. Nō me præterit, quā multa ſcripta ſint, de hoc Seneca à Xicone Poletano, ſed is mihi uidet̃ abuti ſua diligentia, & aliorū iudicium cōtemnere, qui tam anxiè defatigatur in re minimè dubia explicanda.

C. ASINIVS GALLVS *Caput* LIIII.

C. Aſinius Gallus, patrem habuit Aſiniū Pollionem, uirū conſularē, & in Romana eloquentia excellentem. Filius Aſinius, diligētia & ſtudio parentis, ſecutus eſt primò diſciplinam paternam: deinde in poëtica ſuum ingeniū præcipuè excoluit. Anneus Seneca & alij ueteres oratorē & poëtam hunc faciūt. Afferunt à noſtris grāmaticis uerſiculi aliquot Galli Aſinij, ex quibus apparet, quantum ualuerit in ſcribendis epigrāmatis & acumine & gratia. Fecit inter cæ-

tera

tera carmen de Pomponio grammatico, quē pugilē fuiſſe iocaſ. C. quoq; Plinius de Aſinij epigrāmatis meminit, in epiſtola ad Pontiū. Dicit eñ ſcriptos libros à Gallo Aſinio de cōparatione patris & Ciceronis, in qbus amores M. Tullij cum ſuo Tyrone rettulerit. Itaque ſic Plinius de poëta Gallo:

Cumq; libros Galli legerem, quibus ipſe parenti
Auſus de Cicerone daret, palmamq; decusq;
Laſciuum inueni uerſum Ciceronis, & illo
Spectandum ingenio, quo ſeria condidit, & quo
Humanis ſalibus multo, uarioq; lepore
Magnorum oſtendit menteis gaudere uirorum.

Celebrantur adhuc carmina quædam ſub nomine Gall. Aſinij de puero Hippolyto quē unicè dicitur dilexiſſe, ſed parūm mihi compertū, an hoc aſſeratur à probis authoribus. Quidam ſcripſerūt hūc Gallum Tiberio principi inuiſum, & ob id magnis ſupplicijs ab eo fuiſſe occiſum.

A. PERSIVS FLACCVS *Caput LV.*

A. Perſius Flaccus Volaterris Hetruriæ oppido natus eſt. Quidam exiſtimarunt Lunis, quòd hoc uideatur inſinuari ab ipſo Perſio, Euſebius certè & grammatici ueteres Volaterranum faciunt. In ſecundo ordine permanſit, ut adnotatum eſt. Conſtat eum claruiſſe hiſdem ferme temporibus, quibus Domitius Nero imperium Romanæ urbis ſuſcepit. In grammatice præceptorem habuit Rhemniū Palæmonem Vicentinū, qui grauiſſimas inimicitias dicitur exercuiſſe cum M. Varrone. In rhetorice Flauium Verginiū, ſi fides adhibeatur grammaticorum cōmentarijs, qui eundem Perſium expoſuerunt. Anneum uerò Cornutum (qui philoſophiæ ſtudio excelluit) magna diligētia, ſingularicq; obſeruatione coluit. Cumq; eo

familiariſſimè diu uixit, qua in re mirificè gratulatur Perſius ſibiipſi quòd ſibi cōtigerit Cornutum habere præceptorem, optimamq́; illius diſciplinam atq; inſtitutionem ſequi, ut amicè ac liberè ad eum ſcribit:

Cumq; iter ambiguum, & uitæ neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes,
Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu.

Amicos prætereà maximè dilexit Anneū Lucanū, Cæſium Baſſium, qui in lyricis carminibus claruit, & Macrinū, quod apertè colligit, cum ipſius Perſii uerſibus, tum ueterū commentarijs. Probis moribus fuit, & egregia uitæ integritate. Quocirca cōtinere ſe nō potuit, quin ipſum quoq; Neronē eiusq́; iniquiſſima flagitia liberius accuſaret, ut qui ſub Mydæ regis nomine illū irriſerit, ſatyrica quadā urbanitate, ſed admonente Cornuto carmē immutauit. Compoſuit ſatyras numero ſex, præfatus in his multū ſe laboris atq; diligentiæ poſuiſſe, neq; ſe repente poētā prodijſſe. Nō deſunt, qui ſcribāt, imperfectū fuiſſe hoc opus à Perſio relictū, quod mihi ueriſimile uidet, ꝓpter immaturū illius obitū. Cum publicaretur Perſii ſatyræ, quā fuerint iudicio eruditorū approbatæ. Itaq; maiorem laudem atq; ampliorē commendationem meruit, quā grāde illud atq; operoſum poēma Marſi, quod Amazonidis nomine inſcripſit, ut Fabius, & Val. Martialis teſtantur:

Sæpius in libro memoratur Perſius uno
Quàm totus magna Marſus Amazonide.

Secutus eſt in ſcribendis ſatyris poētam Luciliū, qui acerrimus fuit in notandis atq; inſectandis Romanorū uitijs. Relatū eſt ab Euſebio, eū perijſſe cum nondum xxx uitæ annū cōpleuiſſet: quo tēpore Nero imper. omniū ſcelerū cumulatiſſimus cū cantoribus ac ſcenicis hominibus in theatro decantauit.

cantauit. Habitus eſt in maximo precio alter C. Perſius ob ſingularē doctrinā, cuius iudiciū atq; grauiſſimā cenſurā Lucilius reformidare ſe dixit. Sed hæc ſuo loco exponētur.

CORN. SEVERVS Caput LVI.

Ornelius Seuerus inter poëtas epicos relatus ab antiquis authoribus. Ingenio fuit magno, & in ſcribendis uerſibus facili. Cōſtat eundem diu fuiſſe uerſatū in agēdis declamationibus, qua in re ingeniū ſuū atq; eruditionē maximè ꝓbauit cū in eodem officio forēt alij complures, ut Aſinius Pollio, Pōpeius Sylo, Arelius Fuſcus, Sextilius Hena, Cæſtius Pius, Portius Latro, & Aufidius Baſſus. A Fabio Quintiliano ita cōmendatur, ut uerſificator, quā poëta melior habitus ſit. Scripſit inter alia multa opus de bello Siculo, quod ab eo abſolutū non eſt, ꝑpter importunū obitū. Quod ſi potuiſſet illud perficere ad exemplum primi libri, meritò ſibi ſecundum locū uindicaſſet, ut ab eodem Fabio relatum eſt, qui alia inquit Seueri opera maximā indolem & admirabilem gratiā indicaſſe. Afferunt uerſus Cor. Seueri à noſtris grammaticis, ex quibus colligi poteſt, quantū præſtiterit ingenio & doctrina. Sed apponemus carmen illud, in quo eleganter defleuit interitum M. Tullij, quod etiam ab Anneo Seneca magnopere commendatum eſt:

Oraq; magnanimum ſpirantia penè uirorum
In noſtris iacuere ſuis, ſed enim abſtulit omnes
Tanquàm ſola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia conſulis acta
Iurataq; manus, deprenſaq; fœdera noxæ:
Patriciumq; nefas, eſt nunc & pœna Cethegi,
Deiectusq; redit uotis Catilina nefandis.
Quid fauor aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, ſacris exacta quid artibus ætas?

Abſtulit

Abſtulit una dies æui decus, ictaq́; luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.
Vnica ſollicitis quondam tutela ſaluſq́;
Egregium ſemper patriæ caput, ille ſenatus
Vindex, ille fori, legum, rituſq́; togæq́;
Publica uox, eius æternum obmutuit armis.
Informeis uultus, ſparſamq́; cruore nefando
Canitiem ſacraſq́; manus, operumq́; miniſtras
Tantorum, pedibus cuius proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans, nec lubrica fata deoſq́;
Reſpexit, nullo luet hoc Antonius æuo
Hoc neq; in Hemathio mitis uictoria Perſæ.
Nec te dire Siphax, non fecit in hoſte Philippo
Inq́; triumphato ludibria cuncta Iugurtha.
Aſſuerat, noſtræq́; cadens ferus Hannibal iræ:
Membra tamen ſtygias tulit inuiolata ſub umbras.

Idē Cornelius carmen fecit de Aethna monte, in quo nō uulgarem laudem conſecutus eſt: cum alij quoq; in eadem materia ſe exercuerint: ut Pub. Vergilius & Ouidius. Hæc ſunt quæ legimus de Cornelio Seuero.

M. ANNEVS LVCANVS *Caput* LVII.

M. Anneus Lucanus natione Hiſpanus, patria Cordubenſis fuit. Patrem habuit L. Anneum Melam qui habitus eſt Senecæ & Gallionis frater: ut obſeruatū eſt in annalibus Euſebij. Natalis eius traditur C. Cæſare Germanico iterū, & L. Cæſiano conſulibus, delatus ad urbē cum in prima adhuc infantia eſſet, quo facilius pro ætate in bonis diſciplinis cultum ingenij caperet. Adoleſcens factus, illuſtreis habuit præceptores in litteris Rhemnium Palæmonem, qui principem locum inter omneis grāmaticos tenuit. In rhetoricis Flauium Verginium rhetorem

illis

illis temporibus nobiliſſimum. Tantumq́ diligentia ſua ac facilitate ingenij profecit, ut Græcè ac Latinè declamaret nõ ſine ſumma admiratione audientium. Inter cæteros condiſci pulos Saleiũ Baſſum, & A. Perſium, qui ſatyras ſcripſit, ſingulari beneuolẽtia dilexit, mutuisq́ officijs proſequutus eſt. Apud Cæſarem Neronem permultùm gratia & beniuolentia in prima ætate potuit, adeò illi efficax fuit ingeniũ ad promerendos, conciliandosq́ ſibi animos hominum. Itaq; non modò ad quæſturę dignitatem prouectus eſt, ſed in augurũ quoq; collegiũ aſcitus, cõpoſitis uerſibus de laudibus Neronis. Non tamẽ permanſit in gratia apud eũ principẽ, qui alienas laudes moleſtiſſimo animo ferret, quiq; in repellẽdis, op primẽdisq́ aliorum uirtutibus, acerrimus ac ſæuiſſimus fuit. Vxorem habuit nomine Pollã Argentariã, de cuius ingenio atq; doctrina multa referuntur à Sidonio Apollinare & Papinio, qui maxima quadam reuerentia inquit ad natalem Lucani celebrandum ſe accedere, & eſſe hoc imputandum Pollæ Argentariæ, cuius eruditio atq; nobilitas ſumma fuit. Valerius quoq; Martialis multis carminibus natalem Lucani deſcribit: quale eſt illud contra Neronis iniquitatem:

Hæc eſt illa dies, quæ magni conſcia partus,
Lucanum populis, & tibi Polla dedit.
Heu Nero crudelis, nullaq́; inuiſior umbra,
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.

Enumerantur à grãmaticis noſtris, præter opus de bello Cæſaris & Pompeij, complura alia ab eodem Lucano compoſita, in quibus maximam laudem adeptus eſt ingenij & doctrinæ. Scripſit eñ ſaturnalia, ſyluarũ libros decẽ, tragœdiã Medeã: quã nõ abſoluit. De incendio urbis, de incẽdio Troiæ cũ Priami calamitate, Orpheũ, fabulas cõplureis, & epiſtolas. Ex libris Pharſaliæ tris primos emẽdauit: cũ uxore Argentaria, reliquos imperfectos, atq; inemendatos reliquit propter

PP intem-

intempeſtiuum interitum. Fabius Quintilianus author eſt Lucanum ipſum magis annumerandum eſſe oratoribus, quàm poëtis: Eſt (inquit) ardens & concitatus, ſententijsque clariſſimis excellens. In contionibus admirandus atque excultus, adeò, ut uideatur ſatis exprimere ſingularem illam elegantiã & maieſtatem Vergilij. Sunt qui ſcribant eum perijſſe florẽti adhuc ætate, cum nondum trigeſimum annum attigiſſet, ſed referendum id eſt uerbis Cor. Taciti, qui de hoc agit in geſtis Neronis. Attico Veſtino & Silio Nerua Cos. facta eſt conſpiratio cõtra Neronẽ imperatorẽ, principe tã preclari facinoris C. Piſone. Lucanũ propriæ cauſæ ad hoc accendebant, quòd famam carminũ eius Nero deprimebat, prohibueratque oſtentare uanus aſſimulatiõe. Patefacta aũt cõiuratione Lucani, cædem imperauit Nero. Is brachiũ dedit medico ad ſecandas uenas. Et ubi profluente ſanguine pedes frigeſcere, manusque, & paulatim ab extremis cædere ſpiritum, feruido adhuc & compote mentis pectore, intelligit recordatus à ſe carmen compoſitum, quo uulneratum militem per eiuſdem mortis imaginẽ obijſſe tradiderat. Verſus ipſos rettulit, eaque illi ſuprema uox fuit. Viſitur adhuc Romæ in marmoreis monumentis id elogium de Lucano priſcis litteris: M. ANNEO LVCANO, CORDVBENSI POETAE, BENEFICIO NERONIS CAES. FAMA SERVATA. Sed apponendum prætereà eſt carmen illud uulgatiſſimum de ipſo Lucano:

Corduba me genuit, rapuit Nero, prælia dixi,
Quæ geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.
Cominuo nunquam direxi carmina ductu
Quæ tractim ſeparant, plus mihi comma placet.

POM-

POMPONIVS SECVNDVS *Caput* LIII.

POmponius Secundus nobili ac illuſtri famila natus; hiſdem temporibus claruit in urbe, quibus optimi rhetores habiti ſunt, Portius Latro, Domitius Afer, & Albutius Sylo. Inter eos poëtas refertur, qui tragœdias compoſuerunt, ut Accius Pacuuius & Attilius. Relatũ eſt à Fabio Quintiliano, longè omnium excelluiſſe hunc Pomponium in eo genere carminis, quos ipſe uiderit. Tanta eñ doctrina atq; ſublimitate excelluit, ut uulgò ſit appellatus Pindarus tragicus. Multa de Pomponio tradunt ab antiquis ſcriptoribus, quæ copioſe indicãt uixiſſe illum in ſumma dignitate & gratia apud nobiliores ciuitatis, quod & C. Plinius aſſerit, qui duos libros cõpoſuit de uita et moribus Pomponij Secundi: tantũ illius nomini, ſummiſq; uirtutibus cõceſſit. Germanico Cæſari gratiſſimus fuit, quẽ aliquando cœna accepit, ut notatũ eſt ab antiquis. C. Plinius eundem Pomponiũ ciuem ac uatẽ clariſſimum uocat, quo loco de monimẽtis Tiberij & Caij Gracchorum diſſerit. Afferuntur uerſus à Mauro Terentiano & alijs ueteribus, ex quibus facilè intelligitur, quantũ iacturæ factum ſit ex amiſſione tragœdiarũ Pomponij. De obitu illius nihil apud authores legimus.

GN. GETVLICVS *Caput* LIX.

GN. Getulicus poëta nobilis habitus eſt in ſcribẽdis epigrãmatis, ut grãmatici noſtri tradunt. Val Martialis ad exẽplum Getulici carmina ſua excuſat, ſi paulò laſciuior in illis uideť. Relatũ eſt ab antiquis ſcriptoribus fuiſſe ab eo dilectã puellam nomine Cæſenniam, magnoq; ſtudio celebratam, ut Corinnam ab Ouidio, Lesbiam à Catullo, Argentariam à Lucano,

quod à Sidonio ſcribitur in epiſtola ad Heſperium. Valer. Probus affert hos uerſus Getulici, cum de cardinibus cæli loquitur:

Non Aries illum uerno ſtrat aëre cornu.
Gnoſia nec Geminos præcidunt cornua tantum
Sicut Lycaonius reſupinat plauſtra Bootes.

Nominat̃ à Sueton. Tranquillo Gn.Lentulus Getulicus, ſed in dubio eſt, an idem haberi debeat, etſi temporũ ratio ſatis cõgruit. Hæc ſunt ferè quæ de poëta Getulico legimus.

SEXTILIVS HAENA *Caput* LX.

SExtilius Hæna, natione Hiſpanus, patria Cordubenſis fuit, ex eodem municipio, quo Lucanus poëta, Anneus Gallio & uterq; Seneca. Traditũ eſt de hoc Sextilio fuiſſe illũ magis ingenioſum, quã eruditum, & in ſuo carmine peregrinũ quiddam & inæquale retinuiſſe, ut eſt author Seneca. Inter alia opera carmen cõpoſuit de laude & interitu M. Tullij, quod ab eodẽ recitatum eſt in ædibus Meſſalæ Coruini. Qua in re nõ prætermittam referre hoc loco, quod acciderit ſatis urbanũ ac lepidum de Aſinio Pollione. Is enĩ cum eſſet conuocatus ad audiendum Sextiliũ, non potuit ſibi temperare, quo minus indicaret quã infenſus eſſet nomini M. Tullij, quanq; iniquo animo illius laudes acciperet: nam cum principio Sextilius hoc carmen rettuliſſet:

Deflendus Cicero, Latiæq; ſilentia linguæ,

tum Pollio Aſinius uehementer ea re permotus: Tu (inquit) Meſſala uideris quid tibi liberum ſit in domo tua: ego iſtum non ſum auditurus, cui uideor mutus. Et ſimul conſurgens diſceſſit, ne cæteros uerſus audiret. Permulta referuntur de hoc Sextilio & eius ingenio, cum alibi, tum apud Anneum Senecam in controuerſiis.

SALEIVS BASSVS Caput LXI.

SAleius Baſſus his temporibus Romæ claruit, quibus in eloquentia nobiles habiti ſunt, Domitius Apher, Iulius Secundus Trachalus, & Vibius Criſpus. Ingenio magno fuit, et in uerſibus cōponendis uehementer excitato. Inter eos poëtas relatus eſt, qui carmē heroicū decātarunt. Quintilianus Val. Flaccū, Saleiū Baſſum, & Rabiriū inter epicos nominat, quo loco Vergilium, Enniū ac Lucanum ponit. Laudatur ab antiquis magnopere Saleius, neq; tantū ut uir optimus, ſed ut poëta egregius atq; abſolutiſſimus. Coluit præcipua beniuolentia & uſu contubernij Lucanum Cordubenſem, & Iulium Secundum: qui inter ſummos oratores ſuæ ætatis celebratur. Cæſar autem Veſpaſianus plurimi fecit Saleij ingenium atq; doctrinam, tantūq; illi conceſſit, ut inter illuſtria monimenta poſitum ſit, Auguſtum Veſpaſianum quinquaginta HS. elargitum fuiſſe Saleio Caſſo, propter ingeniū, ſingularemq; eruditionē, de quo ſcribunt cōplura à Cor. Tacito. Iuuenalis quoq; in ſatyris de hoc Saleio meminit, eumq; tradit maximè nobilem fuiſſe, ſed exiguo ac tenui cenſu. Hæc de Saleio poëta legimus.

CLODIVS SABINVS Caput LXII.

CLodius Sabinus poëta ſatis nobilis, inter eos relatus eſt qui elegiacū carmen ſcripſerūt. Primū tempus ſuæ ætatis in cauſis ac declamationibus collocauit cū Ouidio, Argētario, Cor. Seuero & alijs, qua in re magnā laudē cōſequutus dicitur ingenij & urbanitatis, ut eſt author An. Seneca. Erat (inquit) Sabinus homo urbaniſſimus, ac ſiquid illi deſuit in eloquētia, urbanitate ac ſalibus penſauit. Referunt di-

cta illius cõplura, ex quibus colligit, quã comis & ingenio ſus fuerit Sabinus. Scripſit opus de bello Troiano, & itẽ epiſtolas aliquot, quæ noſtris temporibus legunt, & ab Ouidio ſumma laude cõmendantur. Perijt immatura ætate & ob importunũ obitum nõ potuit incœpta opera perficere.

C. PEDO ALBINOVANVS *caput* LXIII.

C.Pedo Albinouanus inter eos poëtas relatus eſt à ueteribus, qui epigrãmata et iocos ſcripſerũt. Præcipuè claruit tẽporibus Neronis, ac in tenera ætate operã & ſtudiũ poſuit in declamatiõibus, quod ex An. Seneca facilè colligitur. Ouidius poëta enumerat hunc ipſum Pedonẽ cũ illis qui ſua ętate carminũ ſtudio pręſtiterũt: ut Marſum, Rabirium Macrũ, Montanũ, Sabinũ, & alios plureis. Ingenio elegãti, et urbano fuit uerſatusq; eſt in ſcribẽdis epigrãmatis nõ ſine magna cõmendatione ſui nomĩs. Itaq; Val. Martial. refert ſe habere authores (quos ſequit) Catullum, Pedonẽ, Marſum atq; Getulicũ. Et in primis cupere, ut ſua carmina ad illorũ extimationẽ atq; gratiã accedãt. Idem Pedo laudat ab Ann. Sen. ut fabulator egregius & maximè feſtiuus. P. Ouidiũ ſingulari beniuolẽtia dilexit, cũq; eo in iocis & cõmunibus ſtudijs familiariter uerſatus eſt. Legunt adhuc Pedonis uerſus, quos dixit nauigante Germanico in Alexandri deliberatiõe, de trãsfretando Oceano cum exercitu. Nos eos ſubijciemus, quo facilius iudicari poſſit de illius ingenio

Iampridem poſt terga diem, ſolemq; relictum.
Iam pridem notis extorres finibus orbis
Per non conceſſas audaces ire tenebras
Heſperij metas, extremaq; littora mundi,
Nunc illum pigris immania monſtra ſub undis
Qui ferat Oceanum, qui ſæuas undiq; piſtreis

Aequorea

Aequoreosq; caneis ratibus conſurgere pranſis
Accumulat fragor ipſe moetus, iam ſidere limo
Nauigia, & rapido deſertam flamine claſſem
Seq; feris credunt per inertia fata marinis
Tam non felici laniandos ſorte relinqui.
Atq; aliquis prora ſe dat ſublimis ab alta
Aëra pugnaci luctatus rumpere uiſu.
Vt nihil erecto ualuit dignoſcere mundo
Obſtructo talis effundit pectore uoces.
Quò ferimur? ruit ipſe dies, orbemq; relictum
Vltima perpetuis claudit natura tenebris.
An ne alio poſitas ultra ſub cardine genteis
Atq; alium libris intactum quærimus orbem?
Dij reuocant, rerumq; uocant cognoſcere finem
Motaleis oculos, aliena quid æquora remis,
Et ſacras uiolamus aquas? diuûmq; quietas
Turbamus ſedes?

VOLCATIVS SEDIGITVS *Caput LXIIII.*

VOlcatius Sedigitus in poëtica illuſtris eſt habitus ut à C. Plinio refert, qui hũc ipſum locis pluribus celebrat. Gellius cõplureis uerſus eiuſdem Volcatij repetit in Atticis noctibus, ex quibus facilè colligit, præſtitiſſe illum ingenio et multiplici doctrina Neq; deſunt apud ueteres qui aſſerãt appellatũ Sedigitũ ea ratiõe, q; ſingulis manibus ſenos digitos haberet. Vnde & Horatij filiæ Sedigitæ nuncupatæ ſunt, de quo ſcripſimus ſuo loco. Idem Volcatius librũ cõpoſuit de poëtis Latinis ſenarijs uerſibus, quo opere iudicẽ ſe atq; criticũ præbuit, in adnotandis atq; iudicandis poëtis, quod & Lucilius & Horatius Flacc. fecerũt. Fuiſſe alterũ Volcatiũ conſtat, qui Romæ nobiliſſimus eſt habitus, quiq; ius ciuile Ceſelliũ edocuit, quod & C. Plinius commemorat.

PETRI

PETRI CRINITI DE POETIS LATInis ad Coſmum Paccium pontificem Arretinum libri quarti præfatio.

POſtea quàm de his poëtis Coſme pontifex Aretine accuratè ac diligẽter ſcripſimus, qui ſumma elegantia, pariq; doctrina hoc munus obierunt: reliquum eſt ut de his agamus, qui ſequẽtibus ſæculis in hac ſtudiorum facultate ingenium excoluerunt. Qua in re ſeruabimus rationem temporũ: ne quis me ipſum parum diligentem exiſtimet in his omnibus adnotandis, quæ ad inchoatum opus uideantur pertinere. Neq; poteſt accidere aliquid mihi gratius aut potius, quã proſequi inſtitutum noſtrum, quod à principio adoleſcentiæ certis atq; optimis rationibus ſuſcepi peruigilandi in bonis ſtudijs, eaq; aſſiduè meditandi, quæ laborem atq; diligentiam noſtram uirtuti atq; poſteritati commendent. Sed hæc aliâs tranſigemus, illud abs te rogatum atq; impetratum magnopere uolumus pro tuo erga me animo atq; optima uoluntate, ut Maximi Tyrij orationes (quas in Latinum ſermonem pauloantè conuertiſti) ad nos aliquando mittas. Maiora enim ac longè grauiora indies agitamus, quæ maturè ad frugem perducentur dijs bene uolentibus. Interim ad Statium Papinium & reliquos poëtas accedemus, quo cumulatius abſoluamus hanc partem, & ſimul pleniori officio ingenijs conſulamus. Neq; te latet magnum prouentum poëtarum extitiſſe his temporibus, ut Caius Plinius refert.

PETRI

PETRI CRINITI

DE POETIS LATINIS, AD COSMVM PACCIVM PONTIFICEM ARRETINVM, LIBER QVARTVS.

PVB. STATIVS PAPINIVS Caput LXV.

PVb. Statius Papinius inter poëtas heroicos relatus, haud ignobili genere ortus eſt. Quidam ſcribunt maiores eius oriundos Epiro diuq; uerſatos Sellis non ſine commendatione ingenij atq; probitatis. Patrem Papinium habuit, qui ob inſignem eruditionem, egregiasq; uirtutes, ciuitate Neapoli donatus eſt, in qua Statius poëta natalem ſuũ habuit, quæ res cum locis multis indicatur, tum illis præcipuè carminibus, quibus Claudiam uxorem hortatur, ut relicta urbe, Neapolim ſe recipiat, quo liberius atq; facilius animo ſuo indulgere poſſet. Primã ætatem in ſtudijs litterarum & honeſtis diſciplinis collocauit, diligẽtia Papinij patris inſtitutus. Cumq; in poëtica facultate multùm profeciſſet, breui tempore adeptus eſt ſummam celebritatem nominis. Vxorem habuit nomine Claudiam, quæ ingenio magno fuit, minimeq; uulgari doctrina: ut ipſe Statius alicubi refert. Quidam falsò exiſtimarũt eandem eſſe Pollam Argentariam, quæ uxor Annei Lucani fuit, ut dictũ eſt à nobis commodius. Compoſuit multa & uaria poëmata, de quibus breuiter agendum eſt. Thebaidem libris duodecim quos conſecrauit Cæſari Domitiano. In hoc opere ſequutus eſt magna ex parte poëtam Antimachum, qui pari argumento maximum atq; operoſiſſimum opus reliquit. Neq; dubiũ eſt poëtam Statium in eo abſoluendo mira ſolertia uſum, &

QQ incre-

incredibili ſtudio per xii annos. Fateturq́ liberè & ingenuè ſe magnopere adiutum à parente ſuo, in pernoſcenda ac deſcribēda locorum hiſtoria. Et à ſe æditum atq; publicatum, iudicio ac monitionibus Iunij Maximi, qui per ea tempora excelluit magna eruditione & eloquentia. Deinde aggreſſus eſt ſcribere opus de Achille, in quo maiore ſpiritu ac longiori carmine parabat exequi geſta illius atq; uirtutes, ſed per importunum obitum minimè potuit inchoatum opus perficere. Quidam exiſtimarūt fuiſſe ab eo abſolutū, ac maiori ex parte amiſſum iniuria temporum. Syluarum libros quinq; ædidit, auſpicatus à cæſare Domitiano, qui ſtudium poëticæ quantū potuit maximè ſimulauit. In his facilè probauit Statius, quantum faueret bonis ingenijs, quantumq́ amicorum ſtudijs atq; officijs concederet. Idem tamē refert, ſe diu, multumq́ dubitaſſe in his libellis emittendis, qui ſubito calore & quadam feſtinandi uoluptate fluxerunt. De his Apollinaris Sidonius meminit, magnisq́ laudibus proſequitur, non modò in epiſtolis, ſed in ſuis etiam hendecaſyllabis:

Non quòd Papinius tuus, meusq́
Inter Labdacios ſonat furores
Aut cum ſortè pedum minore rithmo
Pingit gemmea prata ſyluularum.

Inter cæteros amicos præcipuè coluit Attedium Meliorem, Pollium, Septimium, Stellam Patauianum & Marcellum Victorium, ad quem Fabius Quintilianus libros ſuos miſit de oratoria inſtitutione. Cæſar Domitianus tantum ſtudij atq; officiorum demonſtrauit erga poëtam Statium, ut eum quandoq; ſuſceperit magnifico atq; apparatiſſimo cōuiuio, de quo ſcriptum eſt carmen à Statio, adiecta laudatione principis, quem indulgētiſſimum uocat. Idem Domitianus donauit eum inſigni corona & alijs muneribus, atq; dignitati-

bus.

bus honeſtauit. Filium amiſit, cum in tenera ætate eſſet: cuius acerbum interitum defleuit pater mœſtiſſimus longiori carmine, ut habetur eo ſyluarum libro, quē Abaſcantio miſit. Minimè dubium eſt perijſſe Statium prouecta ætate, ut grammatici noſtri teſtantur. Necq; inclinat animus, ut uerū eſſe exiſtimem, quod à quibuſdam ſcribitur, fuiſſe illum ſtilo præacuto occiſum à cæſare Domitiano, cum tam diligenter, tancq; officioſè multis, ac uarijs poëmatis blandiatur principi in extollendis atcq; aſſiduè celebrandis illius officijs. De Statio Cæcilio (qui nobiliſſimus habitus eſt inter comicos) diximus ſuo loco.

SILIVS ITALICVS Caput LXVI.

Silius Italicus, poëta heroicus, ex Hiſpania oriundus traditur, deducto genere ab Italica urbe nobili: unde cognomen reportauit. Sed Romæ natus eſt (ut credit) atcq; etiam educatus. Necq; obſcura fama eſt principiò adoleſcentię prſetuliſſe optimam indolem capiendis litteris. Cumcq; ſtudio & diligentia uehementer præſtaret, breui conſequutus eſt, ut Romæ haberetur inter præcipuos oratores: nam magna ſolertia, & incredibili cura, conatus eſt exprimere Marci Tullij eloquentiam. quē præ cæteris omnibus ſibi propoſuerat ad imitandum. Sub imperatore Nerone dicitur famam ſuā læſiſſe, accuſatis atcq; inſimulatis nonnullis apud ſæuiſſimū principem. Cum Vitellio geſſit ſe prudenter, & egregia uitæ honeſtate. Mox factus eſt Aſiæ proconſul, in quo manifeſto apparuit, quanta modeſtia præſtaret, ut qui eam dignitatem geſſerit ſingulari continentia & integritate maxima. Domitiano Auguſto gratiſſimus fuit, eo authore perductus eſt ad tertium conſulatum honeſtiſſimis ſuffragijs: de quo leguntur adhuc uerſiculi poëtæ Martialis, quibus uenerationē ſuam profitetur:

Auguſto pia thura, uictimaſq;
Pro noſtro dare Silio Camœnæ
Biſſenos iubet en redire faſces
Noto conſule, nobiliq; uirga
Vatis Caſtaliam domum ſonare
Rerum prima ſalus & una cæſar
Gaudenti ſupereſt adhuc quod optet.
Felix purpura, tertiuſq; conſul.

Caius Plinius permulta refert de poëta Silio in epiſtolis, qua in re minimè alienum fuerit, particulam ſubijcere, quo facilius atq; cumulatius percipiatur, quã eleganti ingenio fuerit atq; ſtudioſo in proſequendis optimis exemplis: Plures uillas (inquit) poſſidebat, adamatiſq; nouis, priores negligebat. Multumq; ubiq; librorum, multumq; ſtatuarum, multumq; imaginum, quas non habebat modò, uerumetiã uenerabatur. Vergilij ante omneis, cuius natalem religioſius quã ſuum celebrabat, maximeq; Neapolim, ubi monumentum eius adire ut templum ſolebat. Opus compoſuit libris XVII de bello Punico ſecundo, non uulgari, neq; abſurdo carmine, etſi illud maiore cura (ut traditur) quã ingenio perfecit. Præcipuè Maronem imitatus eſt, cuius ingenium atq; feliciſſimam maieſtatem admirabatur in deſcribendis carminibus. De hoc poëmate Silij Valerius Martialis ſic refert:

Sili Caſtalidum decus ſororum
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidoſq;
Faſtus Hannibalis, leueſq; Pœnos
Magnis cædere cogis Aphricanis
Noſtris ocia commoda Camœnis.

Complura leguntur apud eundem Martialem de laude ingenij atq; optimæ eruditionis Silij, quæ hoc loco prætermittimus.

timus. In agro Neapolitano prædium habuit, in quo cũ frequenter ſecederet, maxima animi uoluptate cõſueuit ſuum ocium tranſigere. Neq; dubium eſt, eundem ad extremam penè ſenectutem deueniſſe, ut qui maior ſeptuagenario uitam finierit. Nam morbo detentus inſanabilis claui ſingulari cõſtantia obitum præpoſuit: felix, ꝓpemodum ac beatus uſq; ad extremum diem, ut copioſè relatum eſt à Plinio in epiſtolis.

C. VAL. FLACCVS SETINVS Cap. LXVI.

C. Valerius Flaccus Setinus, inter eos (qui heroica decantarũt) poëta multorum iudicio admirandus. Patauinus fuit, iuxta Aponum natus, ut à ueteribus traditũ eſt, qui ſcribunt eius patriam fuiſſe maximè inſignem natalibus Liuij, Stellæ, & Val. Flacci. Itaq; hunc ipſum Val. Martialis laris Antenorei alumnũ appellauit: alij Setinum crediderũt ex Setia Campaniæ urbe, quæ haud procul à Velitris fuit. Vnde in magno precio habita ſunt Setina uina, ut ab antiquis ſcriptoribus relatũ eſt. Et mirum uideri debet, quanto ſpiritu Flaccus inſurgat, quãtaq; ingenij felicitate in ſcribendo carmine præſtaret. Hic eſt ille Valerius Flaccus, in cuius obitu multũ fuiſſe amiſſum, queritur Fabius Quintilianus in libris ad Marcellũ Victoriũ. Extãt ipſius octo uolumina de Argonauticis, quod opus dicatum eſt Cæſ. Domitiano, uel ut alij uolunt patri Veſpaſiano, quoniam ſic ad eum ſcribat in ipſa præfatione operis: *Setina uina.*

Eripe me populis, & habenti nubila terræ
Sancte pater, ueterumq; faue ueneranda canenti
Facta uirûm. uerſam proles tua pandit Idumen
Namq; potes, Solymo nigrantem puluere fratrem
Spargentemq; faces, & in omni turre furentem.

Scripturus erat multò plureis libros, niſi mors intempeſtiua eũ nobis eripuiſſet. Videt̃ autẽ in illis (qui ſcripſerũt) Apollonium Rhodiũ, non tantũ argumẽto operis expreſſiſſe, ſed etiam ſingulis quandoq; carminibus. Atacinus quoq; Varro pari titulo compoſuit libros de Argonauticis, quod alibi notauimus. Idẽ Flaccus inter amicos habuit Secundũ, Maternũ, Stellam & Val. Martialẽ, qui ad eum ſcribit, eruditionemq; illius magnopere extollit. Conſtat hũc mediocri cenſu ac penè tenui fuiſſe, & prædiũ poſſediſſe exiguũ, in quo (ut Martialis refert) Muſarum curas reponeret. Itaq; Martialis idem liberè illũ monet, ut relictis muſis atq; otio, malit in foro & cauſis agendis uerſari: quoniã poëtarũ ſtudia parui admodum cenſerentur, ut his uerſibus patet:

O mihi curarum precium non uile mearum
Flacce Antenorei ſpes, & alumne laris,
Pierios differ cantus chorosq; ſororum
Aes dabit ex iſtis nulla puella tibi.
Quid tibi cum Cyrrha, quid cum Permeſſidos unda?
Romanum propius, diuitiusq; forum eſt.
Illic æra ſonant.

Habuit Flaccũ puerũ in delitijs, quem Amazonicũ quidam appellant, eius formam, indolem atq; uenuſtatem, Martialis proſequitur eleganti epigrammate. De alio Flacco (qui epigrammata ſcripſit) ſuo loco diximus.

DEC. IVNIVS IVVENALIS *Cap. LXVIII.*

Decius Iunius Iuuenalis patria fuit Aquinas. Quæ res nõ modò percipit̃ ex inſcriptione ueterum codicum, ſed etiam uerbis, qui ſub perſona Vmbricij dicuntur:

Ergo uale noſtri memor, & quotiens te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino:

Me quoq;

Me quoq; ad Eluinam Cererem, noſtramq; Dianam
Conuelle à Cumis.

Natus eſt patre libertino, ut quidam credunt. Alij ab eo inſtitutum, procq; filio habitum dicunt. Temporibus Domitiani principis floruit, etſi ad Neruæ ac Traiani ætatem peruenit, quod indicatur multis, atq; uarijs locis, præcipueq; hoc carmine:

Et ſpes & ratio ſtudiorum in cæſare tantum
Solus enim triſteis hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit, cum iam celebres notiq; poëtæ,
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos
Optarent.

In hoc enim gratulaẽ Neruæ, quòd inter alios principes maximè præſtaret ſummis officijs atq; affectibus in proſequendis atq; honeſtandis diſciplinis. Quidam putarunt referendum eſſe ad cæſarem Domitianum, qui magnopere ſimulauit ſtudiũ poëticæ, ut authores ſunt Tacitus & Suetonius. Frontonem grammaticũ primò audiuit, ſummaq; diligentia ab eo dicitur inſtitutus: qui Romæ docuit illis temporibus magna celebritate nominis, ut Gellius teſtatur. Deinceps probauit ingeniũ ſuum in foro & cauſis agẽdis, in quo magis uidereẽ elaboraſſe pro ueteri cõſuetudine declamandi, quã ut uerſari diu uellet in eo ſtudiorũ genere. Neq; deſunt qui referant eruditum fuiſſe Iuuenalem præceptis atq; inſtitutionibus Quintiliani, qui p ea tẽpora maximè excelluit inter cæteros rhetores. Verſatus eſt maximo ſtudio in ſcribẽdis ſatyris: ſecutus exemplũ Lucilij atq; Horatij. Qua in re haud mediocrẽ laudẽ adeptus eſt in iudicio eruditorũ cõpoſitis quinq; uoluminibus. In his eñ facilè oſtẽdit, quã acrẽ ſe atq; uiolentũ præberet accuſandis atq; inſectãdis hominũ uitijs, ut qui moleſtiſſimo animo ferret corruptos ciuitatis mores. Inter amicos præcipuo affectu coluit Voluſiũ

Bithinicum,

Bithinicum,& Coruinum. Val.quoq; Martialis plurimùm
detulit Iuuenali,ſuumq; ſtudiũ atq; ſingularem beniuolen-
tiam pluribus locis teſtatus eſt,ut his uerſibus apparet:

Cum Iuuenale meo,quæ me committere tentas
Quid non audebis perfida lingua loqui?

Quidã grãmatici tradunt eundẽ acceſſiſſe ad ultimã ſenectu
tem,& in remotiſſimam Aegypti partem miſſum à Cæſare
Domitiano ſub prætextu demandatæ dignitatis, ibiq; ſenio
confectũ ac nimio uitæ tædio periſſe,quod ego nõ dum repe
rio apud eos authores,qui ꝓ receptis ac fide dignis habent.

ARVNTIVS STELLA PATAVINVS *Caput LXVIII.*

ARuntius Stella, nobili genere natus eſt, familia
honeſta.& conſulari. In qua ſeruato à maioribus
ordine,perpetuã dignitatem retinuit.Id ſatis colli
gitur ex his uerſibus poëtæ Papinij:

Clarus de gente Latina
Eſt iuuenis,quem patricijs maioribus ortum
Nobilitas gauiſa tulit,præſagaq; formæ
Protinus è noſtro poſuit cognomina cælo:

Valerius Martialis oriundum Patauio refert,cum ſcribit ap
poni regionem magno precio haberi ob natalem Liuij,Stel
læ,ac Flacci.Claruit autem per ea maximè tempora, quibus
Flauij Cæſares Romæ imperarunt.Tantumq; ſcribendis car
minibus dicitur præſtitiſſe, ut inter optimos poëtas habitus
ſit,in poëmatis abſoluẽdis,ut ſatis teſtantur Martialis & Pa
pinius,qui eundem Stellam,clariſſimum poëtam uocat. Vi
olantillam puellam Neapolitanam cum uehementer dilige-
ret,impetratis nuptijs uxorem accepit.De quibus cõplura le
guntur apud ueteres.Martialis eam appellat Ianthidam Græ
co nomine.Idem Stella uſus eſt magna familiaritate cum Iu
lio Secundo & Val.Martiale. Papinius uerò tanti fecit inge
nium

nium atq; eruditionem Stellæ, ut minimè dubitauerit dicare illi ſua poëmata, eiusq; laudes, & epiſtolis, & carminibus ædi tis proſequi. Inter alia (quæ dicuntur à Stella compoſita) ele giæ ponuntur & opus de Aſteride. Sed inprimis laudatur eiuſdē poëma de interitu columbæ, quod à Martiale præpoſi tum eſt Catullianis uerſibus de Paſſere Lesbiæ, ſic enim refert:

Stellæ delitium mei columba
Verona licet audiente dicam
Vicit maximè Paſſerem Catulli.

Quantū præſtiterit in urbe publicis dignitatibus atq; hono ribus, ſatis explicatur à Papinio in Syluis. Non enim prætor tantum creatus eſt, ſed etiam duumuir, quocirca magnam gratiam, ſingularemq; commendationem ſuæ uirtutis repor tauit. Hæc ſunt quæ legimus de poëta Stella in ueterū com mentarijs.

M. VALERIVS MARTIALIS *Caput* LXX.

M. Valerius Martialis genere Hiſpanus fuit, Bilbili natus, haud ignobili oppido Celtiberiæ, ut uete res authores tradunt, & ipſe Martialis cum pluri bus locis demonſtrat, tum maximè his uerſibus ad Licianum municipem ſuum:

Vir Celtiberis non tacende gentibus
Noſtræq; laus Hiſpaniæ
Videbis altam Liciane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Sub primam ætatem profectus eſt ad urbem Romam, quo facilius in litterarum ſtudio uerſari poſſet, ſuumq; ingenium erudire. Sed cum agendis cauſis minimè ſe idoneum uide ret, omnem operam atq; diligentiam rettulit ad ſcribenda epi grammata, in quibus magnopere excelluit iudicio ueterum. Maximè autem ualuit in promerendis ſibi atq; conciliandis

RR homi-

PETRI CRINITI DE POETIS LATI-
nis ad Coſmum Paccium pontificem Arreti-
num libri quarti præfatio.

POſtea quàm de his poëtis Coſme pontifex Ar retine accuratè ac diligēter ſcripſimus, qui ſum ma elegantia, pariq; doctrina hoc munus obie runt: reliquum eſt ut de his agamus, qui ſequē tibus ſæculis in hac ſtudiorum facultate ingeni um excoluerunt. Qua in re ſeruabimus rationem temporū: ne quis me ipſum parum diligentem exiſtimet in his omni- bus adnotandis, quæ ad inchoatum opus uideantur pertine- re. Neq; poteſt accidere aliquid mihi gratius aut potius, quā proſequi inſtitutum noſtrum, quod à principio adoleſcen- tiæ certis atq; optimis rationibus ſuſcepi peruigilandi in bo- nis ſtudijs, eaq; aſſiduè meditandi, quæ laborem atq; diligen tiam noſtram uirtuti atq; poſteritati commendent. Sed hæc aliàs tranſigemus, illud abs te rogatum atq; impetratum ma gnopere uolumus pro tuo erga me animo atq; optima uo- luntate, ut Maximi Tyrij orationes (quas in Latinum ſer- monem pauloantè conuertiſti) ad nos aliquando mittas. Maiora enim ac longè grauiora indies agitamus, quæ matu- rè ad frugem perducentur dijs bene uolentibus. Interim ad Statium Papinium & reliquos poëtas accedemus, quo cu mulatius abſoluamus hanc partem, & ſimul pleniori officio ingenijs conſulamus. Neq; te latet magnum prouentum poëtarum extitiſſe his temporibus, ut Caius Plinius refert.

PETRI

PETRI CRINITI

DE POETIS LATINIS, AD COSMVM PACCIVM PONTIFICEM ARRETINVM, LIBER QVARTVS.

PVB. STATIVS PAPINIVS Caput LXV.

PVb. Statius Papinius inter poëtas heroicos relatus, haud ignobili genere ortus eſt. Quidam ſcribunt maiores eius oriundos Epiro diuq; uerſatos Sellis non ſine commendatione ingenij atq; probitatis. Patrem Papinium habuit, qui ob inſignem eruditionem, egregiasq; uirtutes, ciuitate Neapoli donatus eſt, in qua Statius poëta natalem ſuũ habuit, quæ res cum locis multis indicatur, tum illis præcipuè carminibus, quibus Claudiam uxorem hortatur, ut relicta urbe, Neapolim ſe recipiat, quo liberius atq; facilius animo ſuo indulgere poſſet. Primã ætatem in ſtudijs litterarum & honeſtis diſciplinis collocauit, diligẽtia Papinij patris inſtitutus, Cumq; in poëtica facultate multum profeciſſet, breui tempore adeptus eſt ſummam celebritatem nominis. Vxorem habuit nomine Claudiam, quæ ingenio magno fuit, minimeq; uulgari doctrina: ut ipſe Statius alicubi refert. Quidam falsò exiſtimarũt eandem eſſe Pollam Argentariam, quæ uxor Annei Lucani fuit, ut dictũ eſt à nobis commodius. Compoſuit multa & uaria poëmata, de quibus breuiter agendum eſt. Thebaidem libris duodecim quos conſecrauit Cæſari Domitiano. In hoc opere ſequutus eſt magna ex parte poëtam Antimachum, qui pari argumento maximum atq; operoſiſſimum opus reliquit. Neq; dubiũ eſt poëtam Statium in eo abſoluendo mira ſolertia uſum, &

QQ incre-

bus honeſtauit. Filium amiſit, cum in tenera ætate eſſet: cuius acerbum interitum defleuit pater mœſtiſſimus longiori carmine, ut habetur eo ſyluarum libro, quẽ Abaſcantio miſit. Minimè dubium eſt periſſe Statium prouecta ætate, ut grammatici noſtri teſtantur. Neq; inclinat animus, ut uerũ eſſe exiſtimem, quod à quibuſdam ſcribitur, fuiſſe illum ſtilo præacuto occiſum à cæſare Domitiano, cum tam diligenter, tanq; officioſè multis, ac uarijs poëmatis blandiatur principi in extollendis atq; aſſiduè celebrandis illius officijs. De Statio Cæcilio (qui nobiliſſimus habitus eſt inter comicos) diximus ſuo loco.

SILIVS ITALICVS *Caput* LXVI.

Silius Italicus, poëta heroicus, ex Hiſpania oriundus traditur, deducto genere ab Italica urbe nobili: unde cognomen reportauit. Sed Romæ natus eſt (ut credit̃) atq; etiam educatus. Neq; obſcura fama eſt principiò adoleſcentię pręſetuliſſe optimam indolem capiendis litteris. Cumq; ſtudio & diligentia uehementer præſtaret, breui conſequutus eſt, ut Romæ haberet̃ inter præcipuos oratores: nam magna ſolertia, & incredibili cura, conatus eſt exprimere Marci Tullij eloquentiam, quẽ præ cæteris omnibus ſibi propoſuerat ad imitandum. Sub imperatore Nerone dicitur famam ſuã læſiſſe, accuſatis atq; inſimulatis nonnullis apud ſæuiſſimũ principem. Cum Vitellio geſſit ſe prudenter, & egregia uitæ honeſtate. Mox factus eſt Aſiæ proconſul, in quo manifeſto apparuit, quanta modeſtia præſtaret, ut qui eam dignitatem geſſerit ſingulari continentia & integritate maxima. Domitiano Auguſto gratiſſimus fuit, eo authore perductus eſt ad tertium conſulatum honeſtiſſimis ſuffragijs: de quo leguntur adhuc uerſiculi poëtæ Martialis, quibus uenerationẽ ſuam profitetur:

Auguſto pia thura, uictimasq;
Pro noſtro dare Silio Camœna
Biſſenos iubet en redire faſces
Noto conſule, nobiliq; uirga
Vatis Caſtaliam domum ſonare
Rerum prima ſalus & una cæſar
Gaudenti ſupereſt adhuc quod optet.
Felix purpura, tertiusq; conſul.

Caius Plinius permulta refert de poëta Silio in epiſtolis, qua in re minimè alienum fuerit, particulam ſubijcere, quo facilius atq; cumulatius percipiatur, quã eleganti ingenio fuerit atq; ſtudioſo in proſequendis optimis exemplis: Plures uillas (inquit) poſſidebat, adamatisq; nouis, priores negligebat. Multumq; ubiq; librorum, multumq; ſtatuarum, multumq; imaginum, quas non habebat modò, uerumetiã uenerabatur. Vergilij ante omnes, cuius natalem religioſius quã ſuum celebrabat, maximeq; Neapolim, ubi monumentum eius adire ut templum ſolebat. Opus compoſuit libris XVII de bello Punico ſecundo, non uulgari, neq; abſurdo carmine, etſi illud maiore cura (ut traditur) quã ingenio perfecit. Præcipuè Maronem imitatus eſt, cuius ingenium atq; feliciſſimam maieſtatem admirabatur in deſcribendis carminibus. De hoc poëmate Silij Valerius Martialis ſic refert:

Sili Caſtalidum decus ſororum
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosq;
Faſtus Hannibalis, leuesq; Pœnos
Magnis cedere cogis Aphricanis
Noſtris ocia commoda Camœnis.

Complura leguntur apud eundem Martialem de laude ingenij atq; optimæ eruditionis Silij, quæ hoc loco prætermittimus.

timus. In agro Neapolitano prædium habuit, in quo cũ frequenter ſecederet, maxima animi uoluptate cõſueuit ſuum ocium tranſigere. Neq; dubium eſt, eundem ad extremam penè ſenectutem deueniſſe, ut qui maior ſeptuagenario uitam finierit. Nam morbo detentus inſanabilis claui ſingulari cõſtantia obitum præpoſuit: felix, ꝑpémodum ac beatus uſq; ad extremum diem, ut copioſè relatum eſt à Plinio in epiſtolis.

C. VAL. FLACCVS SETINVS *Cap. LXVI.*

C. Valerius Flaccus Setinus, inter eos (qui heroica decantarũt) poëta multorum iudicio admirandus. Patauinus fuit, iuxta Aponum natus, ut à ueteribus traditũ eſt, qui ſcribunt eius patriam fuiſſe maximè inſignem natalibus Liuij, Stellæ, & Val. Flacci. Itaq; hunc ipſum Val. Martialis laris Antenorei alumnũ appellauit: alij Setinum crediderũt ex Setia Campaniæ urbe, quæ haud procul à Velitris fuit. Vnde in magno precio habita ſunt Setina uina, ut ab antiquis ſcriptoribus relatũ eſt. Et mirum uideri debet, quanto ſpiritu Flaccus inſurgat, quãtaq; ingenij felicitate in ſcribendo carmine præſtaret. Hic eſt ille Valerius Flaccus, in cuius obitu multũ fuiſſe amiſſum, queritur Fabius Quintilianus in libris ad Marcellũ Victoriũ. Extãt ipſius octo uolumina de Argonauticis, quod opus dicatum eſt Cæſ. Domitiano, uel ut alij uolunt patri Veſpaſiano, quoniam ſic ad eum ſcribat in ipſa præfatione operis: *Setina uina.*

Eripe me populis, & habenti nubila terræ
Sancte pater, ueterumq; faue ueneranda canenti
Facta uirûm uerſam proles tua pandit Idumen
Namq; potes, Solymo nigrantem puluere fratrem
Spargentemq; faces, & in omni turre furentem.

Scripturus erat multó plureis libros, niſi mors intempeſtiua eũ nobis eripuiſſet. Videt̃ autẽ in illis (qui ſcripſerũt) Apollonium Rhodiũ, non tantũ argumẽto operis expreſſiſſe, ſed etiam ſingulis quandoq; carminibus. Atacinus quoq; Varro pari titulo compoſuit libros de Argonauticis, quod alibi notauimus. Idẽ Flaccus inter amicos habuit Secundũ, Maternũ, Stellam & Val. Martialẽ, qui ad eum ſcribit, eruditio nemq; illius magnopere extollit. Conſtat hũc mediocri cenſu ac penè tenui fuiſſe, & prædiũ poſſediſſe exiguũ, in quo (ut Martialis refert) Muſarum curas reponeret. Itaq; Martialis idem liberè illũ monet, ut relictis muſis atq; otio, malit in foro & cauſis agendis uerſari: quoniã poëtarũ ſtudia parui admodum cenſerentur, ut his uerſibus patet:

O mihi curarum precium non uile mearum
Flacce Antenorei ſpes, & alumne laris,
Pierios differ cantus chorosq; ſororum
Aes dabit ex iſtis nulla puella tibi.
Quid tibi cum Cyrrha, quid cum Permeſſidos unda?
Romanum propius, diuitiusq; forum eſt.
Illic æra ſonant.

Habuit Flaccũ puerũ in delitijs, quem Amazonicũ quidam appellant, eius formam, indolem atq; uenuſtatem, Martialis proſequitur eleganti epigrammate. De alio Flacco (qui epigrammata ſcripſit) ſuo loco diximus.

DEC. IVNIVS IVVENALIS Cap. LXVIII.

DEcius Iunius Iuuenalis patria fuit Aquinas. Quæ res nõ modò percipit̃ ex inſcriptione uete rum codicum, ſed etiam uerbis, qui ſub perſona Vmbricij dicuntur:

Ergo uale noſtri memor, & quotiens te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino:

Me quoq;

He quoq; ad Eluinam Cererem, noſtramq; Dianam
Conuelle à Cumis.

Natus eſt patre libertino, ut quidam credunt. Alij ab eo inſtitutum, procq filio habitum dicunt. Temporibus Domitiani principis floruit, etſi ad Neruæ ac Traiani ætatem peruenit, quod indicatur multis, atq; uarijs locis, præcipueq; hoc carmine:

Et ſpes & ratio ſtudiorum in cæſare tantum
Solus enim triſteis hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit, cum iam celebres notiq; poëtæ,
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos
Optarent.

In hoc enim gratulatũ Neruæ, quòd inter alios principes maximè præſtaret ſummis officijs atq; affectibus in proſequendis atq; honeſtandis diſciplinis. Quidam putarunt referendum eſſe ad cæſarem Domitianum, qui magnopere ſimulauit ſtudiũ poëticæ, ut authores ſunt Tacitus & Suetonius. Frontonem grammaticũ primò audiuit, ſummaq; diligentia ab eo dicitur inſtitutus: qui Romæ docuit illis temporibus magna celebritate nominis, ut Gellius teſtatur. Deinceps probauit ingeniũ ſuum in foro & cauſis agẽdis, in quo magis uideret elaboraſſe pro ueteri cõſuetudine declamandi, quã ut uerſari diu uellet in eo ſtudiorũ genere. Neq; deſunt qui referant eruditum fuiſſe Iuuenalem præceptis atq; inſtitutionibus Quintiliani, qui p ea tẽpora maximè excelluit inter cæteros rhetores. Verſatus eſt maximo ſtudio in ſcribẽdis ſatyris: ſecutus exemplũ Lucilij atq; Horatij. Qua in re haud mediocrẽ laudẽ adeptus eſt in iudicio eruditorũ cõpoſitis quinq; uoluminibus. In his eñ facilè oſtẽdit, quã acrẽ ſe atq; uiolentũ præberet accuſandis atq; inſectãdis hominũ uitijs, ut qui moleſtiſſimo animo ferret corruptos ciuitatis mores. Inter amicos præcipuo affectu coluit Voluſiũ

nium atq; eruditionem Stellæ, ut minimè dubitauerit dicare illi ſua poëmata, eiuſq; laudes, & epiſtolis, & carminibus ædi tis proſequi. Inter alia (quæ dicuntur à Stella compoſita) ele giæ ponuntur & opus de Aſteride. Sed inprimis laudatur eiuſdē poëma de interitu columbæ, quod à Martiale præpoſi tum eſt Catullianis uerſibus de Paſſere Lesbiæ, ſic enim refert:

Stellæ delitium mei columba
Verona licet audiente dicam
Vicit maximè Paſſerem Catulli.

Quantū præſtiterit in urbe publicis dignitatibus atq; hono ribus, ſatis explicatur à Papinio in Syluis. Non enim prætor tantum creatus eſt, ſed etiam duumuir, quocirca magnam gratiam, ſingularemq; commendationem ſuæ uirtutis repor tauit. Hæc ſunt quæ legimus de poëta Stella in ueterū com mentarijs.

M. VALERIVS MARTIALIS *Caput* LXX.

M. Valerius Martialis genere Hiſpanus fuit, Bilbili natus, haud ignobili oppido Celtiberiæ, ut uete res authores tradunt, & ipſe Martialis cum pluri bus locis demonſtrat, tum maximè his uerſibus ad Licianum municipem ſuum:

Vir Celtiberis non tacende gentibus
Noſtræq; laus Hiſpaniæ
Videbis altam Liciane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Sub primam ætatem profectus eſt ad urbem Romam, quo facilius in litterarum ſtudio uerſari poſſet, ſuumq; ingenium erudire. Sed cum agendis cauſis minimè ſe idoneum uide ret, omnem operam atq; diligentiam rettulit ad ſcribenda epi grammata, in quibus magnopere excelluit iudicio ueterum. Maximè autem ualuit in promerendis ſibi atq; conciliandis

Gargilio Martiale dicemus ſuo loco, qui libros compoſuit de geſtis imperatorum.

SENTIVS AVGVR Caput LXXI.

SEntius Augur Romæ natus atq; honeſtis artibus eruditus, inter eos poëtas cõnumeratur, qui epigrammata & poëmata ſcripſerunt. Permulta de hoc referuntur à Plinio in epiſtolis, quibus facile colligitur, quantum præſtiterit elegantia ingenij & optimis moribus. Vixit magna familiaritate cũ Spurina & Antonino uiris grauiſſimis, maximeq; ab illis ꝓbatus eſt, ꝓpter ingenij modeſtiã & egregiam uitæ probitatẽ. Secutus in ſcribendis epigrãmatis Val. Catullũ & Licinium Caluum, multaq; cõpoſuit eleganter & lepide. Alia cũ bile & ſtomacho, ut à Plinio refertur, qui nõ ſine magna admiratione ſolitus eſt audire poëmata ipſius Sentij. Legunt̃ adhuc uerſiculi aliquot, quibus apertè explicatur, quãtum in eo genere ualuerit, & gratia & ſalibus. Sic enim ſcribit ad Plinium:

Canto carmina uerſibus minutis
His olim, quibus & meus Catullus
Et Caluus, ueteresq;. Sed quid ad me
Vnus Plinius eſt mihi prior, is
Mauult uerſiculos foro relicto
Et quærit quod amet, putatq; amari
Ille Plinius ille, quid Catones?
I nunc, qui ſapias amare noli.

Hæc hactenus de poëta Sentio obſeruaui. De obitu ipſius nihil legi apud ueteres authores.

VESTRICIVS SPVRINA Caput LXXII.

VEſtricius Spurina, nobili ac præclara familia ortus, inter eos poëtas relatus eſt ab antiquis ſcriptoribus, qui lyrici appellantur. Per eadem tẽpora floruit, quibus Veſpaſiani principes rerum

potiti ſunt. Moribus optimis fuiſſe traditur, ac domi, foriſq; magna & excellenti uirtute ſe geſſiſſe, nõ ſine cõmendatione ſummæ grauitatis ac ſingularis prudentiæ. Idem Spurina factus eſt imperator contra Breueterũ regem. Cumq; illum ſtrenuè atq; ingenti animo repuliſſet, fuſo atq; fugato exercitu, ferociſſimarũ gentiũ triumphali ſtatua donatus eſt. Filium Cocceium adhuc iuuenem amiſit, cuius interitũ, conſtanti animo tulit, ut qui humanæ fragilitatis improbitatem optimè cognoſceret. Poëmata ipſius præcipuè cõmendantur à Plinio his uerbis: Scribuntur à Spurina lyrici uerſus, & quidem utraq; lingua, & doctiſſimè: mira illis dulcedo, mira ſuauitas, mira hilaritas: cuius gratiã cumulat ſanctitas ſcribentis. In his ſecutus eſt Flaccum Horatiũ, cuius indolẽ atq; elegantiã magna felicitate exprimebat. Vixit ſumma familiaritate cũ Iulio Apro & Agricola, qui ſocer fuit Cor. Taciti. Plinium Secundum uehementer dilexit, propter ingenium atq; ſingularem modeſtiam. Neq; dubium eſt eum ad extremam ſenectutem perueniſſe, integris ſenſibus, ualidoq; ac uigenti corpore. De ſapientia ipſius in rebus gerendis, cæteriſq; animi uirtutibus complura ſcribunt à C. Plinio, quæ nos breuitatẽ præfati magna ex parte omittimus. Celebratur ab antiquis ſcriptoribu alter Spurina, qui prænunciauit C. cæſari futurum interitum, eumq; ſubmonuit: cauendas ſibi eſſe Martias Idus.

VOCONIVS VICTOR *Caput* LXXIII.

VOconius Victor nobili genere ortus traditur: Romæ uixit in Secundo ordine, ſed illuſtrior factus eſt poëticæ ſtudio. Precipuè floruit temporibus Hadriani principis, qui ex Italica urbe Hiſpaniẹ genus duxit. Idem Voconius ſub primam ætatem in foro & cauſis agẽdis operam poſuit, ma-

gna

gna laude ingenij ſui atq; ſtudiorũ. Fuit enim modeſtia ſingulari, & in conciliandis ſibi hominũ animis mirè efficax, ut relatum eſt à Caio Plinio, qui maxima familiaritate uixit cum poëta Voconio, paribusq; ſtudijs atq; diſciplinis diu incubuit. Neq; dubiũ eſt, eum excelluiſſe in ſcribendis elegijs atq; epigrãmatis, ut Martialis teſtatur, in quibus affectauit ueneres ac laſciuam uerborũ licentiã: uir alioqui probis moribus atq; honeſtiſſimis. Quocirca cæſar Hadrianus (cum permultũ concederet Voconij poëmatis) ſingulari affectu proſequutus eſt illius memoriam, taliq; carmine decorauit eiuſdem ſepulchrum:

Laſciuus uerſu, mente pudicus erat.

Qua in re ſeruauit ueterem legem ſcribendis epigrãmatis:

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum, uerſiculos nihil neceſſe eſt.

Quod à Lucio Apuleio relatum eſt. Celebratur apud ueteres adoleſcens Teſtylus, quem propter egregiam, præclaramq; indolem magnopere dilexit Voconius, ut à Martiale ſcribitur his uerſiculis: *Teſtylus.*

Teſtyle Victoris tormentum dulce Voconi
Quo nemo eſt toto notior orbe puer,
Sic etiam poſitis formoſus amere capillis,
Et placeat uati nulla puella tuo.

L. PAVLVS PASSIENVS. *Caput* LXXIIII.

L. Paulus Paſſienus, nobili atq; honeſta familia ortus, equeſtrem dignitatem à maioribus ſuis acceptam retinuit. Sed quantum colligere poſſumus ex ueterum monimentis, in urbe factus eſt longe nobilior ob elegantiam ingenij, ac poëticæ ſtudium, in qua magnopere excelluit, ut Plinius & Gellius teſtant. Traditũ eſt eum fuiſſe oriundum ex Vmbria, codẽ oppido,

quo poëta Propertius, à quo genus ſuũ deduxit. Præcipuè claruit in ſcribendis elegijs, imitatus Propertiũ, cuius gratiã atq; uenuſtatẽ magno ſtudio dicitur expreſſiſſe, ut à Plinio relatum eſt his uerbis: Reddit Propertiũ in primis. Elegos eius, ſi in manus ſumpſeris, leges opus terſum, molle, iocundum, & planè ut Propertiũ. Idem Paſſienus non tantum in elegia uerſatus eſt, ſed ad poëmata & lyricos ingeniũ ſuum conuertit, in quibus Horatio Flacco magnopere accedebat. Inter cæteros amicos præcipuè coluit Iulium Celſinũ, Gellium & Caium Plioium, qui omnium officiorum genere, ſingularię; diligentia Paſſienũ fouit. Hic eſt ille Paulus Paſſienus, quem Gellius uocat in Atticis noctibus poëtam doctiſſimum. In agro Vaticano prædiũ habuit, in quo magna cum uoluptate uerſari in ſtudijs, & de litteris agere conſueuit, ut à Gellio ſcribitur, qui Pauli eruditionem atq; poëmata pluribus locis commendat. Hæc ſunt quæ de hoc poëta apud ueteres obſeruauimus.

T. ANNIANVS Caput LXXV.

T. Annianus per eadem tẽpora floruit, quibus Cæſar Hadrianus ad imperium aſcitus eſt. Traditur fuiſſe lepido ingenio, maximeq; urbano, ut ueteres grammatici ſatis teſtantur. Feſcennios uerſus cõpoſuit, uarijs iocis, atq; ſalibus refertos: nam in his liberã iocorum laſciuiam, ac feſtiuam procacitatem admittebãt, ſumpta origine ab urbe Sabinorũ, unde inditum eſt nomẽ. Auſonius poëta de Anniani feſcenninis meminit in excuſanda petulãtia ſui carminis. Neq; enim ſunt accuſanda (inquit) ea poëmata, quæ pruritũ mouẽt, quod in carminibus laſciuia cõmendat, in moribus grauitas. Grammatici ueteres perſæpe citãt eiuſdem uerſiculos, quibus haud dubiè apparet Annianũ ipſum inter eos poëtas iure optimo connu-

merari, qui & ingenio & doctrina præſtiterint. Summa familiaritate uſus eſt cum Gellio & Erutio Claro, ut habetur apud eundem Gellium, qui Annianũ poëtam ut elegantiſſimum atq; urbaniſſimum celebrauit.

M. MARVLLVS *Caput* LXXVI.

M. Marullus mimorum ſcriptor habitus eſt, per ea tempora Romæ uixit, quibus cæſar Antoninus rerum potiretᷓ, qui pro inſtituto uitæ ac profeſſione ſtudiorum uindicauit ſibi cognomen philoſophi. Itaq; minimè mirũ, ſi ea tempeſtate omnes bonę diſciplinæ maximũ incrementũ acceperint, auſpicijs & fauore optimi principis. Commendatᷓ Marulli ingeniũ atq; eruditio ab antiquis grãmaticis in cõponendis mimis, in quo genere ſcribendi claruerũt apud Latinos Decius Laberius, Publius, Lentulus, & alij permulti. Relatum eſt à Iulio Capitolino, tantũ animi atq; libertatis fuiſſe in hoc poëta, ut minimè ueritus ſit notare principes ciuitatis, ac nominatim ſuis carminibus perſtringere, & inter alios dicitᷓ accuſaſſe cæſarẽ Antoninũ, pręſentemq; ac ſpectantẽ reprehẽdiſſe, quòd eos uiros potiſſimũ ad ampliores dignitates, promouiſſet, qui infames uulgò haberentᷓ adulterijs Fauſtinæ uxoris. Palàq; eſt nominatum ab eo fuiſſe Tertullum hoc uerſiculo:

Illic iam tibi dixi Tertullus dicitur.

Seruius grammaticus perſæpe meminit de fabulis huius poëtæ, referens perurbanũ dictũ Marulli cõtra nequã paraſitũ: Tu & Hector ab Ilio nõ recedis. Quod in prouerbiũ uenit. Diuus quoq; Hieronymus inter mimographos authores hunc poëtam enumerat, cum de Philiſtione & Lentulo agit in Apologia contra Ruffinum. Celebratur alter Marullus apud Valeriũ Martialem de quo nihil dicendũ eſt hoc loco.

AVLVS

AVLVS SERENVS Caput LXXVII.

AVlus Serenus inter poëtas lyricos relatus eſt ab antiquis grammaticis, in quo genere apud Latinos præcipuè claruerunt Horatius Flaccus, Caſsius Baſſus & alij plures. Traditum eſt de hoc Sereno, eum fuiſſe ingenio eleganti & facili, ad amores & iocos deſcribendos. Maurus Terentianus cum de eo loquitur, egregium ac nobilem poëtã facit. Poëmata ſcripſit uario & multiplici carmine, ut Hieronymus teſtatur, qui eundem inter ueteres Lyricos enumerat. Nonius Marcellus & Martianus Capella pluribus locis citant Sereni poëtæ opuſcula, quibus manifeſtò apparet, illum præſtitiſſe magna eruditione & elegantia. De quinto Sereno commodè à nobis dicetur, ſeruata temporum ratione, qui libros compoſuit de remedijs morborum.

VERGILIVS ROMANVS COMICVS Caput LXXVIII.

VErgilius Romanus per eadẽ tempora in urbe floruit, quibus Hadrianus Cæſar & Antoninus imperarunt. Ingenio præclaro fuit, & antiquitatis maximè ſtudioſus. Scripſit inter alia opera mimiambos, in quo genere poëmatis Cn. Matiũ ſequutus eſt poëtam uetuſtiſſimum. Relata ſunt complura de eruditione & elegantia huius Vergilij à Plinio Secundo, qui illius comœdias atq; mimiambos magnopere celebrauit, quod his uerbis colligitur: Fecit mimiambos tenuiter, argutè, uenuſtè, atq; in hoc genere eloquentiſſimè. Idem Plinius Vergilij fabulas adeò eſt admiratus, ut minimè dubitarit Plautinis atq; Terentianis eas adiũgere. Fuit enĩ in accuſandis uitijs atq; deteſtandis acer & uiolentus: in quo tamẽ fictis nominibus ac perſonis eſt uſus, nõ ſine gratia & ſingulari urbanitate. Inter cæteros amicos præcipue coluit C. Plinium, ut ex epiſtolis illius elicitur. De obitu ipſius nihil apud ueteres authores legimus.

PETRI

PETRI CRINITI DE POETIS LATInis ad Coſmum Paccium pontificem Arretinum libri quinti præfatio.

IN hoc extremo uolumine operis noſtri Coſme pontifex Arretine, ſeruatum eſt à nobis, ut de his poëtis ageremus, qui Antoninorũ temporibus uſq; ad Theodoſium & Conſtãtios cæſares uixerũt. Neq; enim uiſum eſt pertinere ad inſtitutum noſtrum de omnibus ſcribere, declinata imperij maieſtate, boniſq; artibus magna ex parte deſtitutis. Itaq; dabunt mihi ueniam eruditi homines, qui cum legent hos libros, uidebunt à nobis referri poëtas illos, qui re uera paulò ineptiores atq; inelegãtes haberi poſſunt: quales ſunt Iuuencus, Fortunatus, & alij generis eiuſdem, quo moderatè me geſſi. Nam mutata relligione, mutarunt etiã indolem atq; gratiã carminis. Quocirca minimè mirari oportet (præcipuè cum uniuerſa Italia magnis atq; uarijs cladibus confecta eſſet diſtrahẽtibus eã plurimis populis, atq; Barbaris nationibus) ſi antiquorum elegantia atq; puritas uiolata eſt, & ſimul inſcitia bonarũ litterarum atq; imperitia ſuccreuit. Noſtra uerò tempeſtate magnopere debemus lętari, quòd ad id acceſſerunt honeſtę ac liberales diſciplinę ut aliqua ex parte uideantur cum ipſa antiquitate contendere. Quam rem facilè probaturi ſunt, qui Pontani opera & Marulli paulò attẽtius perlegerint: nam uterq; (niſi ego fortè hac in re decipior) in ſuo genere abſolutus haberi debet. Sed minimè par eſt de his facere iudiciũ hoc loco, quos noſtri homines pro optimis exemplis agnoſcunt, & uelut decora quædam & illuſtria monimẽta uetuſtatis admirantur. Nos inſtitutũ opus proſequamur, capientes principiũ à Feſto Auieno, qui præter alia multa opera quæ cõpoſuit, Aratum poëtã cõuertit in latinos numeros ut ſuo loco referet.

Plura in hoc opere inſeruit ex uarijs atq; recõditis authoribus, præcipueq́; ſequutus eſt (ut ipſe teſtat̃) Hecateiũ Mileſium, Hellanicũ Lesbiũ, Philonẽ Athenienſem, Pauſimachum, Euctenum, Cleonem Siculum, alioſq; permultos, ut prætermittamus Annaleis Punicos, à quibus cõplura accepit. Neq; deſunt qui exiſtimẽt fuiſſe alia compoſita ab eodem Auieno. Seruius quidem grãmaticus (cũ de cometis diſſerit) Auienũ ſcribit feciſſe Vergilianas fabulas iambicis uerſibus, & hiſtorica quædam ex libris Liuianis, qua in re nõ ſatis habeo exploratũ an hæc ad eundem ſint referẽda et ſi ratio temporũ maximè cõgruit. Inter amicos præcipuè coluit Myrmeciũ Flauianũ, uirũ clariſſimũ & probum, cuius uirtutẽ atq; ꝓbitatem magnopere cõmendat dicato illi uolumine de maritimis. Hæc ſunt quæ legimus de hoc Auieno apud ueteres authores. De Auieno poëta Græco (cuius legũtur epigrãmata) nihil eſt dicendum hoc loco.

ALPHIVS AVITVS *Caput* LXXX.

ALphius Auitus, poëta illuſtris eſt habitus. Vixit hiſdẽ penè temporibus, quibus cæſares Conſtãtij præſtiterũt, quæ res abundè colligit̃ ex Marc. Terẽtiano, qui poëtã Septimiũ atq; Alphiũ Auitum inter recentiores cõnumerat. Sunt qui putent illum fuiſſe Carthaginienſem, in quo deſideramus authores. Ingenio eleganti fuit & cõponendis carminibus accõmodato. Inter cætera (quæ dicitur ſcripſiſſe) libros fecit, qui inſcripti ſunt Excellentiũ. In his perpetuò eſt uſus dimetris iambicis magna quidem uenuſtate ac pari elegãtia ut grãmatici ueteres teſtantur, quod etiã ſatis colligitur in his uerſiculis qui adhuc ſuperſunt ex libro ſecundo Excellentium;

Tum litterator creditus
Ludo Phaliſcum liberos

Conatus in campi patens
Extráq; muri ducere
Spatiando paulatim trahit,
Hoſtilis ad ualli latus.

Maurus Terentianus perſæpe citat Alphij poëtæ carmina, deq; eo ſic ſcribit in libro de uarijs metris:

Phaſelus ille, quem uides
Plerunq;, nec carmen modò
Sed & uolumen explicat.
Vt pridem Auitus Alphius.
Conſcripſit excellentium.

Priſcianus quoq; de eodem meminit pluribus locis. Hæc ſunt quæ de Alphio poëta obſeruauimus. De Alphio fœneratore ſcriptum eſt ab Horatio & Iunio Columella.

SEPTIMIVS AFER *Caput* LXXXI.

SEptimius natione Afer, inter eos poëtas relatus eſt, qui poëmatis ſcribendis operam atq; ſtudiũ poſuerunt. De hoc mentio habetur cum apud alios, tum apud Maurum Terentianum, qui per eadem tempora propémodum floruit, ut apertè indicauit his uerſibus:

Qui multos legere negant hoc corpore metri
Romanos aliquid ueteres ſcripſiſſe poëtas
Dulcia Septimius, qui ſcripſit opuſcula nuper
Ancipitem tali cantauit carmine Ianum.

Quibus colligitur cõpoſitum fuiſſe hymnũ à Septimio, de laudibus Iani. Neq; alienũ fuerit, eius uerſus aliquot ſubijcere, quo facilius iudicari poſſit de ipſius ingenio atq; eruditione:

Iane pater, Iane tuens, diuc biceps, biformis
O cate rerum ſator, ô principium deorum
Stridula cui lumina, cui cardinei tumultus

Cui

Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.

In hoc carmine imitatus eſt poëtam Callimachum, qui inter cætera opera elegãtiſſimè ſcripſit hymnos deorum, eoq; genere metri uſus eſt. Legũtur alia plura eiuſdem Septimij quales ſunt hi uerſiculi de Agello:

Inquit amicus ager domino
Si bene mi facias memini
Pinea brachia cum crepitant
Audio canticulum Zephyri.

Itaq; cum uteretur uario ac multiplici genere carminũ, uocauit ſuos libros opuſcula. Inter cæteros authores (qui hoc nomine appellati ſunt) præcipuè commendatus eſt ab antiquis Septimius hiſtoriarum ſcriptor, qui de geſtis imperatorum libros compoſuit.

T. CALPHVRNIVS SICVLVS *Caput* LXXXII.

T.Calphurnius natione Siculus fuit, ut inſcriptiones ueterũ codicũ probant. Inter eos poëtas relatus eſt, qui ſcripſerũt Bucolicũ carmẽ. In hoc enim iudicio eruditorum magnopere excelluit, cum gratia carminis, tum elegãtia & proprietate. Per eadem tẽpora floruit, quibus Diocletianus cæſar & Conſtantij principes Romanum imperiũ moderati ſunt. Quæ res manifeſtò indicatur ex cõmentarijs Flauij Vopiſci, qui Olympiũ Nemeſianum celebrat, ad quem poëta Calphurnius ſuum opus miſit, ut in uetuſtis exemplaribus legitur. Quocirca in magno errore uerſantur, qui exiſtimant eum fuiſſe ætate Cæſaris Auguſti. Modicis facultatibus uixit, quod ex ipſo authore ſatis poſſumus colligere. Neq; deſunt, qui putent de Diocletiano imperatore intelligi oportere, cũ ſcribit ſub perſona Orniti:

Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas

Et redit ad terras tandem ſqualore ſituq́;
Alma Themis poſito, iuuenemq́; beata ſequuntur
Secula maternis cauſam qui luſit in ulnis.

Alij hoc ad Numerianū referunt, qui & ſcribendis carminibus, & eloquentia præcipuè excelluit. Sunt qui malint ſcribere Calpurniū, ſublata aſpiratione, quòd à Calpo deducatur nomen Calpurnij, ſed hoc ut friuolum eſt, ita liberū relinquimus noſtris grammaticis.

AVRELIVS OLYMPIVS NEMESIANVS *Caput* LXXXIII.

AVrelius Olympius Nemeſianus, Afer genere, patria Carthaginiēſis fuit, quod antiqores codices teſtant̄. Per ea tēpora in urbe floruit q̃bus Cæſar. Numerianus & Diocletianus imperarūt. Quantū præſtiterit in condendis poëmatis copioſè relatū eſt à Fla. Vopiſ. q hūc ipſum Nemeſianū nobiliſſimū fuiſſe poëtā refert, omnibusq́ colonijs atq̃ urbibus magnopere illuſtratū. Calphurnius Siculus (de quo ſupra ſcripſimus) arctiſſima beniuolētia proſecutus eſt Nemeſianum, eiq́ dicauit ſuū carmē Bucolicum ueluti monimentum propriæ diligētiæ atq́ optimæ uoluntatis. Legunt̄ adhuc eiuſdē Nemeſiani eclogę quibus manifeſtò apparet eū meritò cōmendari inter præcipuos atq́ optimos poëtas ſui temporis. Quocirca uerisimile eſt à Numerio imperatore in maximo precio habitū, qui & eloquentia & abſoluendis poëmatis excelluit. Idem Nemeſianus alia plura compoſuit: nam Cynnogetica, Nautica, & Alieutica ſcripſit. Ioannes Bocatius uir ut illa tempora tulerunt, haud omnino indoctus, citat Nemeſiani poëtæ uerſiculos. Hæc ſunt quæ legimus apud ueteres authores de Nemeſiano.

MAV-

MAVRVS TERENTIANVS Caput LXXXIIII.

MAurus Terētianus, natione Afer, patria Carthaginienſis fuit. Per eadem ferme tempora excelluit in poëtica, quibus Alphius Auitus, Septimius Petronius arbiter, & Aurelius Apollinaris, qui iambicos ſcripſit. Grāmatici ueteres ſiquando citant Terētianum, inter recētiores authores referūt, ut apud Seruiū & Priſcianū legit̄. Opus cōpoſuit uario multiplicię carminū genere: de litteris, ſyllabis, pedibus, & uarijs metris. In quo habita ratione utilitatis, omnē propè gratiā cōtempſit. Et cū ualde laboraret, in ſcribenda, atq; explicanda uarietate carminū, minimè alienū exiſtimauit ab officio eruditionis, ſi eorū poëtarū exemplis uteretur, qui ſuis propè temporibus aliquid ſcripſiſſent: ut Alphij Auiti, Septimij, atq; aliorum quod his uerſibus ingenuè profitetur:

Non equidem poßum tot priſcos noße poëtas
Vt ueterum exemplis ualeam, quæ tracto probare.
Maurus item quantos potui cognoſcere Graios
Quorum præcipuè ſtudijs pars muſica conſtet!
Nemo tamen culpet, ſi ſumo exempla nouella,
Nam melius noſtri ſeruarunt metra minores.

Neq; dubiū eſt ipſum Terentianū ad extremā ætatem perueniſſe, & in hoc opere condendo ita uerſari ſolitum, quaſi animum tali ſtudiorum officio recrearet, ſeniūq; ſuum mollioribus curis tranſigeret. De hoc Terentiano Auguſtinus etiā meminit referens illius uerſiculum de Marco Varrone:

Vir doctißimus undecunq; Varrò.

Quòd habuerit filium nomine Baſſum, & Nouatemū generū, nec facilè colligitur ex ipſis Terentiani carminibus.

CL. CLAVDIANVS ALEXANDRINVS Cap. LXXXV.

CL. Claudianus poëta inſignis, Archadrj & Theodoſii tẽporibus floruit. Patria fuit Alexandrinus, nobiliſſima urbe Aegypti. Quidã Florentinũ faciũt parũ diligenter obſeruãtes ueterũ cõmentarios. Authores Græci (qui de poëta Claudiano meminerunt) Alexandrinnm appellant cui ſententiæ idem author aſtipulatur, dum Nilum ſuũ uocat ut nihil prætereà dubitari poſſit, ei patriã fuiſſe Alexandriã. Ingenio excellenti fuit, maximeq́ꝫ apto ad carmẽ cõponendum: nã & aſſurgit feliciter, uarijſq́ꝫ figuris ac ſentẽtijs mirificè delectat, ut uideatur à natura ipſa inſtructus ad poëticã facultatẽ. Veriſimile eſt eũ Romæ diu uerſatũ, multasq́ꝫ Italiæ urbeis pagraſſe: quod cũ alia multa teſtantẽ, tũ hi uerſus, quos de Balneis Aponi cõpoſuit. Opera illius ſatis nota ſunt, ſed præcipuã laudẽ iudicio multorũ ſibi uindicat his carminibus, qbus principes uiros ſummis laudatiõibus ſeu panegyricis extulit. De raptu Proſerpinæ libros quattuor ſcripſit, eoſq́ꝫ ad Florentinũ miſit, ueluti monimentũ ſuę beniuolentię atq́ꝫ optimæ uoluntatis. Nam cũ eo arctiſſima familiaritate cõiunctus uixit. Prætereo eiuſdem poëmata, epiſtolas, et epigrãmata, in qbus de Nilo, de Phœnice, de Magnete, de Chryſtallo, de Balneis Aponi, de Torpedine, de Gallicis mulabus, deq́ꝫ alijs multis aptè & elegãter carmen deſcripſit. Auguſtinus & alij ueteres plurimũ cõmendarũt ingeniũ atq́ꝫ eruditionẽ Claudiani, referẽtes illius uerſus de laude & uictoria principis Theodoſii contra Eugeniũ Gallorũ regẽ: cõſtat eñ Theodoſiũ ipſum parua manu cõtra ingẽteis Barbarorũ copias dimicaſſe, cæſisq́ꝫ magna ex parte hoſtibus, clariſſima uictoria potitũ, nõ tam ſuis auſpicijs q́ꝫ ope & præſidio obortæ tẽpeſtatis, ſæuiẽtibus uẽtis cõtra hoſtiũ aciẽ, quocirca ſic Claudianus elegãtiſſimè ſcribit:

Te

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq́; tæla
Vertit in authores, & turbine reppulit haſtas
O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatat hyemes, cui militat æther.
Et coniurati ueniunt ad claſſica uenti

Idem Claudianus magna ueneratione coluit Probum, Probinum, & Olibrium uiros conſulareis. Gennadium prætereà, Honorium, Stiliconem ac Mallium Theodôrum ſingulari ſtudio & incredibili diligentia proſequitur, teſtatus officium ſuum libellis à ſe cõpoſitis de illorũ laudibus. Hæc ſunt quæ de poëta Claudiano obſeruauimus. De obitu ipſius nihil apud ueteres authores legimus. De Claudiano Mamerco (qui libros de anima ſcripſit) commodè à nobis dicetur.

DECIVS AVSONIVS GALLVS *Caput* LXXXVI.

DEcius Auſonius, genere Gallus, patria Burdegalenſis fuit, quæ res apertè indicatur, cum locis pluribus, tum præcipuè his uerſibus:

†Burdegallia eſt mihi natale ſolum†
†vbi mitis eſt cæli clementia

†Burdegala
†clementia cæli
†Mitis, ubi & riguæ larga indulgentia terræ

Vixit, ut conſtat, imperantibus Valentino & Valentiniano Auguſtis, quibus magnopere acceptus traditur, ob ingeniũ atq; excellentem doctrinã, ſed longè nobilior factus eſt ſub Gratiano Cæſare quem in Latinis litteris atq; honeſtis diſciplinis magna diligentia erudiuit, ut paulopòſt dicemus. Parentem habuit nomine Auſonium, profeſſione medicum, multisq́; ac uarijs honoribus illuſtratũ, quod ipſe poëta Auſonius teſtatur eo carmine, quo pietatem ſuam profeſſus eſt in deplorando obitu patris. Quidam imperitiſſimè faciunt, qui ad hunc poëtam referunt, quæ ad patrem Auſonij pertinent. Cæſar Valentinianus tantũ conceſſit moribus atq; do

ctrinæ Auſonij, ut eum præcipuè delegerit inter cæteros omneis, qui Gratianum filium inſtrueret, eiusq́ ingeniũ Latinis litteris erudiret. Quocirca maximam nobilitatem adeptus eſt, adeò ut paulo mox patrocinio cæſ. Gratiani prouectus fuerit ad conſularem dignitatem, quàm honeſtiſſimis ſuffragijs, ut abundè percipitur ex illa nobili gratiarũ actione, qua imperatori optimo & diſcipulo humaniſſimo gratulatur. Permulta compoſuit & proſa oratione & carmine. Librum epigrammatum magna ex parte à Græcis poëtis acceptum, in Latinos numeros cõuertit, mira elegantia, pariq́ ingenio. Fuit em̃ Græcè ac Latinè peritiſſimus. Item de his urbibus ſcripſit, quæ nobiliores atq́ clariores haberẽtur, uario, & multiplici genere carminum, ex quo poëmate quædã ueluti fragmenta adhuc leguntur. Puellam nomine Biſſulam multis carminibus celebrauit, admiratus egregiam illius formam, ſingularemq́ uenuſtatẽ. De fluuio Moſa (qui

Moſa

Lingonum fineis prætergrediẽs, in Rhenum influit) in quo maximam laudem (ut eſt author Symmachus) iure optimo ſibi uindicauit, ſiquidem incredibili elegãtia utitur in eo deſcribendo: Faſtorum præterea libros abſoluit, opus magni laboris ac multarum uigiliarũ. A principio enim urbis conditæ auſpicatus eſt, continuato ordine uſq́ ad ſuum conſulatum, ut his uerſibus teſtatur:

† æternæ

Vrbis ab † æterno deductam rege Quirino
Annorum ſeriem cum Procule accipies
Mille annos, centumq́; & bis fluxiſſe nouenos
Conſulis Auſonij nomen adusq́; leges.
Fors erit ut luſtrum, cum ſe cumulauerit iſtis
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

Inter amicos præcipuè habuit Tetradium Gallum, Paulinum poëtam, & Heſperium, quorum ſtudium atq́ beniuolentiam pluribus ac uarijs epiſtolis teſtat̃. Symmachus autẽ

uir

uir Conſularis,& apprimè doctus, tantum poëtæ Auſonio detulit,ut aſſertum ab eo ſit, neminem eſſe omniũ mortaliũ,quẽ in officio amicitiæ illi cõpararet. Extant adhuc epiſtolæ ipſius Symmachi,uelut optimi teſtes,tam mutuæ, tãq; ſingularis inter ſe neceſſitudinis. Neq; dubiũ eſt eundẽ Auſoniũ inter Chriſtianos relatum,quod illius opera multis locis demõſtrãt. De obitu ipſius nihil certi habet ex ueterũ lectione: etſi quidam tradũt nonagenariũ perijſſe,in quo magno errore decipiunt,cum id ad parentẽ Auſonij ptineat.

DAMASVS HISPANVS *Caput* LXXXVII.

Damaſus,natione Hiſpanus, nobili atq; clara familia ortus eſt,ut ueteres ſcribũt. Hiſdem tẽporibus in urbe floruit,quibus in ſcribẽda hiſtoria nobiles habiti ſunt: Paulus Oroſius, & Eutropius, qui de rebus Romanis libros plureis compoſuit. Laudatur ingeniũ Damaſi atq; eruditio in faciendis carminibus, cum ab alijs multis,tum præcipuè ab Hieronymo,qui complura opera à ſe compoſita huic Damaſo dicauit. Adeò modeſtus fuit,tamq; excellenti uirtute ornatus,ut ingenti ſtudio creatus Romæ fuerit pontifex maximus,repulſis atq; improbatis illorum accuſationibus,qui nomine adulterij conabantur famam atq; innocentiã eius inſimulare. Plura de poëta Damaſo relata ſunt apud illos authores,qui de geſtis pontificum ſcribunt. Poëmata ædidit non uulgari elegantia, & hymnos complureis, ut Prudentius, Ambroſius, & alij eiuſdem ordinis authores. Item librum de Romanis pontificibus ſoluta oratione,quem ad Hieronymum miſit, eũq; liberè & amicè hortatur ad exponendam atq; illuſtrandam Hebræorum doctrinam. Putabat enim lectionem ipſam parum quidem conferre ſine ſtilo, neq; poſſe aliquem ſatis proficere in ſtudijs litterarum, atque antiquis diſciplinis,

ſine magna ac diligenti uſu ſcribendi. Neq; deſunt qui referant ipſum Damaſum perueniſſe ad extremam ſenectutē ac ſub Theodoſio Aug. periſſe, cum octuageſimū annum ageret, quod etiam Hieronymus tradit.

IVVENCVS HISPANVS *Caput* LXXXVIII.

IVuencus poëta, natione Hiſpanus, familia inſigni, maximeq; illuſtri natus eſt, ut ab Hieronymo tradit. Præcipuè floruit imperãtibus Cõſtantio & Conſtante, qua tempeſtate in eloquentia apud Latinos clari fuerūt Tiberianus, Nazarius & Flauius Vopiſcus, qui de geſtis Romanorū principū libros compoſuit. Inter alia poëmata quæ dicunt ab eo ædita, ſcripſit quattuor euãgelia hexametris uerſibus, qua in re maiori diligentia uſus eſt in ſeruanda rerum hiſtoria, quã in demõſtranda ingenij ſui elegantia. Idem Iuuencus aliquot hymnos fecit, quibus facilè indicauit ſe optimè meritū de religione Chriſtiana. Neq; dubium eſt fuiſſe illum relatum inter ſacerdotes Chriſtianos, ut ueteres authores teſtantur. Diuus Hieronymus alicubi repetit Iuuenci carmina, eumq; ut eruditum & elegantem poëtam commendat.

AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS *Caput* LXXXIX.

AVrelius Prudentius Clemens, in Latinis litteris magna diligẽtia, pariq; ſtudio inſtitutus, ut Gennadius & Iſidôrus teſtantur. Quibus potiſſimū parentibus ortus fuerit, haud ſatis mihi compertum eſt ex lectione ueterum authorum. Quidam exiſtimãt fuiſſe illum genere Hiſpanum. Primam ætatem agẽdis cauſis poſuit, & in ciuilibus officijs uerſatus eſt. Deinceps ad maiores, ampliores q; dignitates prouectus, ad præfecturam militiæ perductus eſt, ſtudijs atq; ſuffragio caſ. Theodoſii,

quæ

quæ res ſatis intelligitur cum alijs argumẽtis, tum præcipuè his carminibus Prudentij:

Frenos nobilium reximus urbium
Ius ciuile bonis reddimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Euectum pietas principis extulit.

Leguntur adhuc ipſius poëmata multiplici ac uario genere carminum compoſita, quibus facilè probari poteſt, eũ quidem pro cõditione temporũ maximè præſtitiſſe inter Chriſtianos poëtas, nõ modò eruditis uerborũ figuris, ſed etiam grauitate ſententiarũ Sidonius Apollinaris haud omnino cõtemnendus author, in legendis, atq; obſeruãdis antiquis ſcriptoribus, cum loquit̃ de poëta Prudentio, minimè ueritus eſt illũ Horatio adiungere. Præcipuã laudem cõſecutus eſt iudicio doctiorũ ex eo poëmate, quo proſequit̃ illorum probitatẽ atq; conſtantiã, qui ſeipſos deuouerũt pro Chriſtiana religione: cuiuſmodi ab eo celebrant̃ diuus Larentius, Vincẽtius, Romanus, Hippolytus, Caſſianus & alij cõplures. Cõmendantur præterea eiuſdem carmina, de natali domini, de geſtis & miraculis Chriſti, de expiandis animis, de conflictu uitiorum ac uirtutum. Inſectatus eſt acri animo, ac plurimis uerſibus hoſteis Chriſtiani nominis, maximeq; Symmachum uirum conſularem, cuius ſententias atq; eruditionem longo opere accuſat. Minimè autem obſcurũ eſt, eundem Prudentium perueniſſe ad ſummam ſenectutẽ, ac plurimis dignitatibus perfunctum perijſſe.

PONTIVS PAVLINVS *Caput XC.*

Pontius Paulinus, nobili genere natus, inter eos poëtas refert̃, qui ſub imperio cæſ. Gratiani floruerũt, ut Fauſtus, Tetradius et Auſonius. Burdegalenſis fuit, ac in poëtica facultate, magnopere

Conatus in campi patens
Extraq; muri ducere
Spatiando paulatim trahit,
Hoſtilis ad ualli latus.

Maurus Terentianus perſæpe citat Alphij poëtæ carmina, deq; eo ſic ſcribit in libro de uarijs metris:

Phaſelus ille, quem uides
Plerunq;, nec carmen modò
Sed & uolumen explicat.
Vt pridem Auitus Alphius.
Conſcripſit excellentium.

Priſcianus quoq; de eodem meminit pluribus locis. Hæc ſunt quæ de Alphio poëta obſeruauimus. De Alphio fœneratore ſcriptum eſt ab Horatio & Iunio Columella.

SEPTIMIVS AFER *Caput* LXXXI.

SEptimius natione Afer, inter eos poëtas relatus eſt, qui poëmatis ſcribendis operam atq; ſtudiũ poſuerunt. De hoc mentio habetur cum apud alios, tum apud Maurum Terentianum, qui per eadem tempora propémodum floruit, ut apertè indicauit his uerſibus:

Qui multos legere negant hoc corpore metri
Romanos aliquid ueteres ſcripſiſſe poëtas
Dulcia Septimius, qui ſcripſit opuſcula nuper
Ancipitem tali cantauit carmine Ianum.

Quibus colligitur cõpoſitum fuiſſe hymnũ à Septimio, de laudibus Iani. Neq; alienũ fuerit, eius uerſus aliquot ſubijcere, quo facilius iudicari poſſit de ipſius ingenio atq; eruditione:

Iane pater, Iane tuens, diue biceps, biformis
O cate rerum ſator, ô principium deorum
Stridula cui lumina, cui cardinei tumultus

Cui

Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.

In hoc carmine imitatus eſt poëtam Callimachum, qui inter cætera opera elegãtiſſimè ſcripſit hymnos deorum, eoq; genere metri uſus eſt. Legũtur alia plura eiuſdem Septimij quales ſunt hi uerſiculi de Agello:

Inquit amicus ager domino
Si bene mi facias memini
Pinea brachia cum crepitant
Audio canticulum Zephyri.

Itaq; cum uteretur uario ac multiplici genere carminũ, uocauit ſuos libros opuſcula. Inter cæteros authores (qui hoc nomine appellati ſunt) præcipuè commendatus eſt ab antiquis Septimius hiſtoriarum ſcriptor, qui de geſtis imperatorum libros compoſuit.

T. CALPHVRNIVS SICVLVS *Caput* LXXXII.

T. Calphurnius natione Siculus fuit, ut inſcriptiones ueterũ codicũ probant. Inter eos poëtas relatus eſt, qui ſcripſerũt Bucolicũ carmẽ. In hoc cm̃ iudicio eruditorum magnopere excelluit, cum gratia carminis, tum elegãtia & proprietate. Per eadem tẽpora floruit, quibus Diocletianus cæſar & Conſtantij principes Romanum imperiũ moderati ſunt. Quæ res manifeſtò indicatur ex cõmentarijs Flauij Vopiſci, qui Olympiũ Nemeſianum celebrat, ad quem poëta Calphurnius ſuum opus miſit, ut in uetuſtis exemplaribus legitur. Quocirca in magno errore uerſantur, qui exiſtimant eum fuiſſe ætate Cæſaris Auguſti. Modicis facultatibus uixit, quod ex ipſo authore ſatis poſſumus colligere. Neq; deſunt, qui putent de Diocletiano imperatore intelligi oportere, cũ ſcribit ſub perſona Orniti:

Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas

MAVRVS TEREN TIANVS Caput LXXXIIII.

MAurus Terẽtianus, natione Afer, patria Carthaginienſis fuit. Per eadem ferme tempora excellu it in poëtica, quibus Alphius Auitus, Septimius Petronius arbiter, & Aurelius Apollinaris, qui iambicos ſcripſit. Grãmatici ueteres ſiquando citant Terẽtianum, inter recẽtiores authores referũt, ut apud Seruiũ & Priſcianũ legit̃. Opus cõpoſuit uario multiplicięꝗ carminũ genere: de litteris, ſyllabis, pedibus, & uarijs metris. In quo habita ratione utilitatis, omnẽ propè gratiã cõtempſit. Et cũ ualde laboraret, in ſcribenda, atꝗ explicanda uarietate carminũ, minimè alienũ exiſtimauit ab officio eruditionis, ſi eorũ poëtarũ exemplis uteretur, qui ſuis propè temporibus aliquid ſcripſiſſent: ut Alphij Auiti, Septimij, atꝗ aliorum quod his uerſibus ingenuè profitetur:

Non equidem poßum tot priſcos noße poëtas
Vt ueterum exemplis ualeam, quæ tracto probare.
Maurus item quantos potui cognoſcere Graios
Quorum præcipuè ſtudijs pars muſica conſtet?
Nemo tamen culpet, ſi ſumo exempla nouella,
Nam melius noſtri ſeruarunt metra minores.

Neꝗ dubiũ eſt ipſum Terentianũ ad extremã ætatem peruenilſe, & in hoc opere condendo ita uerſari ſolitum, quaſi animum tali ſtudiorum officio recrearet, ſeniũꝗ ſuum mollioribus curis tranſigeret. De hoc Terentiano Auguſtinus etiã meminit referens illius uerſiculum de Marco Varrone:

Vir doctißimus undecunꝗ Varrò.

Quòd habuerit filium nomine Baſſum, & Nouatemũ generũ, nec facilè colligitur ex ipſis Terentiani carminibus.

CL.

CL. CLAVDIANVS ALEXANDRINVS Cap. LXXXV.

CL. Claudianus poëta inſignis, Archadij & Theodoſii tẽporibus floruit. Patria fuit Alexandrinus, nobiliſſima urbe Aegypti. Quidã Florentinũ faciũt parũ diligenter obſeruãtes ueterũ cõmentarios. Authores Græci (qui de poëta Claudiano meminerunt) Alexandrinnm appellant cui ſentẽtiæ idem author aſtipulatur, dum Nilum ſuũ uocat ut nihil prætereà dubitari poſſit, ei patriã fuiſſe Alexandriã. Ingenio excellenti fuit, maximeq́ apto ad carmẽ cõponendum: nã & aſſurgit feliciter, uarijsq́ figuris ac ſentẽtijs mirificè delectat, ut uideatur à natura ipſa inſtructus ad poëticã facultatẽ. Veriſimile eſt eũ Romæ diu uerſatũ, multasq́ Italiæ urbeis pagraſſe: quod cũ alia multa teſtant̃, tũ hi uerſus, quos de Balneis Aponi cõpoſuit. Opera illius ſatis nota ſunt, ſed præcipuã laudẽ iudicio multorũ ſibi uindicat his carminibus, qbus principes uiros ſummis laudatiõibus ſeu panegyricis extulit. De raptu Proſerpinæ libros quattuor ſcripſit, eosq́ ad Florentinũ miſit, ueluti monimentũ ſuę beniuolentię atq; optimæ uoluntatis. Nam cũ eo arctiſſima familiaritate cõiunctus uixit. Prætereo eiuſdem poëmata, epiſtolas, et epigrãmata, in qbus de Nilo, de Phœnice, de Magnete, de Chryſtallo, de Balneis Aponi, de Torpedine, de Gallicis mulabus, deq́ alijs multis aptè & elegãter carmen deſcripſit. Auguſtinus & alij ueteres plurimũ cõmendarũt ingeniũ atq; eruditionẽ Claudiani, referẽtes illius uerſus de laude & uictoria principis Theodoſii contra Eugeniũ Gallorũ regẽ: cõſtat eñ Theodoſiũ ipſum parua manu cõtra ingẽteis Barbarorũ copias dimicaſſe, cæſisq́ magna ex parte hoſtibus, clariſſima uictoria potitũ, nõ tam ſuis auſpicijs q̃ ope & præſidio obortæ tẽpeſtatis, ſæuiẽtibus uẽtis cõtra hoſtiũ aciẽ, quocirca ſic Claudianus elegãtiſſimè ſcribit:

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq; tela
Vertit in authores, & turbine reppulit haſtas
O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther.
Et coniurati ueniunt ad claſſica uenti

Idem Claudianus magna ueneratione coluit Probum, Probinum, & Olibrium uiros conſulareis. Gennadium præterea, Honorium, Stiliconem ac Mallium Theodòrum ſingulari ſtudio & incredibili diligentia proſequitur, teſtatus officium ſuum libellis à ſe cõpoſitis de illorũ laudibus. Hæc ſunt quæ de poëta Claudiano obſeruauimus. De obitu ipſius nihil apud ueteres authores legimus. De Claudiano Mamerco (qui libros de anima ſcripſit) commodè à nobis dicetur.

DECIVS AVSONIVS GALLVS Caput LXXXVI.

DEcius Auſonius, genere Gallus, patria Burdegalenſis fuit, quæ res apertè indicatur, cum locis pluribus, tum præcipuè his uerſibus:

†*Burdegallia eſt mihi natale ſolum*†
†*Vbi mitis eſt cœli clementia* †*Burdegala*

Vixit, ut conſtat, imperantibus Valentino & Valentiniano Auguſtis, quibus magnopere acceptus traditur, ob ingeniũ atq; excellentem doctrinã, ſed longè nobilior factus eſt ſub Gratiano Cæſare quem in Latinis litteris atq; honeſtis diſciplinis magna diligentia erudiuit, ut paulopòſt dicemus. Parentem habuit nomine Auſonium, profeſſione medicum, multisq; ac uarijs honoribus illuſtratũ, quod ipſe poëta Auſonius teſtatur eo carmine, quo pietatem ſuam profeſſus eſt in deplorando obitu patris. Quidam imperitiſſimè faciunt, qui ad hunc poëtam referunt, quæ ad patrem Auſonij pertinent. Cæſar Valentinianus tantũ conceſſit moribus atq; do

†*clementia cœli*
†*Mitis, ubi & rigua larga indulgentia terræ*

ctrinæ Auſonij, ut eum præcipuè delegerit inter cæteros omneis, qui Gratianum filium inſtrueret, eiuſq́ ingeniũ Latinis litteris erudiret. Quocirca maximam nobilitatem adeptus eſt, adeò ut paulomox patrocinio cæſ. Gratiani prouectus fuerit ad conſularem dignitatem, quàm honeſtiſſimis ſuffragijs, ut abundè percipitur ex illa nobili gratiarũ actione, qua imperatori optimo & diſcipulo humaniſſimo gratulatur. Permulta compoſuit & proſa oratione & carmine. Librum epigrammatum magna ex parte à Græcis poëtis acceptum, in Latinos numeros cõuertit, mira elegantia, pariq́ ingenio. Fuit eñ Græcè ac Latinè peritiſſimus. Item de his urbibus ſcripſit, quæ nobiliores atq́ clariores haberẽtur, uario, & multiplici genere carminum, ex quo poëmate quædã uel uti fragmenta adhuc leguntur. Puellam nomine Biſſulam multis carminibus celebrauit, admiratus egregiam illius formam, ſingularemq́ uenuſtatẽ. De fluuio Moſa (qui Lingonum fineis prætergrediẽs, in Rhenum influit) in quo maximam laudem (ut eſt author Symmachus) iure optimo ſibi uindicauit, ſiquidem incredibili elegãtia utitur in eo deſcribendo: Faſtorum prætereà libros abſoluit, opus magni laboris ac multarum uigiliarũ. A principio enim urbis conditæ auſpicatus eſt, continuato ordine uſq́ ad ſuum conſulatum, ut his uerſibus teſtatur:

Moſa

† *æterna*

Vrbis ab † æterno deductam rege Quirino
Annorum ſeriem cum Procule accipies
Mille annos, centumq́; & bis fluxiſſe nouenos
Conſulis Auſonij nomen aduſq́; leges.
Fors erit ut luſtrum, cum ſe cumulauerit iſtis
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

Inter amicos præcipuè habuit Tetradium Gallum, Paulinum poëtam, & Heſperium, quorum ſtudium atq́ beniuolentiam pluribus ac uarijs epiſtolis teſtat̃. Symmachus autẽ

uir

uir Conſularis, & apprimè doctus, tantum poëtæ Auſonio detulit, ut aſſertum ab eo ſit, neminem eſſe omniū mortalium, quē in officio amicitiæ illi cōpararet. Extant adhuc epiſtolæ ipſius Symmachi, uelut optimi teſtes, tam mutuæ, tāq; ſingularis inter ſe neceſſitudinis. Neq; dubiū eſt eundē Auſoniū inter Chriſtianos relatum, quod illius opera multis locis demōſtrāt. De obitu ipſius nihil certi habet̄ ex ueterū lectione: etſi quidam tradūt nonagenariū perijſſe, in quo magno errore decipiunt̄, cum id ad parentē Auſonij ꝑtineat.

DAMASVS HISPANVS *Caput* LXXXVII.

DAmaſus, natione Hiſpanus, nobili atq; clara familia ortus eſt, ut ueteres ſcribūt. Hiſdem tēporibus in urbe floruit, quibus in ſcribēda hiſtoria nobiles habiti ſunt: Paulus Oroſius, & Eutropius, qui de rebus Romanis libros plureis compoſuit. Laudatur ingeniū Damaſi atq; eruditio in faciendis carminibus, cum ab alijs multis, tum præcipuè ab Hieronymo, qui complura opera à ſe compoſita huic Damaſo dicauit. Adeò modeſtus fuit, tamq; excellenti uirtute ornatus, ut ingenti ſtudio creatus Romæ fuerit pontifex maximus, repulſis atq; improbatis illorum accuſationibus, qui nomine adulterij conabantur famam atq; innocentiā eius inſimulare. Plura de poëta Damaſo relata ſunt apud illos authores, qui de geſtis pontificum ſcribunt. Poëmata ædidit non uulgari elegantia, & hymnos complureis, ut Prudentius, Ambroſius, & alij eiuſdem ordinis authores. Item librum de Romanis pontificibus ſoluta oratione, quem ad Hieronymum miſit, eūq; liberè & amicè hortatur ad exponendam atq; illuſtrandam Hebræorum doctrinam. Putabat enim lectionem ipſam parùm quidem conferre ſine ſtilo, neq; poſſe aliquem ſatis proficere in ſtudijs litterarum, atque antiquis diſciplinis,

ſine magna ac diligenti uſu ſcribendi. Neq; deſunt qui referant ipſum Damaſum perueniſſe ad extremam ſenectutẽ ac ſub Theodoſio Aug. periſſe, cum octuageſimũ annum ageret, quod etiam Hieronymus tradit.

IVVENCVS HISPANVS *Caput* LXXXVIII.

IVuencus poëta, natione Hiſpanus, familia inſigni, maximeq; illuſtri natus eſt, ut ab Hieronymo tradit. Præcipuè floruit imperãtibus Cõſtantio & Conſtante, qua tempeſtate in eloquentia apud Latinos clari fuerũt Tiberianus, Nazarius & Flauius Vopiſcus, qui de geſtis Romanorũ principũ libros compoſuit. Inter alia poëmata quæ dicunt ab eo ædita, ſcripſit quattuor euãgelia hexametris uerſibus, qua in re maiori diligentia uſus eſt in ſeruanda rerum hiſtoria, quã in demõſtranda ingenij ſui elegantia. Idem Iuuencus aliquot hymnos fecit, quibus facilè indicauit ſe optimè meritũ de religione Chriſtiana. Neq; dubium eſt fuiſſe illum relatum inter ſacerdotes Chriſtianos, ut ueteres authores teſtantur. Diuus Hieronymus alicubi repetit Iuuenci carmina, eumq; ut eruditum & elegantem poëtam commendat.

AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS *Caput* LXXXIX.

AVrelius Prudentius Clemens, in Latinis litteris magna diligẽtia, pariq; ſtudio inſtitutus, ut Gennadius & Iſidôrus teſtantur. Quibus potiſſimũ parentibus ortus fuerit, haud ſatis mihi compertum eſt ex lectione ueterum authorum. Quidam exiſtimãt fuiſſe illum genere Hiſpanum. Primam ætatem agẽdis cauſis poſuit, & in ciuilibus officijs uerſatus eſt. Deinceps ad maiores, amplioresq; dignitates prouectus, ad præfecturam militiæ perductus eſt, ſtudijs atq; ſuffragio cæſ. Theodoſii,

quæ

quæ res ſatis intelligitur cum alijs argumẽtis, tum præcipuè
his carminibus Prudentij:

Frenos nobilium reximus urbium
Ius ciuile bonis reddimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Euectum pietas principis extulit.

Leguntur adhuc ipſius poëmata multiplici ac uario genere carminum compoſita, quibus facilè probari poteſt, eũ quidem pro cõditione temporũ maximè præſtitiſſe inter Chriſtianos poëtas, nõ modò eruditis uerborũ figuris, ſed etiam grauitate ſententiarũ Sidonius Apollinaris haud omnino cõtemnendus author, in legendis, atq; obſeruãdis antiquis ſcriptoribus, cum loquit̃ de poëta Prudentio, minimè ueritus eſt illũ Horatio adiungere. Præcipuã laudem cõſecutus eſt iudicio doctiorũ ex eo poëmate, quo proſequit̃ illorum probitatẽ atq; conſtantiã, qui ſeipſos deuouerũt pro Chriſtiana religione: cuiuſmodi ab eo celebrant̃ diuus Larentius, Vincẽtius, Romanus, Hippolytus, Caſſianus & alij cõplures. Cõmendantur præterea eiuſdem carmina, de natali domini, de geſtis & miraculis Chriſti, de expiandis animis, de conflictu uitiorum ac uirtutum. Inſectatus eſt acri animo, ac plurimis uerſibus hoſteis Chriſtiani nominis, maximeq; Symmachum uirum conſularem, cuius ſententias atq; eruditionem longo opere accuſat. Minimè autem obſcurũ eſt, eundem Prudentium perueniſſe ad ſummam ſenectutẽ, ac plurimis dignitatibus perfunctum perijſſe.

PONTIVS PAVLINVS *Caput XC.*

POntius Paulinus, nobili genere natus, inter eos poëtas refert̃, qui ſub imperio cæſ. Gratiani floruerũt, ut Fauſtus, Tetradius et Auſonius. Burdegalenſis fuit, ac in poëtica facultate, magnopere

excelluit. Quidam putarũt fuiſſe nepotem Auſonij, quod eum grata ac beniuola quadam appellatione filium nominet. Sed hoc nõ ſatis conſtat, in tam uaria, & ancipiti rerum obſcuritate. Inter alia opera, ſcriptum eſt à Paulino poëma hexametris uerſibus, de regibus ex Suetonio Tranquillo collectis, in quo maximam laudem adeptus eſt, ut ab Auſonio refertur his uerbis: Coëgiſti in epitomen treis libros Suetonij de regibus, tanta elegantia, ſolus ut uideáre conſecutus, quod contra rerum naturam eſt, breuitas ut obſcura non eſſet. Leguntur adhuc quædam ipſius Paulini carmina, in quibus mirifica eruditio, & incredibilis elegantia apparet. Idem Paulinus præclaris atq; honeſtiſſimis dignitatibus perfunctus eſt, & inter principes uiros atq; nobiliſſimos habitus. Fuit hiſdem ferme temporibus alter Paulinus pont. Nolanus, moribuſq; & ſingulari continentia clariſſimus: cuius epiſtolæ atq; epigrammata uulgò leguntur. Quidam exiſtimãt eũdem eſſe habendum, parum diligẽter conſiderantes, quantum inter ſe differant, & profeſſione uitę, & carminum elegantia.

LICENTIVS HIPPONENSIS *Caput* XCI.

Licentius poëta, natione Afer, patria Hipponẽſis fuit, quod apertè intelligitur ex epiſtolis Auguſtini, qui hunc ipſum appellat ciuem ſuum: etſi Tagaſta oppido natus eſt Auguſtinus, ut ueteres authores tradũt. Qui ſcribũt de poëta Licentio, magnopere cõmendant illius ingenium in perquirendis ueterũ diſciplinis. Cum Auguſtino uerſatus eſt ſumma familiaritate eumq; ueluti præceptorem ſuum ac parentem magna obſertione ac reuerentia coluit. Referuntur complura de hoc Licentio, cum ab alijs multis, tum à Merapio Paulino, qui plurimis carminibus eum cohortatur, ut abdicatis cæteris curis ad illu-

ad illuſtrandam Chriſti religionẽ animum referat,& Auguſtini exemplum atq; eruditionẽ proſequat. Inter cętera (quę dicunt à Licentio compoſita) hymnos & epiſtolas plureis deſcripſit, in quibus ſatis demonſtrat, quantũ teneret poëticæ ſtudio, quãq; aſſiduã operam collocaret in cõdendis poëmatis. Leguntur ipſius carmina ad Auguſtinum, quæ à noſtris grammaticis in magno precio habita ſunt, præcipueq; hi uerſus de Proteo commendantur:

Protea namq; ferunt ueterum commenta Pelaſgûm
Quę dum ſollicitis non uult aperire futura
Spumat aper, fluit unda, fremit leo, ſibilat anguis,
Captum aliquando tamen in munera parua uolucrum.

De probitate ipſius, cæteriſq; animi uirtutibus, permulta apud Auguſtinum & Poſſidonium habentur, quæ ob inſtitutam breuitatem omittimus.

VENANTIVS HONORIVS FORTVNATVS

Caput XCII.

Venantius Honorius Fortunatus, inter Chriſtianos poëtas relatus eſt, cum ingenio atq; moribus longè præſtaret. Rauennæ eruditus traditur, magnaq; diligentia in Latinis litteris inſtitutus. De hoc Fortunato referuntur permulta apud eos authores, qui de geſtis Gallorum annaleis cõpoſuerunt. Neq; deſunt qui ſcribant illum diuerſatum in Gallia, & ob egregiã eruditionem, optimumq; ingeniũ, pontificem Pictauiorum factum. Plura ac uaria operà ædidit, quibus ingenij facilitatẽ, minimeq; uulgarem doctrinam demõſtrat. Legunt adhuc eius poëmata, & hymni complures, qui magnopere cõmendati ſunt à noſtris gramaticis. Sed & liberos quattuor fecit de geſtis diui Martini, uerſibus hexametris, præfatus tali opere ſe imitari Chriſtianos poëtas, ut Alcymũ, Prudẽtium, Iuuencũ, Paulinũ, & alios plureis. Idẽ Fortunatus maximo affectu,

affectu, ſingularicꝗ beniuolẽtia proſecutus eſt Gregorium pontificem, Emphroniũ atcꝗ Felicem: ut alios omittamus. In peruetuſtis exemplaribus additum eſt nomen Clementiani, quod ab his probari poterit, qui paulò accuratius antiquitatem perſcrutari uoluerint.

FAVSTVS GALLVS Caput XCII.

Fauſtus, natione Gallus, patria Vaſſates, ut quidã referunt; alij Lugdunenſem fecerunt. Hiſdẽ temporibus in poëtica excelluit, quibus doctrina & ingenio præſtantes habiti ſunt Boëthius, Claudianus Mamercus, & Caſſiodòrus, qui à ſecretis fuit Theoderici imperatoris. Enodius & Apollinaris permultùm concedunt Fauſti poëmatis, quòd in his eruditum ſe atcꝗ ingenioſum probaret. Scripſit enim pro inſtituto Chriſtianæ profeſſionis epigrammata & hymnos de rebus ſacris, ut manifeſtò colligitur ex epiſtolis Enodij. Verſatus traditur Lugduni urbe Galliæ, quæ à Numacio Planco condita eſt, ut quidã putant, ibicꝗ maximam laudem adeptus eſt ſuæ doctrinæ. Relatum præterea eſt de hoc Fauſto, fuiſſe illũ probis moribus, & in accuſandis uitijs magna ſeueritate, quòd etiam Caſſiodòrus pluribus locis affirmat. De ipſius poëmatis atcꝗ doctrina ſic ſcriptum inuenio apud Enodium:

In ueterum morem pangit noua carmina Fauſtus
Et per membra ſuum deſecat arte melos.
Doctus ad incudem uerba infabricata referre:
Quoscꝗ facit uerſus: tercꝗ quatercꝗ probat.

Complura alia de poëta Fauſto ſcribuntur ab Enodio, quæ à nobis omittenda ſunt. De Fauſto Manicheo dicemus ſuo loco, contra quem leguntur adhuc multa uolumina ab eruditiſſimo uiro Auguſtino compoſita.

C. SOLLIVS SIDONIVS APOLLINARIS *Caput* XCIII.

C.Sollius Sidonius Apollinaris, genere Gallus
fuit. Quidam Burdegalenſem faciũt, ipſe uerò
de ſe ſcribẽs pluribus locis atq; epiſtolis Auer-
num ſe dicit. Sunt em̃ Auerni populi finitimi
Eduis inter Celtas conſtituti. Honeſtis parenti
bus, & illuſtri familia ortus eſt, Latiniſq; litteris à prima ſta-
tim ætate, magna diligentia inſtitutus. Nam ſub Flauio Nice
tio (qui per ea tẽpora excellens grãmaticus habebatur) erudi
onẽ accepit. Cumq; ingenio, & induſtria in proſequendis di
ſciplinis magnopere præſtaret, breui effecit, ut eos omneis
antecederet, qui paribus ſtudijs tenebant̃. Permulta ſcripſit,
cum ſoluta oratiõe, tũ uario genere carminũ. Libros nouem
epiſtolarum, ſecutus Plinium Secundum, ut ipſe refert, & ſi
tali opere magis ingenium probatur Sidonij, quàm iudiciũ,
ut qui peregrinum & Gallicũ redoleat, & ſimul inepta uerbo
rum affectatione ſupra modum laboret, cuiuſmodi accuſan
tur à noſtris grãmaticis Caſſiodorus, Enodius, Fulgentius,
& Claudianus, Mamercus, qui uiolata paſſim ac diſiecta Ro
mani imperij dignitate, minimè ſeruarũt. Latini ſermonis pu
ritatem. Itaq; multò maiorẽ laudem adeptus eſt ex poëmatis
hendecaſyllabis, quòd in his multùm ingenij ſit, atq; elegan
tiæ minimè uulgaris. In his quoq; panegyricis cõmendatur,
quos Antemio atq; Maioriano dicauit, uiris cõſularibus atq;
clariſſimis. Idẽ Sidonius magnopere dilexit eruditorũ inge-
nia, ſummiſq; officijs ac ſingulari humanitate fouit: ut Lam-
pridiũ, Tonantiũ, Tetradiũ, & alios plureis, quã rẽ ipſius epi
ſtolę atq; epigrãmata ſatis oſtendunt. De ſacerdotio illius, cę
teriſq; dignitatibus, nihil dicendũ uidetur, quod in pleriſq;
alijs omiſimus, qui collocati ſunt ab antiquis ſcriptoribus
inter Chriſtianos poëtas.

Admonitio operis ad eos qui legerint.

PErfecimus ad hanc diem libros quinq; de poëtis
Latinis, in quibus permultũ diligentiæ ac laboris
nobis collocatum eſt. Nihil enim ſatis dignũ me
moria effici poſſe exiſtimo, in quo parũ diligẽter
parumq; accuratè ſit elaboratum. Iuuabunt hoc inſtitutum
pernoſcendæ antiquitatis libri de grammaticis atq; oratori-
bus, qui paulomox in lucem prodituri ſunt dijs bene iuuãti
bus. Non ſum defuturus operi inchoato in aſſerendis, atq;
approbandis ſtudijs noſtris, ac ſatis quidem factum exiſti-
mo ab his hominibus, qui alioqui præclaro facinori intenti
contemnunt maliuolorum improbitatem & alienã inſcitiã
paruifaciũt, præſertim in ea re, in qua munus ſubſtineat iu-
uandæ atq; excolendæ poſteritatis. Quod equidem cũ dili-
gẽter conſidero, multò acrius atq; uigilãtius perſiſtendum
arbitror in præſidio optimarũ diſciplinarum, in quibus uni-
uerſam ætatem non ſine maxima uoluptate cõſumpſimus,
perlectis atq; obſeruatis ueterũ monimentis. Quod ſi nulla
præmia ſunt in ciuitate noſtra cõſtituta bonis ingenijs, pro
pter aduerſam rerum fortunã, & incredibilem hominũ am-
bitionem, ſpero tamen fore, ut multi gratiã aliquam ſint ha
bituri noſtris laboribus, quòd in tam ſęua conditione, ſtudi
orũ gradum ſeruaui, ac re maximè inclinata minimè deſpe-
rãdum putaui. Quod utcũq; a cceptum, extimatumq;
ſit in tam uario & ancipiti iudicio hominũ haud
equidẽ uehemẽter laboro; ſemel enim conſti
tui honeſtiorem famam præclaris ſtu-
dijs quærere, quã turpiorem quæ
ſitum malis artibus cõſectari.

LVCEIVS VERONENSIS S.D.Petro Bembo, patricio Veneto, uiro clariſſimo.

MIſit ad me ſuperioribus menſibus Cotta noſter, poëmata Petri Criniti. Cupiebam enim (ut ſcis) magnopere ea legere, nõ tantum quia permultũ delector illius ingenio, ſed quoniam ex tuis epiſtolis ſæpe intellexi, quantum præſtaret noſtris temporibus in hoc etiã genere ſcribendi, in quo perpauci (ut uidemus) æquo animo legi poſſunt, nedum commendari ab eruditis hominibus debeãt. Eſt enim ut dicitur, rara auis bonus poëta, Audio complura alia ab eodem Crinito compoſita eſſe eaq; haberi cum alibi locis multis, tum Ferrariæ apud Eſtenſeis principes. Ego uerò quia ualde faueo ingeniis noſtræ ætatis, nolui abs te deſiderari officium meum, & ob id curaui uti per eos opifices qui libros formis imprimunt diligenter atq; accuratè excuderẽtur. Neq; præterea me latet fore hoc minimè ingratum his hominibus, qui ueterũ ſtudia ſectantur, ac bonas diſciplinas colunt. Quod reliquum eſt, dabo operam quã diligentiſſimè potero, ut cæteraeiuſdem poëmata ad te perferantur, quę mihi pollicitus eſt Ioannes Cotta uir ſumma fide atq; excellenti doctrina ornatus. Vale.

PETRI CRINITI

POEMATVM LIBER

PRIMVS.

Quòd Muſis dicatus ſit, reiecta populi inſcitia.

MVſis dicatus ſemoueo procul
Vulgus prophanum, nec populi ambitus,
Aut liuor nimium procax,
In me ius ſibi uendicat
Si non decora cum chlamyde arduos
Inter receptos fulgeo principes.
Si nec gem mea pocula
Noſtris in laribus nitent.
At iure certo mi chelys aurea
Debetur olim, & per numeros graueis
Inſignis cithara deus
Me carmen tenerum docet.
Hinc peruirenti texere debitam
Lauro coronam Melpomene cupit.
Qua firmum ſtatuens decus
Vatum me referat choris.
Seu me reductis uallibus audiat
Faunus canentem candida Næuiæ
Colla & labra corallia:
Quæ me ſollicitum tenent,
Seu malim inaneis pectoris anxij
Iactare curas, & nimiùm graui
Detentum laqueo caput
Solari ad citharæ modos.
Vtcunq; doctis carminibus iuuat
Inter morari Pieridum choros

Vt uulgi imperium inſolens
Ceu dirum fugiam nefas.
Nam quis putabit maius adhuc ſcelus
Quantum nefandæ plebis inertiæ
Seruire, & petulantiam
Probroſam populi pati?
O ſancta uatum pectora, & ô meis
Certum leuamen barbite queſtubus
Quàm te ſuſcipio libens
Porrectum Idalia manu?
Tu teſtis, ut proludat amabilis
Inter uerendas Næuia uirgines
Cnm molleis choreas agit:
Et blandos repetit iocos.

De ſua æternitate ex oraculo Apollinis.

NVper ſolutus cum pharetra graui
Pæan reſumpſet fatiloquam chelyn
Occepit inter carmina dulcibus
Vocare Muſas cantibus.
Vidi per antrum (fas mihi dicere)
Paſſim moueri Pieridum choros
Heu mens recenti prætrepidat mœtu
Cum ſacra Phœbi cogito.
O quàm uerendus crinibus aureis
Ac prænitenti pectine celſior
De me Camœnis fata recluſerit
Nullis mouenda ſæculis.
Cælo receptus cum cithara breui
Cantabo uates, ſic placuit Ioui:
Dicam potentes Romulidum duces,
Dicam feroces barbaros:

Cædesq; regum ſanguine Gallico
Factas, & acri pectore Vandalos:
Addemus armis indomitos Gethas
Vireisq; Turcharum graueis.
Pridem reſolui ferrea uincula
Qui colla regum parca tenax ligat.
Vitabo felix regna Acherontica
Diramq; tartari luem.
Viſam Gelonos, & iaculo leueis
Dacos, & alti brachia Caucaſi:
Nil me mouebit degener ambitus,
Aut uana plebis gratia.
Liuore maior raptus in æthera
Luſtrabo celſas cælicolûm plagas:
Et quà refulgens Heſperium decus
Incandet alma lampade.
Non me reuinctis pallida crinibus,
Turpiq; luctu nænia defleat,
Aeuo beatus perpetuò fruar
Sæclis dicatus poſteris.

Ad Auitum exhortatio ad uirtutem.

Virtute nil felitius
Nil clarius ſol aſpicit,
Auite Muſarum decus,
Incumbe quod facis, & gradum
Virtutis erectum tene,
Nec te labores anxij
Ab inſtituto flexerint.
Abſolue totis uiribus
Quod inchoatum dixeras
Haud ille præſtat cæteris,

Qui

Qui congerendis nummulis
Impallet, argento incubans.
Virtus repulſam deſpicit,
Rideтq; uanos ambitus,
Non fluctuat uento leui,
Neç pallet ignauo metu,
Variamq; ſortis aleam
Audax inertem nuncupat.
Vbiq; uirtus imperat
Suis decora faſcibus,
Et acriter ſeruat gradum
Immota cunctis caſibus,
Ne faſtus occupet grauis:
Aut luxus incidat impudens.
Virtus honeſtat purpuram,
Fiuntq; ueri conſules:
Verumq; nomen perferunt
Vbi illa ſucceſſit comes,
Non conſul auro & purpura,
Sed conſulendo præcipit,
Recteq; patriam regens.
Inane nomen & decus,
Vanum eſt habendum protinus
Se purpuratum uendere,
Ni uirtus amplior prius
Circunſtet ipſos principes:
Ille eſt beatus omnium
Cui uirtus affuit comes.

Nænia de obitu Laurentij Medicis uiri clariſſimi ad Ioan. Picũ Mirandulã.

ET quis perpetuis conſtituet melis
Finem ullum? ut ualeam reddere me mihi.
Pridem ſepoſui dulciloquam chelym
Et blandos charitum modos.
Accedunt miſeris funera luctibus
Nec quicquam ſuperos flectere uictimis,
Fas eſt (ut uideo) ſic placitum Ioui,
Qui nutu regit omnia.
Heu noſter Medices Italiæ decus,
O Pice interijt: ueh miſero mihi.
Lugete Aonidum qui colitis ſacra:
Et qui pro ueteri fide
Virtutis precium ritè repoſcimus.
Nam quis tam rigido pectore barbarus,
Immaniq́ animo, quin uideat ſtatim
Sublatum columen bonis.
Hic ſolus patriam conſilio graui
Vndantem uarijs fluctibus extulit.
Nil diram ueritus (diſcite poſteri)
Regum ſæuitiem & dolos.
Hic ſe pro pauidis ciuibus obtulit,
Hoſtilemq́ aciem robore pectoris
Perfringens, uiridi tempora gramine
Cinxit dum ſibi non putat
Parcendum ut Latio præſidium ferat.
Heu heu quàm uolucri decipimur bono:
Incaſſumq́ pij ut qui nimio ambitu
Surdos diſtrahimus deos.
At tu mœſta nouis patria lacrymis
Indulge, nec enim cernere adhuc potes
Quantum mox miſeris ciuibus imminet

Fatorum

Fatorum grauis exitus.
  Diſiecta horriſono marmora fulmine
Templorum, & nimium dira tonitrua
Non fruſtra exitium terrificis minis.
Portendunt patrijs deis
  O fallax utinam mentiar augur, &
Non uero auſpicium carmine proferam.
Tu Pice intereà deſine conqueri,
Et parce imperio Iouis.
  Quòd ſi non alius mox aderit deus,
Extinctum Italiæ qui reparet decus:
Et phœbum cupiat ſedibus Aonum
Transferre in Latios lareis.
  Conſiſte in ueteri præſidio tamen
Virtutum, & quod habes auſpicijs tuis
Iam partum in tacito contineas ſinu:
Felix ſorte tua ſatis.
  Nam mitto tot opeis ingenij, & ſacrum
Fœcundi genium pectoris, & ſimul
Præclaris animum dotibus arduum,
Quo certum ſtatues gradum.
  Sed me ſub tenerum tempus adhuc, uelut
Surgentem uiridi robore palmitem
Cæli ſæuities inuida perculit:
Deiecitq; bonam indolem
  Sic decuſſa iacent brachia uiribus
Alliſis neq; poſt hac animo pari
Audebo ingenium tollere, nec licet,
Sperare ulterius mihi.

Ad Auitum de quiete uiuendi.

AVite ſi beatus eſſe contendis,
Supraq; cunctos otio frui certo:

Nihil timebis ultimam diem fati,
Animoq́ forti lubricam feras ſortem.
Vites potentum purpuras uelut peſtem:
Colasq́ ſemper liberum genus uitæ,
In quo uoluptas adſit, & quies mollis,
Blandi lepores, & ſodalitas grata,
Delecti amici, candidi, & fides ſimplex.
Vita eſt habenda non ſolutior luxu,
Non ſegnis, aut uexata pluribus curis:
Sed in uigenti corpore uigeant ſenſus.
Ille eſt beatus qui omnibus uacat curis,
Non alteri, nec ſibi negotium præbet.

De ſua quiete poſt multas calamitates.

SI quis in tantis hominum procellis
Inter & curas, uariosq́ caſus
Gaudet aſſertor fidei decoram
Carpere uitam.
Huius exemplum ſequar expeditus,
Et meos uitæ melioris annos
Liber ad certam referam quietem
Cultor honeſti.
Cautius poſt hac mea cymba curſum
Acta per ſyrteis, ſcopulosq́ duros
Solute, & nullos temerè inſequetur
Aquoris æſtus.
Profuit ſæuæ rabiem Charybdis
Atq́ ueſanos adiiſſe fluctus,
Gratior tandem foret ut uoluptas
Viſere portum.
Integram feſſi melius quietem
Sentiunt blandus pluuiis relictis
Redditur pæan, nitidumq́ lumen

Pan-

Pandit Olympi.
Illud imprimis ſuperos precamur,
Vita dum noſtrum comitatur æuum
In ſacris totum ut luceat Camœnis
Ponere tempus.

Monodia de laude Angeli Politiani.

SYren relicto Daunio
Quærebat ubi conſiſteret,
Diuq; uagula deuolans
Acceſſit amnem laſſulã
Arnifluentis leniter:
Et commorata ſatis, iter
Parabat incœptum ſequi.
Sed ecce dum uaga ſubuolat,
Audit repentè rem nouam,
Nouosq; numeros, & noua
Carmina canentis Angeli
Itaq; ſtatim in labra conuolat
Dulci lepore perlita
Et inquit hic libet agere,
Hic hic morabor ſedulò,
Vbi gratiæ, decor, & uenus
Tam blanditer ſimul canunt
Carmenq; fundunt aureum,
Tu nunc ualebis Daunie.

Ad Fauſtum de ſuis ſtudijs & iniquitate ſui temporis.

EXpetis ut proprias referam tibi carmine curas,
Simulq; noſtra gaudia.
Si tamẽ ulla poteſt, hoc tempore grata uoluptas
Soporem adimere ſenſibus.
Nam quid in Aonidum liceat deſcendere ſyluas
Occluſo ubiq; tramite?

Additur & noſtris hæc ætas ferrea damnis
  Qua Mars repreſſit Pallada:
Officiumq́ togæ perijt, tantum arma ſuperſunt:
  Geruntur omnia uiribus.
Iam uideo inſtructas acies in bella uocari,
  Promuntur enſes Martij.
Materiam ſcelerum ſtruimus propriumq́ nefandæ
  Ius additur libidini.
Sic hominum uita aſſiduo dum fluctuat æſtu
  Torquetur indies magis.
Nullus enim uarijs nouit præſcribere uotis
  Finem, ſed omnes fallimur.
Illum ſollicitat faſtoſæ gloria laudis,
  Hunc ambitus uexat grauis.
Ex humiliq́ aliquis nunc ſumma peroccupat audax
  Paremq́ fatis ſe putat.
Qui tamen (ut ſuperis libuit) deceptus inani
  Aura iocantis aleæ:
Præcipitem ſeſe tradens immergitur undis,
  Nec ſubleuat preſſum caput.
Aſt ego non me iſtis committam Fauſte procellis,
  Nec otio imponam meo.
Et ualeant, quibus atra fames inſederit auri.
  Sic ipſe mecum met habito:
Inq́ dies uitam ueluti moriturus in horas
  Carpo, & reſeruo me mihi.
Atq́ utinam liceat ſtudiorum attingere ſummam
  Quis docta uoui pectora.
Intereà curas ueterum tu Fauſte laborum
  Reſcribe ut altum percales.

Ad Fauſtum de ſylua Oricellaria.

OLim decorum frondibus ſacris nemus
  Mones dicandum poſteris,
In quo labores Cynthius noſter ſolet
  Doctis leuare cantibus.
Non deſit ullo tempore ſalubritas loci,
  Mitisq; cæli gratia.
Hinc ſat uidebis alta Floræ mœnia
  Et Fæſulas biuertices;
O quàm reuiſo nobilem ſyluam libens,
  Genio dicatam Palladis.
Libet uagari Fauſte per ſacrum nemus
  Dum uernat alta populus,
Et dum uirenti ſibilat pinus coma;
  Amata priſcis uatibus.
In aſtra ſurgens maximi quercus Iouis
  Protendit alta brachia,
Suberq; iuxta pumicoſo cortice
  Ramis uireſcit æmulis.
Illic & alnus blandienti gratia
  Intexit umbris gramina.
Philyraq; mollis peruenuſtis frondibus
  Procreſcit in ſyluæ decus.
Hederæ ſequaces reptitant per arbores:
  Viridiq; nexu ueſtiunt:
Et molliores mutuis amplexibus
  Vites maritantur piris
Ac dum ſubinde uinciuntur arctius,
  Tegunt amores frondibus.
O quàm uirenti fronde ſylueſcit nemus
  Cum uerna Cypris incalet.
Platanus in altum porrigit lætum caput

Aſcita ad umbræ gratiam.
Mutanſq; proprium quotannis corticem
Inter uirenteis arboreis,
Audax renidet cum iuuentam reſpicit
Velut reſurgens lætior.
Neq; hæc rigari poſtulat dulci mero,
Aut amnium Nymphas petit.
Lothos per orbem turbinat comas ſuas,
Lothos ſacrata Cynthio.
Vbi grata me dryas reuiſit,& comi
Lepore alumnum detinet.
Syluam hanc tuetur Curus,& capripes deus,
Tuentur & Satyri leues.
Iuuat uidere laureas Daphnes comas,
Floretq; cum baccis ſuis.
Illic ſtrepentes conqueruntur alites
Varioq; certant murmure.
Et interim diſcurſitant dammæ leues,
Lepuſq; ſubſilit pauens.
Proludit antris,& cuniculus ſalax,
Syluæq; cultor hinnulus:
Et hiſtrices acuminatis ſpiculis
Minantur,& tamen placent,
Seu tela uibrant ſæuiente prælio,
Seu mitiores luſitant.
Quantum propinqui floret horti amœnitas
Cum conſitis abietibus?
Seu te uirentes floreis pratis comæ
Seu cultus herbarum capit?
Vtcunq; ſit parantur illa commoda,
Quæ molliter curas fouent.
Et ô beatum, qui ſub antiqua ilice

Liuentis

Liuentis expers ambitus
Vel ſacra uatum curat, aut doctum otium
Curis ſolutior fouet.
Sic ille nil miratur æſtus principum
Nec ſceptra regum ſuſpicit.
Sed in uirenti detinetur gramine,
Et ſe reſeruat poſteris.

Ad Mariam uirginem.

O Diua celſo prædita lumine,
Quæ cuncta nutu ſidera temperas
Deſcende cælo
Nube reiecta
Adſis precanti, & Caſtalium melos
Cum thure ſacro ſuſcipias rogo,
Dum uota ſoluit
Carmine uates.
Suſcepta cælo diui parens nites,
Felixq; ducis uirgineos choros
Cui plaudit alto
Vertice Olympus.

Ad Auitum de innocentia uatum.

AEterna uatum pectora mollibus
Mulcentur auris. Nam cithara graui
Phœbus decorem Caſtalium inſtruit;
Vates uerendo pectore nobilis
Vel fata pandit aut tripodes ſacros
Grato ac perenni carmine concutit.
Non illum Auite plebis inertia
Aut inſolentes heu animi mouent:
Sed ipſe felix perpetuis bonis
Paret Camœnis, & placidam ſimul
Mentis quietem molliter occupat.
Virtuti amicus nil reliqua æſtimat.

Hunc

Audaxq́ monſtrat militi Romam ſuo:
  Et comminatur patribus.
Intorquet haſtam miles in flumen ſacrum,
  Patremq́ Tybrim deſpicit.
O priſca uirtus, ô ſenatus Romuli,
  An hæc uidetis Cæſares?
Vidi mouentem Maritos faſces Iouem
  Et annuentem barbaris.
Quantum hinc malorum, quantum adeſt incendij,
  Quantum cruoris effluet?
Pœnam rependet innocens Neapolis,
  Virtutis immemor ſuæ.
Et occidet Aragoniæ clarum decus,
  Sic Mars cruentus imperat,
Qui nunc feroces Galliæ turmas fouet,
  Ridens inerteis Italos.
Graue eſt uidere Fauſte, quæ fata imperant,
  Veh tibi, caue Neapolis.

De Morando Hetruſco luctore cum Gallo.

Vocatus à Gallo Morandus ad luctam
Primùm modeſtè congredi recuſauit.
Sed poſtquàm inertẽ hũc nominat furens Gallus
Illic reſumens priſtinum ferox robur
Hetruſca uirtus conſtitit gradu firmo:
Simul renudat horrida atq́ ſetoſa,
Membra ualentia latera atq́ compacta:
Et pondus ingens grandium lacertorum,
Firmumq́ robur, & acre pectoris uaſti.
Mox in palæſtram prodeunt minabundi.
Sed ubi uiciſſim nexibus cathenatis
Accenſa uirtus excitauit ad palmam.
Subin Morandus comprimit reluctantem,

Vaſtaq́; mole pectoris ſuperſtantis
Recuruat ille inflexa colla contorquens
Et uicta brachia implicans. Iners robur
Luctante nixu dum nouare contendit
Victor Morandus, urget ac ſtatim Gallus
Latè per antrum ſternitur ſupinatus.

De ſuo amore in Glyceren ex poëta Anacreonte.

DVm ſacrum Paphiæ deæ
Sertis cum roſeis paro,
Et inter uiolas ſimul
Nectuntur candida lilia.
Raptim cum tremula face,
Atrox Idaliæ puer
In me ſæuius inſilit:
Et in præcordia ueh mihi.
Illapſus fremit & procax
Me flammis agitat ſuis:
Quo ſemper Glyceren bonam
Veſanis ignibus ardeam.

Nænia de obitu poëtæ Maruli Bizantij.

AIn periſſe maximum uatem meum?
Num uera Philon nuncias,
Quid audio, quis auſus, indignum ſcelus,
Nobis Marulle te abſtulit?
O ludicram ſpem uitæ, & ô dementiam
Mortalis impotentiæ;
Vt falſi inani detinemur gaudio:
Vanasq́; iactamus preces.
Sed ô deorum imperium, & ô neceſſitas
Quæ ludis humanum genus:
Celſi tonantis inſidens capite altius,
Superba uinclis æneis

Quæ

Quæ cuncta nectis, & potenti dextera
Noſtrum repellis ambitum:
En ipſe cum meis repulſus uictimis
Falſo Marulle dixeram:
Viues beatos atque candidos dies.
Viues fauente Cynthio.
Sed ô ſacrum pectus quis ille undantibus
Te Cæcinæ lymphis dedit?
Quis ille noſtris obſtitit uotis deus.
Contraque tot meas preces
Audax negauit te mihi ſuperſtitem?
O nullibi certam fidem:
An diua Nape filia potens Cæcinæ
Marulle te mihi abſtulit,
Numerosque nobileis & entheum melos
Dicauit undis gemmeis?
Sic te Marulle deſeris dulcem chelyn
Vatumque carmen aureum?
Quis inter aptus gratias atque ueneres
Docte Camœnas inſeret?
Quis nunc deorum laudem & omnigenum decus
Cæleſtis aulæ concinet?
Quis fronde ſacra cinxerit crineis ſuos,
Regemque dicit maximum?
Sed fruſtra inerti lacrymamus Næniа
Quod arripit fatum potens.

De laude Fr. Gonzagæ principis illuſtriſſimi Mantuani cum ad Tarrum, contra Gallos dimicauit.

QVis beato carmine tam potens,
Tantumque clara nobilis indole,
Aut dote rara polleat ingeni,
Vt hoc egregium decus

Cantare Italidum queat?
Qui nuper audax uindice dextera,
Horrenda uictor reppulit agmina
Gallorum, & idem reddidit Italis
Antiquum imperium atq; opeis.
Salue ô preſidium & ſalus,
Tu ſolus author Barbariam luem
Viſendus acri ferreus agmine
Repreſti, & inter mille cadentium
Cædes, horrificas uirûm
Virtutis retines decus.
Tu præpotentis gloria Mantuæ,
Tarrum cruentas cæde potentior
Ferrata ſæuæ robora Galliæ
Perrumpens ſimul impetu
Obtruncas aciem hoſtium.
Non aliter atrox diruit in Gethas
Gradiuus olim, cum clypeo graui
Oppreſſa Thracum fortia pectora
Contriuit miſeris modis,
Seſe conſtituens deum.
Sic tu receptis arduus Italis
Vindex nefandi uincula ſeruit
Iniecta rupis, nec pateris tuos
Fidentes malè Barbaris
Seruire imperio truci.
Hinc promerenti populifer Padus
Illapſus undis ſuauè uirentibus
Geſtit perenneis reddere gratias,
Et gramen tenerum ferens
Acclinat capiti ſacro.
Porgunt & Alpes candida brachia,

Poſſint

Poſſint ut alto uertice clarius
Summum tueri præſidium Auſonum:
Quo ſtat militiæ gradus,
Et firmum columen ſuis.
Lætare tanto Mantua principe:
Et dic quieſcam ſub clypeo Iouis
Donec licebit cernere ſoſpitem,
Qui ſigna & ueteres opeis
Deuictæ Italiæ refert.

Carmen Chariſticon ad Eridanum fluuium pro recepta ſalute cum in eum decidiſſet.

HVc affer Hile uictimas ſacris lectas,
Paritercp thure a munera, & feſtas dapeis
Paremdicatum ſalubribus diem Nymphis:
Sanctecp colere maximum Padi numen.
Eridane ſalus, fluminum omnium princeps.
Nam te decoris & fluentibus Nymphis,
Velut parentem cæteri colunt amnes.
En cape dicatas ritè uictimas, uates
Quas pro recepta tibi ſalute perſoluit.
Tu me cadentem mollibus tuis ulnis
Excepſti, & altis ſubleuas aquis merſum:
Madidacp ueſte preſſum, in herbidis ripis
Ac præuirenti reddis in ſolo tutum.
Salue bicornis alme Eridane, quem Phœbus
Sub lucè clarè genuit inclytis undis.
Tu cernis alto uertice Heſperi ſedem,
Soluſcp luſtras ditia Auſonum regna
Tot nobileis urbeis, tot arduos monteis,
Et tot perenneis amnium ſimul Nymphas,
Decore grato, & commodis tuis ornas.
Quid hic uirentia nemora, & uagos ſaltus,

Fonteiſq; dicam, & prata florea & colles?
Qui prominentes accolunt tuum numen
O quot perenni ſemine generas natos,
Qui te parente nobiles magis ſurgunt,
Proculq; uarias Italûm uident genteis?
  Quantum renidet luſitans pecus lætum
Cum paſſim amœnis peruagatur in ripis,
Vt ueſperi laboris optimi munus,
Diſtenta portet ubera ad pium quæſtum.
Argenteo piſces colore fulgentes:
Per blandientis fluminis natant undas.
  Illic gregatim congruunt Scari molles,
Qui præpotentum dapſileis ſtruunt cœnas,
Et ponderoſi confluunt aquis Mulli.
Lupuſq; ſaltim ludit, & celer Mugil,
Quid hic minores piſcium greges dicam,
Et agminatim promicantibus ſquamis,
Inter fluentes lubricum pecus riuos?
  Vndoſa Nais te accipit ſinu blando,
Varioq; cantu, aura fauente permulcet
Totum lytea molliter tibi ſternit:
Multoq; flore lubricum caput ſpargit,
Et inter herbas prænitentibus Nymphis
Iungit uirentia ſuauiter tibi labra.
Tu iure medium lumen obtines cæli
Et inter aſtra fulgidum nites ſidus.

Monodia de Fortuna & eius uiribus.

Fortuna pollens imperio graui
In quemq; ſummis prædita uiribus
Ceu nimbus alto proditus à Ioue
Faſtum potenti deijcit impetu:
Regumq; turreis pro nihilo facit.

Ludit procaci ſæuitia,ut lubet:
Humana miſcens inſtabili ioco,
Et nunc probatos improbat impudens,
Extollit audax obſequio leui
Tardos,inerteis,& fatuos ſimul.
Fortuna celſo uertice prominens,
Sublimis alto conſtitit æthere:
Et cuncta ponens ſub pedibus ſacris,
Extrema primis percupide implicat.
Et prima rurſus uerſat in ultima.
Non lege certa conuariat gradum,
Nullꝙ́i ſeruat pollicitam fidem:
Sed urget omneis dira neceſſitas;
Nodoꝙ́ ſtringens irreſolubili
Nectit cathenam fati adamantinam.
Hanc nullus unquam diſſoluit ſatis,
Torquentur omnes ſub laqueo truci.
Magisꝙ́ fortes,fortius opprimit:
Qui ſe extimarunt libera cernere
Deuincta ſæuis pectora uinculis.

De Lacone ſaucio ex Græco.

LAcon relicta parmula
Cum ſe uideret ſaucium
Cedentibus paſſim ſuis
Cruentus in bellum redit
Cyclopeoꝙ́ adepto nobilis,
Inclamat ad ſuos ſtatim
Adeſte,quò decurritis?
Non ſunt timenda uulnera,
Præſtat mori,quàm cedere.

De Ludouico Sfortia principe clariſſimo: qui proditus eſt per Heluetios.

Olim uigebat Sfortiadum genus,
Et præpotenti milite nobilis
Princeps & aſtu, & conſilio fuit.
Qui nunc Heluetium dolis,
Vinctus nefanda compede proh pudor
Nequicquàm inerteis aduocat Inſubreis.
Vt impudenter perfidus Allobrox,
Stringendum dedit hoſtibus.
An hæc ſacratæ fœdera dexteræ.
Quid iura belli ſancta refringitis?
O non ferendum flagitium inſolens,
Quid culpam ſceleri additis?
Non hoc decebat martia pectora,
Sed tuta nuſquam eſt heu miſeris fides.
Fortuna certis neſcia uiribus,
Tutari ueterem gradum.
Cur tam procaci lubrica gaudio,
Geſtis potentum uota repellere,
Et celſa diro concutis impetu,
Ne uirtus nimium ſibi
Confidat: aut iactet proprium bonum,
Siquando ſummis pollet honoribus.
Tu nunc cathenas Sfortia principum
Immortale decus teris.
Circunligarunt undiq; barbara
Nodis reuinctum uincla tenacibus,
Ne poſſit ullo tempore liberum
Monſtrare Italiæ caput.

Monodia de choro Sybaritico ex Græco.

Hac uirtus Sybaritica
Per molleis choreas uago

Saltatu

Saltatu,& tremulis modis
Exercere iuuentam
  Gradiuus ualeat furens
Non hic horrida timpana,
Non uultu Cicones truci,aut
Sæuis Biſtones armis.
  Sed læti atq; hilares ioci;
Et molles ueneres ſimul
Inter delitias fluant,
Grato non ſine luxu.
  Sic poſcit Veneris calor
Dum noſter Genius uiget
Et blandas Charites refert:
Dulceis iungite amores.
  Carpamus celerem diem,
Dum uitæ breuitas monet,
Et cantus teneri uocant;
Nil ſub ſole perennat.
Hic multùm ſapiet ſibi,
Qui magnos calices rapit
Vndantes ueteri mero,
Et ſe proluit auro.
Iam nunc ô comites boni
Inter grauida pocula
Certemus Venerem ſequi &
Dulceis promere fructus.

Ad Bernardum Carapham de malis atq; calamitate Neapolis.

MIttantur ueteres tot quærimoniæ
Carapha,& lacrymis pone modum tuis,
Indulſti patriæ,dum licuit ſatis.
Sed fruſtra ſuperos uocas.
Nam ſatis trahimur,fata Neapolim

Vexari miſeris cladibus imperant,
Et duo pariter ſeruitio premi,
Donec non alium queat
Regem Parthenope cernere maximum
Qui clarum proprijs nomen honoribus,
Sublimis liquidum tollat in æthera
Et fimum reparet decus.
Id quando acciderit, non ſatis audeo
Effari, ſiquidem non clarius mihi
Per ſacros tripodes certa refert deus:
Nec ſeruat penitus fidem.
Quod ſi quid liceat credere adhuc tamen,
Nam læuum tonuit, non fuerit procul
Quærendus celebri qui properet gradu
Et Gallum reprimat ferox.

Monodia de laude Horatij Flacci poëtæ.

FLacce qui cantu nimium beato
Surgis, & molles teneris labellis
Dulce perfundis numeros, & aptè
Camina nectis:
Trade nunc primùm cytharam petenti
Quam tibi uates meritò ſacrauit,
Filius ſummi Iouis, & ſoluto
Crine decorus.
Namq; tu doctis Charitas Camœnis
Iungis, & flauos peramica crineis
Colla delapſos Glyceres in alta
Sidera tollis,
Siue tu Martis clypeum potentis
Verſibus ſæuos referens Sicambros
Dicis, & claras acies Gelonum &
Cæſaris arma.

Siue

Siue Cyræos nemoroſa ſaltus
Rura perluſtras, tenueisq́ lymphas
Tiburis captas, ſimul & uirentis
Gramina campi.
Liber exultas modulante plectro
Daulias qualis uiridi ſub antro
Conſpicit Phœbum, tenerosq́ mulcet
Aethera cantu.
Siue crateras ueteri Lyæo
Impari ſumis numero, & puellas
Inter & poſcis iuuenes proteruo
Ludere riſu:
Siue tu maius Satyros procaces,
Furta cum lætis agitare Nymphis,
Dum Venus dulci ſuperante ludo
Spirat amores.
Blanda felicem, leuat aura uatem
Siue perluſtrat Phaëthonta magnum,
Siue depreſſum uolitat per orbem
Præpete lapſu.
Nunc Iouis claros memoras triumphos
Et uagum Maia genitum per aſtra
Ritè labentem ſtatuis decorum:
Laude perenni.
Sic per immenſi caua templa cæli
Vectus audaci recreas Thalia
Cuncta, & inſanos Veneris calores
Carmine mulces.

Ad ſe ipſum de perfidia Neæræ.

CRinite tandem cum tuo mala prudens
Satis, ſuperq́ te Neæra decepit
Amata nobis, ut nihil magis poſſet.

Sed pone demum,pone tot malis finem:
Et quod periuit,perditum quidem ducas.
Sic ipſa forſan mihi Neæra, quæ tantum
Inſedit olim,protinus relabetur.
Ergo ualebis ô Neæra, non digna
Tam certo amore,tamq́; nobili cura:
Puella perfida,inſolens, & ingrata.
Vale,uale inquam & alterum ut lubet ſume.
Tu perfer,obdura, obſtinatam habe mentem,
Reſiſte prorſus,& animi tui robur
Confirma,ut æquum & alma poſtulat uirtus.
Non cernis ut complura te cohortantur,
Et indies magis,magiſq́; te cogunt.
Vt æquitatem,& optimos colas mores.
Quo iure poſſis approbare te cunctis?

Finis libri primi

PETRI CRINITI
POEMATVM LIBER SECVNDVS.

Ad Ferrandum Aragonium Neapolis & Siciliæ regem inuictiſſ.

PRinceps choruſca lampade clarior,
Quem præpotentes Heſperiæ duces,
Et purpurati Romulidum patres
Ad iura imperij uocant.
Hinc ritè ſupplex te Calaber petit,
Et uota lectis concipit hoſtijs
Sacras ad aras,ut ſibi te dei
Seruare incolumen uelint.

Hinc te ſupremus uiſere pontifex,
Omniſq; latè Lydia,& Appulus
Et deſtitutæ regna Neapolis,
Vnum te reuocant ſibi.
Quid differendo protrahis,& moras
Innectis ultra? quin age dum eſſedum
Inſcende felix, nec pudeat ſemel
Diuorum imperium ſequi.
Sunt plura,quæ te perpetuò monent:
Ne derelictam Parthenopen uelis.
Quæ te regente,& ſoſpite,non timet
Prælongas Venetum manus.
Nam tot procellis,tam uarijs malis
Vexata,tandem ceu ſibi redditum
Cælo parentem,& præſidium deis
Grates innumeras agit.
Nil differendum,quod ſuperis placet
Non fruſtra inertes concilio Iouis
Arcentur,& primùm adfore tempori
Virtutis precium fuit.
Abſolue tandem,namq; per Auſones
Et per uagantis gramina Lyridis
Latè patebit certum iter,& tuis
Iam ceptis Latium fauet.
Vulturnus undis lene fluentibus
Tollit decorum cæruleus caput,
Et longa ſupplex brachia porrigit
Antiquum repetens decus.
Olim tuetur te ſuperûm pater,
Sacroſq; crineis caſſide martia
Fecit uerendos,& triplici ſimul
Armauit clypeo latus.

Pridem cathenis ſubdita ferreis
Fortuna uotis obſequitur tuis.
Idemq́ certis ſidera motibus
Portendunt penitus tibi.
Virtute tantum conficies tua,
Quantum nec alter milite maximo
Perficit unquam, te populi optimæ
Cuſtodem fidei colunt.
Tu ſigna Mauris rapta minantibus
Ferrande regum uictor Hibericas
Refers ad undas, hinc meritis adeſt
Immortale decus tuis.
Per te nefandæ frena libidini
Iniecta quondam ſacrilegum genus,
Bethis reſumptis legibus impiam
Euaſit ueterem luem.
Et uera ſenſim numine cælitum
Iam ritè diſcens, conſtituit pari
Nexu reuinci iuſtitiam & fidem:
Conſtantiq́ animo tenet.
Te uidit atrox fulmina Cantaber
Torquentem, & ictu mœnia barbaræ
Confracta gentis, nam tibi pro ſacris
Pugnanti ſuperi fauent.
Per te reſurgit gens Aragonia,
Tu ſolus aucta per numeros ſuos
Virute princeps in ſuperas plagas
Aſcenſum facilem paras.
Vnus ſuperſtas maximè principum
Vindex futurus, numine qui tuo
Chriſti cadentem militiam regas:
Et pacem Italiæ feras.

Maiora uirtus auſpicijs tuis
Molitur ô rex inclyte: nam tibi
Nil denegatum, ſic pietas meret
Et rarum fidei decus.
Tu perge felix, quò ſuperi uocant:
Ferrande, & olim rapta fauentibus
Tot ſigna fatis dent animos tibi
Firmandi patrios deos.

Ad Marullum Bizantium de imagine & portento auaritiæ.

NVper Feſuleis (ut ſoleo) iugis
Mentem Lesbiaco carmine molliter
Solari libuit, mox teneram chelym
Mixto ſub uiridi depoſui, & gradum
Placuit ad urbem flectere.
Qua noſter Medices, Pieridum parens
Marulle, hoſpitium dulce tibi exhibet:
Ac te perpetuis muneribus fouens,
Phœbum non patitur tela reſumere,
Laurens Camœnarum decus.
Dumq; amnem meditor uiſere patrium,
Qui Floram tenui proluit ambitu,
Ecce horrenda oculis heu facies meis
Raptim fumifico deſiliens ſpecu,
Immane monſtrum conſtitit.
Cui ſunt & manus & pectus ahenea
Et diris colubris implicitum caput,
Frons humana tamen lurida buxeo,
Pallore, & maculis ſquallida liuidis
Monſtrabat inſitam famem.
Tunc primùm pauido dirigui metu:
Et mens attonitis torpida ſenſibus.

Vnde

Vnde hæc obſtupuit tanta lues foret,
Quæ ſic tabificis noxia ſordibus,
Vrbes & agros inficit.
Sed mox cum licuit cernere clarius,
Et dirum uideo prodigij ſcelus.
Agnoui cupidis implicitum uiris
Monſtrum, qui miſera ſolliciti fame
Nil præter aurum cogitant.

De Laude Conſalui Ferrandi in uictoria Lyriana contra Gallos.

Quis repoſti pocula Liberi
Depromit? aut quis nunc mihi uictimas
Cum thure ſacro ritè puer parat,
Inſignem ut referam diem,
Quo dux uigenti milite maximus,
Lyrim refuſo ſanguine Galliæ,
Vidit tumentem, geſſeq; ſupplici
Porrecta in medium manu?
Heu quanta paſſim funera nobilem
Lucem ſacrarunt, qua tibi maxima
Ferrande laus, & perpetuum decus
Partum eſt auſpicijs tuis.
Tu macte princeps conſilio graui,
Frenum receptis uiribus inijcis,
Galloſq; & aſtu, & uiribus occupans
Hoſtilem ſuperas manum.
Victor & urges, teſtis adeſt cruor:
Teſtiſq; & omnis Gallia, dum tuum
Mirata forti pectore militem,
Hiſpanum ſubijt iugum.
Quantus triumphus, quæ ſtatuæ tibi
Debentur? ô ſi nunc meritas queam
Cantare laudes principis, & pareis

Aptare ad numeros chelym.
  Sic eſt, uolenti nihil homini arduum.
Quem firma uirtus extulit, inuium
Nullum relictum eſt ingenijs iter,
Quis cælum petere eſt datum.
  Ferrandus armis, & ſapientia
Præclarus, ut qui Marte potens acri
Deiecit arceis funditus, & ſibi
Aeternum ſtatuit decus.
  Non antè quiſquam tam celeri gradu
Oppreſſit hoſtem uictor, & impiger
Munita certis oppida uiribus
Aſtu perdomuit ſuo.

Ad Phoſphorum contra inſolentiam principum.

QVicunq; in aſtra tendit, & ſequi uelit
  Virgam decoris aurei;
Declinet aulam, & æſtuanteis purpuras:
  Frontem tyranni deſpuat.
Quid tam ſceleſtum, quin ſibi arroget impudens
  Libido nequam principum?
Non ſentis impotentis ut faſtus animi
  In quemq; ſæuit optimum.
Extollit audax perditam uecordiam:
  Fouetq; primum noxios.
At obſoleto mœret indignum nefas
  Vbiq; uirtus pallio:
Et in remoto deliteſcens angulo,
  Modeſta ſecum muſſitat.
O ludicram ſpem uitæ ó dementiam
  Mortalis impudentiæ,
Vixi tot annos alea infelix graui
  Nec datur adhuc quies malis,

Quid contra inermem comminaris acrius,
Inanis eſt uictoria?
Gradum tuebar hactenus pro uiribus
Non immemor natalium.
Satis ſuperq; conſtat exemplis meis
Quantum tibi nunc arroges.
Sic acta fatis uirtus aduerſantibus
Animo reſiſtit arduo,
Et obſtinata mente, defendit gradum,
Neſcitq; uicta cedere.
Ego interim Phoſphore quietus uixero,
Miſerq; dicar, non reus.

Ad Angelum Cyprium. quòd in lyricis canendis præſtet.

DVm ſacris uigilas Palladis, & tuam
Illuſtrem repetis chelym.
Inter Pieridum choros
Quis te nobilius canit?
Nil miramur enim ſi ueteres Cyprus
Igneis, ac teneras ſimul
Per te nequitias refert:
Cui ſe tota Venus dedit.
Amiſſum reuocas Caſtalium decus,
Nec te carmine Lesbio
Sabina exuperat fides,
Seu cantas tenerum melos:
Seu te detineat Nænia funebris,
Mirum eſt, quàm facilis fluat
Inter delitias lepor:
Et ſint ad Genium omnia.
Seu tu floriferam concelebras Paphum:
In qua ſæpe hedera ſacros

Dum

Dum ludit pedibus Dryas:
Crineis præuiridi ligat.
Tu reddis Veneria percalidum bonæ
Suaui ceſton amaraco.
Quo tactus ſuperûm pater
Formas omnigenas ſubit.

Ad Bernhardum Carapham Neapolitanum.

O Me beatum, qui æſtuantis æquoris
Tantos peregi turbines,
Qui diſſidentibus tot auſtris cymbulam
Non penitus infregi meam.
Non Scylla, non Charybdis hactenus minax
Me mouit uſquam de gradu,
Sed ipſa uitæ ratio & antiquum decus,
Mentem excitauit acrius.
Defleuit olim, meq; præreptum ſibi
Teſtata Syren queſtubus,
Sic ipſe tandem mille poſt curas graueis,
Ac tot peracta incommoda,
Te præmonente Palladis munus ſacrum
Summis capeſſam uiribus.
Tu me Carapha ſuſcipis molli ſinu,
Doctisq; mulces cantibus.
Debemus ergo muneri pareis tuo
Laudes & æquè gratias.

De uirtute Ioannis Andreæ Lamponiani tyrannicidæ.

PArabat olim ſacra Bruti manibus
Antiqua uirtus Italûm,
Ac fortè lectam dum rependit hoſtiam
Marti dicatam uindici.
Frontem retorſit illico ad acreis Inſubreis
Mirata fortem dexteram,

Aaa 5 Quid

Quid (inquit) hoc tandem uideo? quo euocor?
  Valete Brutorum ſacra.
Hic noſter eſt alumnus, ô certum decus
  Vindex nefandi criminis.
Qui tam cruento acinace ferox indicat
  Sparſum tyranni ſanguinem.
Vt ſpirat audax in tyrannicum ſcelus?
  Verè eſt alumnus hic meus.
Aliæ hoſtiæ, nouæ parentur uictimæ,
  Quis alta ſurgat indoles.
Quod ſiquis improbos tyrannos eijcit
  Aut odit inſolentiam,
Litare debet mecum, & hanc lucem ſacram
  Seruare centum uictimis.

Ad Phoſphorum de fugiendis malis, quæ in amore ſunt.

AMoris æſtus atq; amantum inſaniam
  Siquis ſequatur Phoſphore:
Idemq́; dicat eſſe multò gratius
  Amore captum uiuere.
O quàm nefaſto ludibundus poculo
  Senſim uenenum concipit?
Quietis expers anxiam mentem gerit,
  Et ardet ambitu leui.
Nunc plenus aura uota deſpectat ſua:
  Falſoq́; trahitur gaudio
Nunc inſoleus contemnit infameis notas:
  Aut pallet ignauo metu:
Vel impudenti contumax audacia
  In omne proruit ſcelus:
Non feruet æquè ſub Sicanis montibus
  Vaſto receptus in ſpecu

Gigas

Gigas nigrantes horridus flammas uomens,
Quàm amantis æſtuat animus:
Et huc, & illuc peſte ſuccenſus graui
Inclamat heu diras faces.
Vt ardeo infelix, ut in præcordia
Deſæuit hoc incendium.
Ego nefandis liberum caput malis
Nobis tuendum Phoſphore.

Ad Thomam Fuſcum de malis & incommodis ſuæ ætatis.

DVm mecum repeto, quàm fuerit grauis
Fortuna Italidum, & quàm uarius cruor
Infecit miſeris cædibus Auſones:
Heu mens, atq; animi cadunt.
Exactum uideo Fuſce decennium:
Quo Martis fragor, & diſſidium potens
Vexauit Latium, ſic ſtudium mali
Excreuit magis in dies.
At nos Pieridum (quos retinet decus:
Et mollis tenerum carmen inertiæ)
Nil ultra facileis credimus affore:
Inceptis grauibus deos.
Nam cui tam rigidum eſt pectoris ænei
Robur, quin pauidis ſenſibus excidat
Dum tantam uideat diluuiem, & truces
Inſtare Italiæ duces?
Atrox ſanguineam ſubſtulit ægida
Bellona, & celeri uecta petorrito
Inſtruxit Morinum in prælia militem
Præditis agitans minis.
Heu heu iam ſtrepitus claſſica Barbari:
Et iuncta horriſonis timpana cornibus

Ad cædem uariam ſæuius intonant.
O quantus cruor effluet?
  Quantum Mars Gethico ſæuiet impetu,
Inter mille neces:namq; ualentibus
Pugnabunt acies undiq; dexteris,
Nec fortem referent gradum.
  Implebunt Latium ſanguine Martio
Reges Heſperij, ſic libitum Ioui,
Qui diram imperio non reuocabili
Fatorum ſeriem trahit.

Ad Marullum Bizantium de improba mordacitate Zoyli tardipedis.

ADhuc Marulle tardipes meus uiget,
  Nec ponit improbas minas.
Liueſcit uſq;quaq; & impudentius
  In quemq; ſæuit æſtuans
Superbienti timidus inſolentia
  Deſpectat humanum genus
Omneſq; liuidis inurens morſibus
  Vbiq; uirus proijcit.
Non parcit ullis,& uocari Zoylum
  Lætatur infandum ſcelus.
Et quod minus ferendum, ut olim dixeras
  Ceu trimulus puer ſapit.
Idem retorto crure tardipes meus
  Turpiq; facie fœdior,
Satis nefandi pectoris luxum grauem,
  Et impiam mentem probat.
Hæc peſtis eſt Marulle noſtri ſæculi
  Non illa,quam procul fugis,
Licet relinquas patrios demum lares,
  Aut Galliam tuam petas.

Seu

Seu te per undas Rindacus uidet ſuas
Vbiq; te tamen occupat.

Ad Paulum Candidum de mutua beniuolentia.

NOndum Pieridum ritè canens melos
Aptabam fidibus barbiton aureum,
Cum tu Paule tuis blandiloquens modis
Doctam ſollicitas chelym.
Nec fers me nimia ſegnitie uagum,
Culpam nequitiæ iungere deſidi,
Quin ultro reuocans ingenium potens
Admota extimulas face.
Ergo Lesbiacis ad cytharam modis
Concordem referam nunc Genium tibi:
Iunctamq; unanimis pectoribus fidem
Quam nulla imminuet dies:
Non ſors aſperior rebus in arduis,
Non liuentis iners inuidiæ fames
E certo poterit uellere eam gradu.
Sed firmam ſtatuet magis.
Felix ille nimis, nec ſuperis minor,
Cui tantum liceat carpere commodi
Aeternumq; bonum: nam quid adhuc datur
Sperari melius fide?
Non hæc iura animi fallere cogitat,
Nec uult officijs cedere maximis,
Sed certum columen protinus aſtruens
Nil non perficiet libens.
Sic nos dum liceat ritè fidem ſequi,
Condignasq; refert certus amor uices
Tam ſacra ingenij fœdera candidi
Seruemus facili deo,

Ad

Ad P. Miſenatem Patritium Venetum.

Salue ô præſidium meum perenne
Miſenas Veneti decus ſenatus:
Cui dulcis tenero lepore Syren
Frequens mollibus inſidet labellis
Quid agunt ueteres mei ſodales
Facunda Aoniæ cohors Mineruæ?
Aldus, Phoſphorus, & comis Nouatus.
Quid Bembus lepido diſertus ore?
An rem nunc Venetam probus gerendo
Præclari ſuperat gradum parentis,
An blandas Charites in antra ducit?
Et dulceis pariter mouet Camœnas:
Quid Fuſcus? Placidusq́ Donnulusq́?
An illos agitat ferus Cupido?
Et dum per teneros ſubinde ſenſus
Proſerpit tacitæ libido flammæ
Mendaci nimium trahuntur auræ?
Reſcribas mihi num bene ac beatè
Cum ſuis ualeant ſatis puellis.
Ego autem ut potero hinc pedem mouebo:
Omneis ut pariter meos reuiſam,
Qui paſſim Venetis fouentur undis.
Iam libet facilem parare dextram
Qua certam penitus fidem rependam:
Et per ſuauia mille mutuosq́
Complexus ualeam uicem referre.

Nænia de obitu Ioannis Pici Mirandulæ uiri clariſſimi.

Dum finem aſſiduis ponere lacrymis
Sperabam, & miſeris reddere ſenſibus
Tandem præſidium, ecce aliud heu nouis
Creſcit funeribus malum.

Nondum

Nondum præteritæ uulnus inaruit
Fortunæ;en iterum næniа lugubres
Depoſcit numeros,nec ſpacium datur
Solandi miſerum caput.
Expectanda dies ſcilicet omnibus,
Qua filum digitis inuida ferreis
Perſcindat Lacheſis namq; perenniter
Humano generi dolos
Mollitur,neq; uitam meritis refert.
Sic eſt cum tremuli ſeſe oculi exerunt
Primæuamq; auidi percipiunt diem:
Tum ſanè incipimus mori.
Et quid tantopere,aut tam cupimus diu,
Quin ultro pudeat:quod ſemel aſſequi
Permiſſum fuerit,non minimùm facit
Qui fatum ſequitur uolens.
Hic ſe tabifico liberat ambitu
Viuendi,& facili pectore in ultimum
Seruat ſe interitum,nata etenim omnia
Naturæ imperio cadunt.
Sic tu Palladiæ dum ſapientiæ
O Pice inuigilas,& pariter cupis
Intento nimium pectore conſequi
Virtutis precium bonæ:
Florentem uiridi deſeris indolem
Aetate,& ſuperos ante diem petis.
At me triſtities,& lacrymæ graues
Poſthac perpetuò manent.

Iambicum carmen contra uiperam

VBi eſt peruſtæ frontis impudens ſcelus?
Vbi retorrido colore uipera?
An ſic inertem concipit tandem fugam,

Incipient,longeq́ꝫ graui torquere lacerto
Spicula,& audaci fortes confligere bello.
Ergo agite,ô pueri melius ſperare licebit
Si modo adoptatam dabitur creuiſſe iuuentam.

Iuuenes

Viuimus ô iuuenes iuuat his florentibus annis
Viuere,& in cunctis animos præbere uigentes.
Nunc licet egregios uitæ decerpere fructus,
Et pariter claris uirtutem extendere geſtis.
Mox dabitur tempus,cum iam langueſcere uires
Incipient,tremulisq́ꝫ cadent membra omnia nerui
Ergo agite ô iuuenes præſentia carpite uitæ
Munera,& ætatem penitus ſeruate uirilem.

Senes.

Viximus inſignes olim,dum tempora robur
Auxerunt,ſimul atqꝫ animi uiguere potentes,
Nunc ſenio affecti,uix languida membra mouemus;
Nec licet infirmos quicquàm ſperare per annos.
Non procul à miſeris ſenibus mors imminet atra;
Nec etenim cunctos æquatis uiribus urget.
Ergo agite intereà funeſtas pellite curas:
Et ſenium aprica foueamus molliter aura.

Ad Ianum Sotherinum de fugienda deſidia.

O Iane Aonium qui retines decus:
Et uirtute animi atqꝫ egregia indole
Præſtas,& proprijs ſurgere honoribus
Condignum reputas tibi.
Hoc te præcipuè commonitum uelim,
Vt turpem caueas deſidiam,& procul
Molleis illecebras,& uarios dolos
Ceu dirum fugias nefas.
Nil mortale genus tam grauiter premit,

Nec tantum miſeris urbibus obfuit,
Quantum degeneris torpor inertiæ,
Ac luxus nimium fluens.
Rex olim Aſſyrius dum muliebriter
Seruit flagitijs languidus improbis,
Imbellemq́ colum,& ſtamina protrahit,
Extinxit patriæ genus.
Inuictum Hannibalis robur,& arduo
Virtus imperio dum ualuit ferox,
Per cædeis uarias perculit Italos:
Et ſæuum impoſuit iugum.
Romanasq́ aquilas matre potens fero
Fecit purpureas ſanguine conſulum.
Sed mox degeneri mollis inertia
Fortem deſeruit gradum,
Vt qui fœmineis captus amoribus,
Inter blanditias & Veneris iocos
Serò congemuit cum fremitu graui,
Probroſam reputans fugam.
Nam quid Romulidum præcipuas loquar
Vireis? & decus? & militiam grauem?
Nil præter nimium deſidiæ ſcelus
In præceps penitus dedit.
Tum primùm pauidi pernicies mali,
Tam dirum ac uehemens progenuit nefas,
Quo nomen Latium,pilaq́ cæſarum
Duxerunt miſerum ſitum.
Sic uirtus Italûm protinus occidit
Armatusq́ ſua cum trabea deus
Amiſit fidei præmia bellicæ
Romanum fugiens ſolum.
Tu Iane intereà dum teneris uiget

Annis

Annis ingenium,& firmus adeſt calor
Erectum teneas in ſuperos gradum,&
Virtutem ſequere ut facis.
Sic me Pierijs ritè ſacrum choris
Vatum conſtitues,& pariter tuum
Præclari genium pectoris arduis
Aeternum ſtatues bonis.
Et iam læua monent omnia,nobilem
Exortum è patrio ſemine palmitem
Cuius fronde noua,& frugibus aureis
Exornet ſobolem decor.

De Lacone in bello occiſo ex Græco.

Traiectus haſta pectus inſerſa Lacon
Cruentus in bellum ruit,
Ac dum inter arma & hoſtium fertur neces
Tandem peremptus concidit.
Hunc poſtquàm amici collocant meſti rogo:
Augentq́ funus lacrymis.
Miratus hanc inertiam parens (ait)
Abite non prorſus uiri,
Abite procul,ô patriæ quondam genus:
Olim Lacones uiximus.
Quid uos inertes impios luctus datis?
Hic natus eſt meus & Lacon.

Contra uiperam ueneficam anum.

Quando licebit uiperæ diram luem:
Et implicatum Theſſalis malis ſcelus
Videre tandem ſedibus Proſerpinæ
Fœdum cadauer inuehi ô lætum diem,
Quantis ubiq́ te colemus uictimis.
Nam uieta,paſſa,rancida & ſilicernium eſt.
Proh quanta feruet in ſenili pectore

Tabes malorum, quantus æſtuat furor?
Seu cum potenti ſæuiens incendio
Perurit atro delibuta ſanguine
Fœdatq; turpi cuncta contactu nocens
Vidi ipſe, uidi, cum tumente gutture
Inflata carmen muſſitares Colchicum,
Sectos & ungues implicares crinibus,
Et hæc in æneum referres cantharum.
Ter inſpuens, ter cæreas imagines
Deflexti ad ortum ſubrubentis Cynthiæ.
Quid illa referam? quæ negare non potes
Cum diſſipas reconditum puluiſculum:
Sacrumq; retro conuolutas turbinem,
O quàm caleſcit uiperæ dirus cruor.
Credo hanc parentem unam eſſe laruarum omnium
Lamiamq; maximam faces cum ſurpuit
Sic turbat atrox luridas ſedes ſtygis
Ac torua torquet tartarum uultu truci.

De fugiendis ingratis.

INgratus eſt uitandus ut dirum ſcelus.
Nil cogitari peſtilentius poteſt,
Nec eſſe portentoſius quicquàm puto.
Ingratus aut malefacit, aut malè cogitat,
Sibiq; tantum, parcit alijs detrahit,
Et odit omnes, qui bonis benefaciunt.
Ingratus eſt audacior, quo nequior,
Et impudens ad omnia ſcelera trahitur,
Audaxq; cuncta ſemper in peius mouet.
Ingratus eſt ſeminarium ſcelerum omnium,
Hinc eſt auara mens, & animus perditus,
Hinc faſtus impotens, & ambitus grauis.
Ingratus hoc unum benefacit, cum perit.

Nam tellus ipſa fœdius nihil creat
Portentum id omnium eſt habendum maximum.

Ad Phoſphorum de ponenda mœſtitia & Curis.

QVid te tam crucias Phoſphore?non probat
Iſtam mœſticiem,nec lacrymas graues
Olim cum cythara Cynthius aurea.
Cernis,quàm teneris inſtar amoribus,
Et blandas recolit delitias Venus,
Seu poſcit choream,ſeu repetit merum.
Quod ſi petulans Lydiæ deſpicit,
Nec flammas ueteres ſentit adhuc procax
Firmatamq; diu diſſoluit fidem,
Nil eſt quod metuas,ſic Veneri placet.
Aſſume aonium Phoſphore barbiton:
Dilectamq; chelym carmine Lesbio
Reddas Pierijs percelebrem choris.
Irrepit ſenium uetacito gradu,
Aetatemq; bonam protinus occupans
Morbis aſſiduis deterit indies.
Olim te uolucris commonuit decor:
Et dulcis Glyceres improbitas bonæ
Quantum conueniat ludere,dum uacat.

Ad Marullum Bizantium,quòd relictis muſis à Ne: ia detinetur.

PRidem relicta Pallade
Amoris hauſi poculum,
Et me Cytheres militem
Delegit in caſtris ſuis.
Marulle quid fruſtra mones?
Vt ſacra Phœbi proſequar?
Et ne Camœnis aſſeram.
Libet uocanti Cypridi

Parere,

De natali Muſarum.

FAuete linguis poſteri,
Non ante dictum uatibus
Cantare carmen molior.
Sacris receptus delubris
Apollo nunc ſpirat deus,
Procul prophanos pellite
Arcana dum fiunt ſacra.
Adeſte uati cælites,
Debetur hic Muſis honor
Quem feſta rettulit dies,
Pro quo tot annos pallui.
Lux hæc decora claruit
Dicata priſcis uatibus
Qua molliter gratum melos
Aeterna protulit chelys.
Lucina ridens adfuit,
Et crine Phœbus aureo
Vocauit ad certos modos
Selecta cæli numina,
Tum læta ſubſtitit Cypris,
Et candido uultu Charis
Induxit almis cantibus
Vt uos ſacraret ætheri.
Sed & deorum maximus
Et optimus rerum pater,
Vos fouit ulnis mollibus
Interq; mille ſuauia
Læni decenter ſpiritu
Deduxit ad ſacrum nemus,
In quo uolantis Pegaſi
Liquor perennis effluens

Niteſcit undis gemmeis.
Hic collocatas primitus
Dulci repleuit nectare:
In altaq; iuſſit ſidera
Secum uolare protinus
Vnde entheum fluxit melos:
Et grata Syren aurea
Refecit orbem Nænia.
Vobis Camœnæ uiximus:
Vobis perennes gratias:
Sacrumq; carmen reddimus:
Seruate dum licet precor
Deuota uobis pectora
Seu grata Delos detinet
Seu Cynthius pulcher uocat.

De poteſtate amoris.

DVm tenet dulcem Venus alma Cyprum:
Et puer curas mouet æſtuantes,
Cum ſubis blandos Erato calores
Dic age carmen.
Dic ut in ſummis uiget ignis aſtris
Et per obliqui uariata limbi
Signa decurrens fouet alma totum
Ritè uoluptas.
Manat ex alto uagus ardor igne:
Atq; diuina calefactus aura
Tranſmeat cælum uolitans & urit
Aequora lapſu.
Legibus certis ſuperos reuincit
Colligans motu celer inquieto
Ima cum ſummis, & amica reddit
Aethera terris.

Mollit

Mollit Hircanæ fera corda Tygris
Mollit & toruæ rabiem Leænæ:
Hinc Libiſſini pariter colubri
Sibila ponant.
Flectitur tauri furor iniugati:
Feruidus duris agitans rubetis,
Sentit hunc ignem quoq; ſæuientis
Impetus apri.
Ponit & miles Morynus rigorem
In tuis pugnans Ericina caſtris:
Et calent Scythæ genus efferatum ad
Cypridis ignes.
Arma deponunt Cyconea feroces:
Horridam Thraces aciem relinquunt,
Vt tua poſſint agere in palæſtra
Diue Cupido.
Aequor undoſum calet igne ſacro:
Luſitant piſces per aquoſa furta,
Perq; Neptunum iaciunt gelatum
Pectore flammas.
Aſtra diffuſos referunt nitores,
Cum Venus blando reſerare riſu
Solis excelſi iubar alma poſcit
Nube reiecta.
Blandius ſpirant Zephyri calentes
Dumq; te ſollers Orythya quærit
Frigidus pennis Boreas niuoſis
Suſcipit ignem.
Immemor belli galeam recuſat
Baltheo ſacræ Veneris recinctus
Diua te poſc ns, & amica libat
Oſcula Mauors.

 Quicquid

Quicquid in terris generatur ullis
Diua ridenti creata alma uultu
Et fouet gratos Cytherea fœtus
Lampade ſacra.
Germinat tellus, ſaliunt fluenta
Frondibus lætis ſyluæ uireſcunt:
Proferunt pictos uariata flores
Rura nemusq́.
Siquid aſpectu celebratur almo:
Siquid & gratum retinet decorem:
Illud in primis tibi diua paret
Non ſine riſu.

Ad Nouatum de inſtruendis adoleſcentibus in re militari.

PArùm Nouate conſulis
Veris nepotum laudibus:
Qui dum ſeneſcis molliter,
Et otio indulges tuo
Præſtare credas liberis,
Si diſciplinas calleant
Quibus tot annos excubas.
Sed hoc ineptè perficis
Deceptus exemplo tuo,
Imbellis eſt ætas ſenum
Nec apta rebus arduis
Sinas iuuentam ſtrenuæ
Seruare uirtutis gradum,
Et inter arma nobilem
Et galeam & enſes martios
Tractare dum uires ualent.
Hethruſca qualis indoles
Ferox potenti dextera

Lareis tuetur patrios,
Sic ille pugnat acrius:
Nec horret hoſtiles minas.
Qui ætate ſub prima potens
In arma miles proſilit,
Interq; tela feruidus
Florem iuuentæ deterit.
Sic alta ſurgit indoles
Virtus peruſta ſolibus
Inter cruenta uulnera
Vireſcit indies magis:
Sequuntur ignauos probra
Cum terga uertunt deſides:
Nec ſtare ſub dio queunt.
Nouate non ſatis decet
Acrem iuuentæ ſpiritum
Torpere molli inertia:
Aut implicari fœnore.
Namq; hoc habet Florentia,
Cenſetur ille maximus
Qui fœnus addit fœnori
Nummosq; plures congerit:
Vt diues in foro queat
Se purpuratum uendere.
O noxiam mentem uirûm
Quos in legendis numulis
Tam dira peruaſit fames;
Ego hoc ſolutus crimine
Summis capeſſam uiribus
Inſigne uirtutis decus.

Monodia de ſaltatione Bacchica.

GRadiuus ualeat pater,
Et ſæuus galeæ ſonus,
Huc adſint nemoriſſequæ:
Nymphæ cum ſatyris leues
Adſint nyſigeni ſimul
Adſint & caua cymbala,
Et cornu graue mugiat,
Tollite quiſq; pedem.
Iam curæ ualeant graues.
Non hic fluctiſonans tridens
Non toruæ reſonent tubæ.
Sed gratus lepor, & charis
Et Cromys & Hamadryas
Mnaſyllusq; rubens genas:
Et fortis temeto Lyas
Et nudata lacertulos
Melite & Canace ſoror:
Laſciuiq; pedis Dryo
Pronis in Zephyros comis
Ad numerum canite.
Omnes nunc animis pares
Et ſaltu & tremulis modis
Dicamus bone uitifer
Thyrſo & palmite nobilis:
Tu uictor Semeleius
Summi progenies Iouis
Incingens hædera caput
Auratas agitas comas
Perpetuoq; cales.
Tu rex Euthie Baſſareu,
Tu Bryſſeus Hyalyſus

Liber

Liber Nyctileus uagus
Nyſeus, Bromius, ſacer
Tu ſternis ferula graui
Fratres terrigenas potens.
Nam uictrix tua dextera
Exemit ſuperos metu,
Et firmum ſtatuit decus
Vincere cum libuit.
Salue Bacche dieſpiter.
Nos te proſequimur ducem:
Nos ultrò anguigerum caput
Bacchantes agimus Leues.
Tu nos Thyrſigeras iubes
Vatem Threicium ſtatim
Diuulſum uarijs modis
Iactare exanimem feris.
Per te ſemper ineſt calor:
Tu depellis inertiam,
Tu cunctis meritò imperas,
Imperiumq́ tenes.

De ſuo amore in Glyceren.

Quò me nunc trahitis Pierides bonæ
Vrit me Glyceres grata proteruitas,
Vrit perpetua blandus amor face,
Et ſeuus premit indies.
Olim dum licuit liberius loqui,
Tum noſtris laribus Delius affuit:
Nec fruſtra trypodas concutiens ſacros
Excepi Clarium deum.
Heu quantum intepuit Pieridum calor:
Et uatum celebris cura nec amplius
Permiſſum uiridi dulce ſub arbuto

Audire

Audire Aonidum melos.
Non ſum qui fueram, ſic uoluit puer
Qui duras laqueis molliter implicans
Ceruices teneris addit amoribus
Luctus, & lacrymas graues.
Me pridem Glycere ſurripuit mihi
Dum uultu petulans & lepidis iocis
Furtim blanditias inſerit aſperas,
Et ſe difficilem negat.
Decantare iuuat bellica Cypridis
Arma, & perfidiam cum lacrymis grauem.
Seu me detineat carmine lydio,
Seu uexet Glyceres decor.

Palinodia ad Næuiam de ſuo amore.

ADſum reſumpto ſeruitutis uinculo,
Totumq; me dedo tibi, pœnam irroges,
Nil deprecor, nil uſq; pœnarum abnuo
Non ille qui hactenus, recanto Næuia
Recanto, ſupplices & offero manus
Quodcunq; iuſſeris paratas ſoluere.
Succendor, uror, ardeo, totus miſer.
Non æquè flammis ardet æſtuantibus
Atrox ſicano conditus Gygas ſpecu.
O ante dedicata Muſis pectora
Vt igne ſuccenſi cruoris æſtuant!
Tuus reuertor parce parce ſupplici.
Cantare laudes ordiar primum tuas,
Et expiatus entheis uates ſacris
Tete perennem dedicabo poſteris,
Sic tu pudica uirgo, tu meum decus
Tu celſa uinces ſidera ſacro lumine,
Clarumq; nubilans face tua cynthium

Cælo refulges candidum & uerum iubar.

De Tarchonte & ſtatua ultrice hoſtis ex Græco.

Marmoream effigiem Tarchon cũ cerneret hoſtis
Subſtitit & niueam deſpuit in faciem.
Protinus & gladium ſtringens quem forte
Incipit inuiſum ſæpe ferire latus.
Sed ſtatua indignos ſeu ſi pernoſceret ictus
Paulatim è proprio concidit acta loco.
Et ſimul infenſum dum prona inclinat in hoſtem
Contriuit miſerum certa ruina caput.
Sic pietas diuûm ſceleratæ conſcia mentis
Subſtinuit partes uindicis & ſtatuæ

Ad Ianum Epidaurium de ſuis ſtudijs.

SI quid carminibus ſuis
Vates fatidici ualent
Non fruſtra Aonidum ſacra
Tam ſollers colui hactenus.
Vt primum licuit mihi
Voces threicias ſequi,
Deuoui teneram chelym
Caſtis Pieridum choris.
Me phœbo comitem dedi,
Is uultu facili probat
Quam tolluntur ad æthera
Qui doctos tripodas colunt.
Hinc uates uigeo & deis
Pergrata eſt pietas mea,
Erectiq; animi indoles,
Et rarum fidei decus.
Nouit Melpomene ſatis
Quantum carmine Lesbio
Ac molli ualeam ioco

Interludere uirgines.
Seu dicam Veneris dolos
Et per dulcia ſuauia
Ceruicem roſeam ſinu
Suſceptam Glyceres meo.
Non ſpernet liquidum melos
Annorum ſeries grauis:
Nec mi defuerit ſacer
Inter Phœbicolas locus.
Vixi gratus Apollini
Excellens cythara breui,
Et iam canities ſubit:
Quæ noſtrum ſenium refert.
Nil me flexit adhuc, neq;
Cultorem ſolidi boni
Mouit de ueteri gradu
Syren cum teneris dolis.
Sed me per ſuperos Clyo
Sublimem tulit, & ſimul
Cinxit frondifluam mihi
Mixto præuiridi Comam.

Ad Neæram ex epigrammate Platonis philoſophi.

DVm te Neæra ſuauior,
Gratumq; florem ſpiritus
E ſemiulcis ſuauijs
Per mutuas uices traho:
Tum mi labella preſſula
Tenello amore ſaucia:
Animam tenere geſtiunt.
Ne ſe relinquat protinus;
Tuisq; labris mollibus
Decepta dulci ſuauio

Senſim

Senſim reperto tranſitu
Labatur in pectus tuum:
Et dicat eſſe gratius
Seruare tam bonos lareis
Tecumq; ſemper uiuere.
Vbi alma Cypris incalet
Blandusq; germinat lepor
Et grata luſitat charis.
Quod ſi Neæra aduenerit:
Vt igne amoris percita
Animula mea miſellula
Me linquat in cœtu oſculi,
Et me relicto tranſeat,
Remitte quàm primùm potes,
Et redde mi uitam precor,
Vt ſeruiam ſemper tibi,
Fidemq; firmam comprobem

De ſe ipſo.

AVrum nefandis accumulent dolis,
Regumq; magnas diuitias ſibi
Quærant inerti ſolliciti ambitu
Qui fœnus repetunt graue.
Nil me potentum ſceptra minantia
Poſſunt uerendo flectere de gradu
Virtutis almæ, nil animos mihi
Veſtes Attalicæ mouent.
Securus antrum Pieridum uagor:
Et Phœbo amicus leniter arduas
Perluſtro ripas, dum Glycere uocat
Et Nymphæ ſaliunt leues.
Non me caduci ſanguinis extulit
Proles parentum, uertor in alitem
Dulcesq; cantus, & tenerum melos

Demulcent liquidum æthera.
Terras relinquo, me iuuat arduo
Cælo receptum per ſuperûm choros
Senſim uagari, iam uolito altius
Dum Phœbus celebrem gradum
Affectus almo carmine contrahit.
Nunc ad Sicambros ſeu libeat Scythas
Spectare ſæuos, & pariter leui
Inſtructos iaculo Dacos.
Idemq; pennis Pegaſeis feror
Vſq; ad Britannos, & Morynum trucem
Nec non procellæ littora Caſpiæ
Præter conſpicio uolans.
Nullum Camœnis eſt iter inuium
Cælum beatis auſpicijs petunt
Sedesq; ſummi ſub pedibus Iouis
Olim conſtituunt ſibi.

De ſua ægritudine & imminenti obitu.

Nil eſt quod ultra ſit licitum mihi
Sperare tandem, nil medicæ manus
Ex imminenti me miſerum rogo
Referre incolumem queunt
Et iam medullis æſtuat intimis
Accenſa bilis, nec patitur meo
Vnquam dolori finem aliquem dari,
Sed uexat magis indies.
Obducta frontis lumina, per genas
Delapſa tetra cum macie cutis,
Et deſtitutæ mentis inertia
Inſtare exitium monent.
O quantum inanes illecebræ anxia
Paſſim uirorum pectora diſtrahunt?

Quantaq;

Quantaq; rerum mole peræſtuat
Humani generis lues?
Quàm ſæpe dixi martia principum
Cantabo geſta, & ſæua per Auſones
Gallorum ab altis alpibus agmina
Educta in Latios duces?
At nunc parato funere frigidus
Per membra ſudor labitur, & meum
Flammis cadauer ritè puer ſacris
Iam componere deſtinat.
Et Cypri odores, thuraq; maſcula
Inferre lectis oſſibus, & leui
Cum rore lymphas ſpargere, quo ſua
Reddatur cineri quies.
Ergo ſub annos præuirides mihi
Soluetur atro ſanguine ſpiritus?
Nil eſt reluctandum ſuperis, libens
Quod fata annuerint ſequor.
Non ille cuiquam flebilis occidit:
Quæ uitæ honeſtas, & fidei decor
Inter ſacrarunt numina cælitum,
Expertem grauis ambitus.
Sed feſſa tandem lumina mors tegit
Tu me deorum ſumme parens uelis
Vatem beatis ſiſtere ſedibus:
Vt ſacros referam choros.

Duorum librorum Poëmatum Petri Criniti Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORDO CHARTARVM.

a. b. c. d. e. f. g. h. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Ss. Tt. Vu. Xx. Yy. Zz. AA. BB. CC. DD. EE. FF. GG. HH. II. KK. LL. MM. NN. OO. PP. QQ. RR. SS. TT. VV. XX. YY. ZZ. Aaa. Bbb. Ccc. Ddd.

Omnes ſunt duerniones, præter h *unionem.*

BASILEAE EXCVDEBAT HEN
RICVS PETRVS, MENSE
AVGVSTO, ANNO
M. D. XXXII.



Digitized by Google